

THESAURUS
LINGUAE SANCTAE
COMPLECTENS
NITIDIORES HEBRAISMOS,
ELEGANTIORES TROPOS,
QUIBUS VERBI DEI MAIESTAS
IN S. SCRIPTURA REFULGET,
SIVE
PHRASEOLOGIA
HEBRAICA
AD SENSUM
S. SCRIPTURAE RITE INTELLIGENDUM,
E
CELEBERRIMIS AUTHORIBUS COLLECTA

OPERA ET STUDIO

P. IUVENALIS POTSCHKA
FRANCISCANI RECOLLECTI, S. SCRIPTURAE IN CONVENTU BAMBERGENSI LECTORIS.

ACCEDIT IN FINE
SYNTAXIS HEBRAICA EX
CL. P. PETRO GUARIN
E CONGREGAT. S. MAURI.





Cum permissu Superiorum.

BAMBERGAE et WIRCEBURGI,
Sumtibus TOBIAE GOEBHARDT,
Bibliop. Univers. MDCCLXXX.

IMPRIMATUR.

BAMBERGAE,
Die 26. Februarii 1780.

JOHANNES ADAMUS.
Episcopus Hymeriensis, Suffrag. &
Provic. Gener.



LECTORI PHILEBRAEO
SALUTEM!

H*aurit aquam cribro, qui diſcere vult ſine libro.* Id ſi in aliis ſcientiis, in linguis certe addiſcendis et intelligendis certiſſimum eſt; e lingua vero hebraea hoc adeo manifeſtum eſt, t niſi quis huius linguae genium perfecte calleat, npoſſibile ſit, S. Scripturae libros, maxime Proheticos et Sapientiales, quos inter Pſalterium rimatum tenet, recte poſſe quemquam intellige-e: tot enim, tamque exquiſitiſſimis tropis, et moeniſſimis metaphoris ac figuris foecundiſſima ſt lingua hebraea, ut et ipſa facundiſſima Capiolii Roſtra obmuteſcere, et Athenarum Muſae rubeſcere cogantur. Quam puriſſimum ſit in di-



vinis literis, elegantiſſimumque dicendi genus, quanta ſit vocum ſingularium proprietas, quanta virtus, quae efficacia, qua *ſermo Dei omni gladio ancipiti penetrabilior, uſque ad diviſionem animae et ſpiritus, compagum quoque et medullarum pertingat*, ſequens demonſtrabit phraſeologia. Si rudis et inculta, imo ſine voce et ſpiritu ſapientia eſt, cui deeſt ſermonis gratia, cave, id ſentias de pleniſſimo ſapientiae fonte S. Scriptura; in ea enim, quidquid ſplendoris, quidquid dignitatis et gloriae dicendi arte continetur, uno veluti aſpectu intueri poſſumus et contemplari. Lege libros ſapientiales, propheticos, metricos, et videbis, quam ſimplex et naturalis omnium dictionum inter ſe collocatio, quae ſimpliciſſimam Authoris ſui naturam quodammodo videtur imitari; quanta in ſententiis gravitas, quanta et quam digna Deo loquente in tota oratione maieſtas, quae humanam eloquentiam tantum ſupereminet, *quantum ſolent inter viburna cupreſſi.*

Locum meritiſſime heic ſibi vendicat Ant. Pintianus, qui ita eleganter perorat *): „ut „cognoſcant omnes, qui ſacris libris delectantur, „illos coeteris omnibus ſcripturis, ut *Beda* et *Caſ*-„*ſiodorus* adfirmant, non ſolum *auctoritate*, quia „di-

*) *In praelud. Iſag. ad S. Bibl. intell. de Schem. et fig. S. Scripturae.*

divina gaudent; vel *utilitate*, quia ad vitam aeternam nos dirigunt, sed etiam *venustate* et *nitore sermonis* praeeminere: placuit, collectis ipsis exemplis, et aliquando cum locis profanae eruditionis collatis, palam ostendere, nihil pulchritudinis et venustatis in secularis eloquentiae Magistris inveniri, in quo S. Scriptura non praecesserit, ,ut novi concionatores, sacraeque eloquentiae ,candidati in ipsis sacris literis paradigma inve-,niant, quod ante oculos proponant, simulque ,ethnicorum, rhetorum ac philosophorum furta ,retegant, qui omnem dicendi pulchritudinem et ,,splendorem a divinis literis suffurati sunt.,, Nihil aptius, dignius nihil ad Rhombum dici potuit. Notissimum sane emunctioris naris viris est, quique vel primoribus labiis hunc divinum sacrarum literarum fontem degustarunt, tot voluptatibus scatere S. linguam hebraeam, ut illiciis suis quasi hamulis vel nolentes figat, adque se trahat; tantam sublimioris styli refulgere maiestatem, quae legentium atque audientium animos extra se quodammodo rapiat, et admirationem quoque ab invitis extorqueat. Habeat suas sibi Latium paludes, retineat Graecia rivolos: ipsissimos fontes solam extra Palaestinam frustra quaesiceris; dulcem illa propinat ambrosiam, quum alibi non nisi faeces inveneris.

Ne vero ista per exaggerationem a me dicta credas, sufficiat scire, S. linguam hebraeam vel ipsum Deum habuisse immediatum authorem, a quo creata, instituta, ac inter dona alia primo homini tradita fuit *). Quae autem a Deo sunt, perfecta sunt: Maiestatis est graviter et maiestatice loqui: oportuit ergo, ut in illa lingua, cuius author Deus est, nil nisi gravitatis, maiestatis et styli eloquentiae reluceat.

Mi-

*) Ea lingua primaeva censenda est, cuius reliquiae et vestigia aliqua in aliis linguis perseverant; at ita est de hebraea; siquidem illustria eius indicia supersunt maxime in his populis, qui Babyloni, ubi linguarum divisio facta fuit, viciniores sunt, puta Chaldaei, Syri, Arabes, Persae, Chananaei: sane nisi esset hebraica lingua principium omnium adinstar, nunquam posset fieri, ut tot linguae in tam variis orbis partibus per tot annorum millia ita adfines essent, ut ad illam unam ita accedentes, ut ea diligenter cognita, illas discas faciliori negotio, quam lingua latina quidam adiuti italicam, hispanicam, gallicam, siculicam rel. rel. Primorum quoque hominum et patriarcharum ante diluvianorum nomina propria a primitivis suis radicibus sic a lingua hebraea deflexa sunt, ut vox a voce dependeat tanquam paronyma. Percurre omnia nomina Patriarcharum, prophetarum et illustrium personarum, et omnia ex radice hebraea deducta invenies. אָדָם dicitur ab אֲדָמָה *terra rufa*, ex qua formatus est. חַוָּה *Eva* dicta est prima mulier, quia futura erat mater כָּל־חָי *omnis viventis* a rad. חָיָה *vixit*. קַיִן *Cain* a rad. קָנָה *possedit*, eoquod Eva dixit: קָנִיתִי POSSEDI hominem. Nomen *Iacob*, quod dein ab Angelo in *Israel* commutatum est, venit a radice שָׂרָה *praevaluit*, *princeps fuit*, et אֵל *Deus*, *fortis* cum praefixo patronymico: ratio in textu additur: *nequaquam adpellabitur nomen tuum Iacob*

sed

Mirari inde ſatis nequeo, quo praeiudicii genere multi abrepti a S. linguae ſtudio et ſe et alios avocare ſtudeant: ſolennius nihil linguae hebraeae contemtores in ore habent, quam decantatum illud: *habemus verſiones graecas et latinas, quae in iis, quae credenda, facienda, fugiendaque ſunt, ab Archetypo ſuo, hebraea nimirum veritate plerumque non diſcrepant.* Obiectio haec, quantam non ſapiat

ſed Iſrael, quia princeps fuiſti cum Deo, aut *quia praevaluiſti* cet. *Moſes* nomen hebraicum eſt, non aegyptiacum, quod ipſi a matre ſua impoſitum fuit. Ex hebraeo id manifeſtum eſt Exod. II. 10. *Quum autem creviſſet puer, adduxit eum* (Mater ſua) *ad filiam Pharaonis . . . et vocavit nomen eius* מֹשֶׁה *dicens:* quia de aqua מְשִׁיתִהוּ *traxiſti eum:* ita autem vertendum eſſe, ex regulis grammaticalibus patet; nam מָשִׁית eſt ſecunda perſona ſing. foemin. illa verba: *fuitque illi in filium*, parentheſi includi oportet. Percurre omnia primorum Patriarcharum nomina, et mirum verborum luſum cum delectatione reperies. Nomina *dignitatum*, ſi hebraicum calleas, nitidiſſime expones. Sic apud Hebraeos שַׂר *Sar principem* ſignificat; quis neget ex hoc hebraeo fluxiſſe Gallorum *Sire* Regum titulum? *Sin* enim et *Samech* eiusdem organi literae ſaepe confunduntur. Porro a שַׂר *Sar* hebraico derivatur nomen *Ceſar*, quod primitus CSAR pronunciatum fuiſſe creditur, et poſtea *Ceſar;* quemadmodum tandem ex *Ceſar* factus eſt ordinarius Moſcoviae Ducum et Imperatorum titulus CSAR, nempe eſſet כְּשַׂר i. e. *quaſi princeps*; quia *Ceſaris* nomen ante uſurpatam tyrannidem vix antiqui ſimpliciter arrogabant, atque regium titulum abhorrebant. Nomen *Sultan* ex Hebraeorum hortis deſumtum eſt a radice שָׁלַט *ſchalath*, quae *dominandi* notionis eſt; unde שׁוּלְטָן *ſchultan*, שִׁלְטוֹן *Dominatio*,



piat ignaviam, quisque percipit. Non videntur isti legisse, quod scribit *Siracides* in prologo suo, *deficere* scilicet vocabula hebraica, quum in aliam fuerint linguam translata: *Nec enim*, inquit S. Hieronymus *): *eamdem vim habent haec, quum in se ipsis dicuntur, atque quum in aliam transferuntur linguam.* Quis vero unquam infessus est, versiones

tio, Chald. *Dominator*. *Satan* originem suam hebraeo debet; est enim a rad. שטן *Satan* adversatus fuit.

Neque dicat quis Moysen abstulisse genuina et antiqua Patriarcharum nomina, novaque genuinis obsoletis expressit respondentia propriae linguae hebraicae, in qua scripsit. Nam Moyses ipsissima Dei verba et nomina ab Adamo imposita se referre luculenter testatur: quis credat, ipsum voluisse prudentiores decipere, et a se excogitata illis subponere? sane historici profani referunt antiqua nomina gentis, regionum, urbium, earumque mentionem diserte faciunt, ut, unde fluxerint eorum historiae, cuivis pateat, et certior eis fides adhibeatur. Ipse Moyses omnem hac de re aufert dubitandi suspicionem: nam nova nomina ab antiquis sedulo distinguit, neque lectori ea exponit, antequam ipsum monuerit pro antiquis non esse habenda. Sic Gen. XIV. monet *En-Mispbat* dictum antea *Kades*. Gen. XIII. *Kiriath-Arbe* postea nuncupari *Hebron*. *Luz* a Iacobo nomen accepisse Bethel. Quis credat Moysen invido silentio involvere antiqua nomina Patriarcharum, ut nova subponeret? vide Matth. I. 23. Ioan. 11. 16. Marc. III. 17. cet. Evangelistae semper retinuerunt nomina hebraea, quomodo erant enunciata: certe Moses etiam primigenia nomina in lucem produxisset, si alia ab hebraea fuissent.

*) Prol. in Eccl.

nes has ſingulari Dei providentia factas fuiſſe, atque uberrimam Eccleſiae adtuliſſe utilitatem? id tamen fatebitur nemo, niſi qui in literis divinis peregrinus videri velit ac hoſpes, ſacrum codicem in linguam latinam aut graecam translatum nihil dè ſua elegantia amiſiſſe, atque Divinum illud exemplar cum omnibus ſuis nativis coloribus ac lineamentis verſiones iſtas exprimere: neque enim in iis relucent eadem verborum vis, *ενεργια*, *εμφασις* illae iucundae *παρονομασιαι*, elegantesque verborum luſus et floſculi, quos in graecis, latinisque hortis transplantatos, aridos plane, inſipidos, emarcidos, et vix non emortuos reperies:

gratius ex ipſo fonte bibuntur aquae

Neque vero Cantores ſacros, et hos inter Davidem adcuſaveris, quod obſcurioribus hiſce phraſibus et loquendi modis lectiſſima clauſerint myſteria, doctrinas abſconderint ſanctiſſimas, quia *mala aurea in lectis argenteis*, reſpondet Salomon *), digniſſimum eſſe adſerens, ut res ſacrae, myſteriis pleniſſimae et ornatiſſimae illis efferrentur verbis et ſententiis, quae, licet omnium utiliſſimae, ad eas tamen adceſſus non pateat, niſi illis, qui tota mente, tota contentione, et humili praeſertim corde Deum quaerunt: *humilibus enim dat gratiam.*

A 5 Ne-

*) Prov. XXV. 11.



Neque dedecet S. Scripturam, eiusque Authorem Deum figuris uti, quae, licet omnibus non ſtatim obviae ſint, mire tamen elevant, illuſtrantque loquentis Dei dignitatem. *Placuit Deo,* verba ſunt Theologorum Aquilae, Doctoris Hipponenſis *), *magnifice et ſalubriter ſcripturas ſacras modificare, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Voluit Deus, ut animos non tam paſcant manifeſta, ſed etiam ſecreta exerceant veritate.* Ex arcano itaque Divini Spiritus conſilio, qui S. Scripturam voluit tot implexam eſſe difficultatibus, actum eſt, ut in iis hominum ingenia, quibus facile veſtigata vileſcunt, utiliter exerceantur, ſuperbia melius comprimatur, myſteriorum altitudo, quae ſub hoc ſipario obvoluta ſunt, demiſſius ſuſpiciatur. Neminem porro latet, Deum ſe ut plurimum adcomodare genio ſcriptorum; *adſimilatus enim fuit in manu omnium prophetarum;* Orientalibus autem frequentiſſimum eſt, uti tropica et figurata loquutione, et frequentioribus mixta parabolis; unde prophetae et Chriſtus ipſe plerumque in parabolis loquebantur populo: quomodo enim in admirabilem illius conſilii oeconomiam ſubintrare, ac humanae ſagacitati imperium providiſſimae operationis arcanum penetrare ullo modo liceret, niſi iuvaremur ſimilitudinibus et per ſenſibilia duceremur?

Quam

*) L. II. de doctr. Chriſt. c. IX.

Quam utile itaque, quamque neceſſarium cuilibet viro docto, theologo, ſacerdoti praecipue, ſit ſtudium linguae hebraicae, ſatis ex his patet, et ne in re apertiſſima iuſto ſim longior, dicam duntaxat cum omnibus eruditis *), docti viri nomen haut mereri, qui aliqua ſaltem hebraei, graecique idiomatis cognitione non pollet, coeco eſſe quam ſimillimum, qui ignarus, quo ſe vertat, ducis tantum ſui fide nititur, in perpetuis ambulare tenebris, quum neſciat, an haec vel illa in latina translata mendis careant, nec ne; qui ipſa ſua ignorantia in fontes inquirere, profundioremque ac certiorem notitiam haurire prohibeatur. Et quid? ſi obligationem exaggerare, prout deceret, vellem, qua quilibet ſacerdos obſtrictus eſt, indies Deo omnipotenti litare iuge laudis ſacrificium labiorum ſuorum in veſpertinis et matutinis dicendo, pſallendoque Pſalmos Davidicos? quis autem neſcius eſt, quot, quamque obſtruſis hebraiſmis, idiotiſmis, tropis et allegoriis abundet haec divina Cythara, quae ſine linguae hebraeae notitia non dicam non pulſari, ſed ne adtingi quidem poteſt? Vel hoc animare ſacerdotes oporteret, ut huic ſe ſanctiſſimo ſtudio adcingerent, ne pſittacorum ad inſtar ore ſolum, ſine conſortio mentis, vitulos labiorum duntaxat macilentos et aridos mactent, ſed ut adipe cordis pingues et electos Deo ſacrificent.

*) Brian. Waltonus.

cent. Quomodo enim ſacrificium tale adceptabile eſſe poteſt in conſpectu Domini, quod illi immolatur ab eo, qui, quod immolat, ſua negligentia ignorat, neque intelligit? Accendamur potius, ut preces noſtrae cum debita oris cordisque intelligentia et ſancta intentione ceu thymiama ſuaviſſimi odoris, plenum aromatibus, ceu Galbanum et ſtorax ad Deum aſcendant; et ſic nardus noſtra ceu balſamum aromatiſans odorem dabit, et quaſi myrrha electa exſufflabit odorem ſuaviſſimum Domino.

Interim tamen cum Authore anonymo *propilaei pſalmodici* graviter monendum cenſeo, dum linguae hebraeae memini, non ego illam intelligo linguam hebraeaam, quam illi ſe ſcire autumant, aut iam adſequutos fortaſſe putant, qui voces aliquas didicerunt ex lexicis, dum vocabula iam ſubſtituere vocabulis, et hebraicis latina ſufficere norunt; hoc enim puerorum eſt; et ſi cum eiusmodi linguae adparatu miſero et inſulſo librum aliquem metricum adgredi adtentaveris, et eum te poſſe explicare exiſtimaveris, id certiſſime facies ſcripturis metricis, quod autumnus facit arboribus, qui honorem omnem ipſis abſtulit, poſtquam folia eis decuſſit. Dederis enim Oden Davidicam quamque longe ornatiſſimam, et numeris omnibus abſolutam, ſi neglexeris exponere, quae vis, quae emphaſis, quae energia phraſium ſit, ſi voces denique ipſas,

ipſas, et has fere ſingulas polyſemice, anchiſtice, ſynonymice, anabathmice *rel. rel.* quibus tanquam cortice veritas continetur, explicare nequeas, vita omnium dictionum fugata luridam, exſuccam, et mortuam totius orationis faciem ab oculos pones.

Maxime itaque Tibi, mi Philebraee! neceſſarium ducas, ut, qui ad hoc te ſtudium adcinxiſti, ipſa ſacrae linguae penetralia ſubeas, non vulgari notitiae hebraicae ratione, non populari quadam mediocritate, non nuda vocum translatione contentus ſis, ſed ſummus phraſeologiae apex fortiter eſt adtentandus, ut vim ipſam phraſium, totamque energiam inquiras et adſequaris, ſi divinas ſcripturas maximo tibi uſui eſſe velis et emolumento. At hic labor, hoc opus eſt; et nonniſi ex continuo uſu ex ſacris literis, aliisque ſcriptis hebraicis ſuperandum; abſtruſum id eſt adeo, ut veſtigatione non interrupta opus habeat, donec ad ipſa linguae huius adyta, et in eius naturam, originem primam perveneris. At ne animum deſpondeas velim mi Philebraee! nam quae egregia ſunt, nonniſi magno obveniunt labore, neque ſolent ſubliniores ſcientiae oſcitantibus in ora delabi; ſed fortiter Maiorum noſtrorum imitemur induſtriam, quorum aemulamur et gloriam. Suas, fateor, habet difficultates ſtudium ſ. linguae: at qui huiusmodi laborem non poſſe exantlari adſerit, convincitur vel de ſupina ignavia,

vel



vel de contumelia, qua linguae ſanctae honori graviſſime et iniurioſe detrahit, quam contumeliam doctiſſime retundit et confundit ſupra cit. *Quaddinus* „non eſt impervium, non adceſſibile, „non abſconditum arcanum ſermo hebraeus; me-„diocrem exigit ſolertiam, et honeſtum ſtudium, „ſine quo nec aliae inferiores addiſcuntur linguae, „niſi uſus et frequentia literariam et ſcholaſticam „ſubpleat diſciplinam. Raritas hebraice loquen-„tium hanc advexit contumeliam, ut, quam non „vident frequentari, aut in colloquio admiſceri, „putant ignavi homines ineffabilem, abſque facto „rei periculo, vel minimo adhibito experimento „obprobrium addunt, et quam nec primis guſta-„runt labiis, tanquam adfatu aſperam con-„demnant, ſimiles certe vulpi Aeſopicae, quae „uvas illas, quas ex alto pendentes nullo modo „deguſtare, nec contingere licuerat, quaſi acer-„bos et aridos condemnavit, et libere contemſiſſe „ſe dixit. Experiantur pauliſper diſciplinam, ad-„grediantur ſcientiam, eam, me fideiuſſore, faci-„lius, quam putent, brevius, quam ſperent, et „utilius, quam credant, adprehendent.„

Id ſane elogii tribuit S. *Hieronymus* foeminis, dum eas ſcientiam linguae hebraeae feliciter, ait, conſequutas. Ita de *Paula* matre ad filiam ſcribit *Euſtochium* *): *linguam hebraeam diſcere voluit, et con-*

*) Epiſt. LXXXVI. al. XXVII.

consequuta est, ita ut psalmos hebraice caneret, et sermonem absque ulla latinae linguae proprietate personaret. Quod eadem epistola de *Eustochio* adtestatur. Nonne erubescere heic debent viri, dum audiunt, id potuisse fragile, tenueque ingenium foemineum: et virilis labor id non poterit? et si tantae artes, tantaeque scientiae plumbea saepe penetrant ingenia; hanc, de qua loquor, dicendi artem capere non poterunt, qui tam variis iam antehac sunt disciplinis expoliti? splendidiore talentorum adparatu a Deo exornati et exculti? Eant nunc contemtores vaniloqui, et derisores superbi, atque pudore suffusi a foeminis (et quid minus dici potest?) at ab iniquis sibi temperent dicteriis, et cavillationibus, intelligant, neque exaggerent, aut ignavius fingant difficultates, quos vel foemineum occiput superare valuit. Characterum forma insolita, minuta punctorum varietas, apicum mutatio, facilisque in uno puncto totius vocis mutatio tanta non sunt, ut non possint consuetudine dulcescere, modo linguae amor, discendi fervor, et spes percipiendi, quae discuntur, comites adhibeantur; neque enim amari potest scientia, quae addisci posse desperatur.

Iniuriosus forem S. Hieronymo, si, quae ad Rusticum *) scribit, tacito praeterirem silentio; *dum essem iuvenis, et solitudinis me deserta vallarent,*

*) Ep. XCV. al. IV.

rent, incentiva vitiorum, ardoremque naturae ferre non poteram, quem quum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus aeſtuabat: ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex hebraeis crediderat, me in diſcipulum dedi, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii alphabethum addiſcerem, et ſtridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris inſumſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperaverim, quotiescumque ceſſaverim, et contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia tam mea, qui paſſus ſum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro ſemine literarum dulces fručtus carpo Poſteriora S. Doctoris verba plus animi et heroici ſpiritus tibi addere optaverim, quam priora illa te deterrere poſſent, maxime quod aetate noſtra facilior pateat ad S. linguae penetralia aditus, quum optima grammaticarum, regularum, et magiſtrorum adſint ſubſidia, quorum ductu brevi temporis intervallo ſi non ſummam, ſufficientem tamen tibi comparare vales linguarum peritiam. Opto tamen, ut hac ut ut ſufficienti ac vulgari notitia contentus non ſis mi Philebraee! ſed altius tendendum; quare, ut verba proferam cit. Authoris *Pſalm. propyl.* latronis inſtar graſſari oportet philebraeum per voces ſingulas, coelos ipſos impetere, ſolem adgredi cum Prometheo, nullumque non lapidem movere, nil intentatum relinquere,

ut,

ut, ſi quos ignes in hebraicis offendit, detrahat, ut vocem ſuam latinam his animet, iis, quae mortua ſunt, vitam inſpiret et animam, tamdiu latina componat et obponat hebraicis, donec ambobus eadem ſit facies, eadem frons, idem os, iidem humeri, eadem vis, eadem emphaſis. Experieris mi Philebraee! ſi nulli peperceris conatui, quam verum ſit adductum ſupra Salomonis encomium, Spiritus S. ſententias libris ſacris contentas eſſe *poma aurea*, quae, quamdiu colaturis ſuis incluſa ſunt, non adliciunt, quia aciem noſtram effugiunt; at ſi obiiciantur oculis, ſi ponantur in reticulis argenteis, mirum in ſui amorem et aeſtimationem omnes, qui vident, adliciunt, trahunt. Sacrarum ſcripturarum textus multis inſipidi ſunt, quia abſconditi, idque vel propria ignavia, qua linguam hebraeam addiſcere nolunt, vel ſuperbia quia eam intolerabili faſtu contemnunt. At ſi retegantur, et remoto ſipario in lucem ponantur, ipſi ſpiculis ſuis animum figunt, capiuntque. Sacri Codicis ſententiae vocantur ab eodem ſapientiſſimo Rege לִוְיַת חֵן hoc eſt, ſunt inſtar pulchri ornamenti capitis, et inſtar pulchri torquis in collo *David*, *Salomon*, et qui huiusmodi elegantes ſententias protulerunt, dicuntur habuiſſe aroma in ore, eructaſſe verbum bonum, eorum labia fuiſſe ceu favus diſtillans, maſticaſſe aroma, ſalivam


cum halitu fragrantem reddidisse ex more Orientalium, qui solent masticare aromata.


Sic ergo mi Philebraee! operare, et sedulo labore percurre libros metricos: est enim labor hic sacerdoti dignissimus, quia ex ore sacerdotis rogatur scripturarum divinarum intelligentia: sacerdos enim haut alio fine populo praefectus est, quam eo, ut doceat populum; neque in scriptis apostolicis alia de causa *Prophetae* nomine insignitur, quam ut ea, quae scripserunt Prophetae, ad populum proferat. Voret ergo libros propheticos, voret libros sapientiales, voret omnes hagiographos; et quamvis in ore eius, ubi legere eos et exponere coeperit, amari futuri sint, innumeris adspersi difficultatibus, conditi absinthio, si tamen institerit, si labori non cesserit, si insolita eos comminuerit diligentia, atque dente Herculeo contriverit, commoluerit, et commolitos in stomachum miserit, erunt illi uva ex Sorek, et botrus Cypri, fructus Baal-Hamon, et deliciae Engaddi.

Quod, ut felicibus avibus, ac faventibus praeprimis Superis Tibi eveniat, praesentem exhibeo phraseologiam, quae potissimum robur suum, viresque exerit in elegantissimis hebraismis, quibus, quo-


quoniam libri ſacri abundant, operae pretium duxi, eos aliqualiter diſſolvere et explicare, ut ea, quae hactenus de ſ. linguae utilitate, dignitate et praeſtantia operoſius dicta ſunt, magis roborentur, linguae hebraicae facies non fucato ſcibio, ſed naturali decore candida, quaſi in ſpeculo praeſentetur; eius ornamenta in veſtitu deaurato, qui circumdatus eſt eloquentiae florum varietate, cuius textura admirabilis plane eſt in pretioſis monilibus, ut omnes concupiſcant decorem illius. Accipe ergo mi Philebraee! phraſeologiam hanc commodo et utilitati tuae conſcriptam, quam multo lectione hauſi et collegi ex optimis Authoribus, praeſertim *P. Guarin* e congregatione S. Mauri, viro in lingua hebraea verſatiſſimo, cuius opus IV tomis comprehenſum, eoquod rarum ſit, atque magno pretio vaeneat, ne tanto deſtituaris theſauro, quae fuſius tradit, ea in epitomen ad ſufficientem linguae hebraeae notitiam, atque ſacrarum ſcripturarum intelligentiam congeſſi. Neque tacite praetereundus eſt praeſtantiſſimus Author anonymus e ſcholis piis, qui in ſuo praeludio Pſalmorum erudita plurima oſtendit, ac vaſtiſſima ſcientia complectitur. Hos duces, quos ſtrenue imitari mihi placuit, et tu ſequere, praeſentique opere diligenter utere, et brevi illum linguae hebraicae gradum conſcendes, quem alii



multo labore, atque vano multorum annorum impendio vix invenire potuerunt. Quoniam vero phrases singulas phraseologia haec non complectitur, favente Numine typis edi curabo indicem seu dictionarium biblicum, quod difficiliores in S. Scriptura occurrentes locos, ac criticos textus expositos complectetur: opus istud iis potissimnm conducibile et utile maxime erit, qui viribus destituti sunt in comparandis magni pretii et maximae molis commentariis. Vale nunc Lector benevole, laboremque meum aequi bonique habe. Scripsi Bambergae in Conventu Fratrum Minorum Franciscanorum Recollectorum die 28 Ianuarii 1780.



CAPVT



CAPVT I.

De Origine Phraſium hebraicarum.

Antequam phraſes hebraicas exponam, oportet, ut prius aperiatur Hebraiſmorum fons et origo; ſeu unde hebraei phraſes ſuas ducere ſoliti ſint, et cui loquutiones illae, quae in ſacris libris leguntur, originem ſuam debeant. Plures naſcuntur ex adluſione ad ritus et conſuetudines, mores, veſtimenta, potus et cibos, atque omnes adparatus conviviales, triclinia ſeu lectos decumbentium, vaſa et unctiones aromaticas. Magno quoque in numero occurrunt phraſes *georgicae, paſtoritiae, agrariae ſeu ruſticae, conviviales, militares, vindemiales, veſtiariae* rel. rel. quumque hebraeis terra promiſſa, quae lacte et melle fluit, in maximis ſemper amoribus fuerit, gaudebant iucunde ludere cum montibus, fluviis et vallibus, locis maritimis, totaque chanaanitide, quorum exactam cognitionem, niſi philebraeus ſibi comparaverit, fieri non poteſt, quin ſemper hallucinetur, haereat et caecutiat. Maximi inſuper momenti, ſunt alii elegantiores Hebraiſmi, *Anchiſtici, Anabathmici, Synonymici, Paraphraſtici, Pleonaſtici,*

Elliptici rel. rel. quos omnes bene perſpectos quisque habere debet, et de quibus infra ſecundum ordinem agam.

§. I.

De Hebraiſmis ſeu Phraſibus e re paſtoritia, agraria prognatis.

Ut phraſes *paſtoritias*, *agrarias*, *ruſticas*, *georgicas*, *bucolicas*, unde ortum ſuum traxerint, intelligas, praevie ſciás velim, primos populi Iſraelitici ſtipites ac parentes fuiſſe paſtores, atque vitam paſtoritiam ſemper in deliciis habuiſſe: *Abraham*, *Iſaac*, *Iacob* paſtores erant, et in tabernaculis habitabant. *David* paſtor gregis erat. Ingens ergo phraſium hebraicarum numerus, quae deſumuntur a tentoriis, tabernaculis, atque omni paſtoritia ſupellectili, ab agris, arboribus rel. rel. Sic Pſal. I. 3. *Et erit tanquam lignum* ſeu arbor: loquitur de *palma*, quae iugiter viret, et foliorum tenaciſſima eſt, cui iuſtus comparatur: atque arbori, quae non ſolum foliorum inani luxu ſuperbit, ſed quae etiam *fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, neque ſibi tantum, ſed et aliis prodeſt: unde illud *proſperari* phraſi hebraica idem eſt, ac facere rem, quae aliis proſpere cadit. Sic Pſal. CXVIII. 28. *O Domine . . . . . bene proſperare*, i. e. fac, ut agamus proſpere. Unde ex antitheſi impios vocat כמוץ *pulverem*, *paleas*, *glumam*, quae nihil prodeſt; imo data opera diſpergitur per ventilationem. Sic Ieremias de *Iechonia* inquit: *ſcribe virum iſtum ſterilem*, *qui in diebus ſuis non proſperabitur*, i. e. infelix, inutilis erit. Haec quoque phraſis ad latinos tranſit: *felicia arva*, *felices colles.* Sic ergo iuſtus comparatur arbori, quia utilitatem ſuis actio-

actionibus non sibi solum, sed et aliis adfert. Psal. II. 9. *Reges eos in virga ferrea:* melius cum hebraeo תְּרֹעֵם LXX *ποιμανεις αυτους pasces eos.* Verbum *pascendi* alias in bonam, heic autem in malam partem sumitur: vide Mich. V. 5. *Virga* et *baculus* Deo, Christo per *ανθρωποπαθειαν* tribuuntur, quibus eius cura et amor exprimitur. Unde phrasis Ps. XX, 4. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Est metonymia signi pro signato: nam *virga* et *baculus* seu pedum pastorale studii pastoritii signa sunt: virga ducuntur oves, et baculo arcentur lupi, q. d. quamvis gravissima mortis pericula incurram, studium tamen tuum, et amor tuus erga me proteget. Totus hic psalmus carmen *bucolicum* est: dicit Cantor, se esse *oviculam*, se regi ℣. 1 Hebr. *pasci*, quod specialiter de Christo dicitur Ezech. XXXIV. 23. *Et suscitabo super eas* (oves) *pastorem unum, qui pascat eos.* Gratulatur ℣. 2. *in loco pascuae*, caulam suam non esse remotam a pascuis virentibus, ut opus habeat diu currere, donec perveniat ad pascuum; et adludit ad facilitatem legis. Pulcherrime metaphoram expressit hebraeum, quod vertit *Aquila, Symm.; in pulchritudine herbae habitare me fecit.* Pergit: *super aquam refectionis*, i. e. ad aquas placite, leniterque fluentes, et potandis ovibus perquam aptas. En! quomodo exprimat legem Dei et Christi, quae sunt aquae salientes in vitam aeternam. Unde gaudet, se duci per semitas planas, et minime salebrosas, non montosas, in quibus fatigatur ovis, quae sunt semitae iustitiae. Defendi se autem, si in loco tenebroso et periculoso versetur, quia hoc significat hebraeum בְּגֵיא צַלְמָוֶת *in valle* (Vulg. *in medio*) *umbrae mortis*) quibus denotatur summum periculum, sicut est mors ipsa. Psal.



XXX. 4. *Deduces me et enutries me*: ſimilitudo georgica pro fideli cura et cuſtodia gnaviter alicui impenſa: nam paſtores educendo et reducendo oves munus ſuum implent.

Tabernaculum ceu ſingularis protectionis divinae ſymbolum ponitur. Heinc quaerere Pſ. XIV. *Quis ſit habitaturus in tabernaculo Dei?* idem eſt, ac quaerere: quis favore peculiari Dei gaviſus ſit; quia contra pluvias et quascunque aeris iniurias tuti erant paſtores in tabernaculis. Pulcherrima phraſis a *tabernaculo* deſumta occurrit in cantico Ezechiae Iſ. XXXVIII. *Generatio mea ablata eſt et convoluta eſt, quaſi tabernaculum paſtorum.* Quid hoc? Arabes et reliqui populi, qui gregibus victitant, paſcuis hoc loco abſumtis et depaſtis convolvunt tabernacula, et alio migrant: hac ergo phraſi innuitur *excedere ex hac vita, e mundo migrare*, mori. Contra, *figere tabernaculum habere clavos firmos, paxillos immotos* ſignificat vitam quietam, tranquillam, et viciſſitudinis malorum expertem. Iſ. XXII. 23. dicitur: *figam illum paxillum in loco fideli*, i. e. expellam *Sobnam* de ſtatione ſua, ejiciam illum de templo, ubi theſauris praefuit, et ſubſtituam *Eliakim* firmiter et ſtabiliter. Terrae infelices et ſteriles dicuntur eſſe ſine tentoriis, ſine paxillis et tabernaculis. Sic Iſ. XIII. *I on figet ibi tentoria Arabs*, i. e. erit derelicta terra, non inhabitata. *Suſcitare tabernaculum David, quod corruit*, nihil aliud eſt, quam reſtitui domum David ſuo ſplendori et firmitati, quae ei promiſſa eſt in adventu Meſſiae. Tandem a conſuetudine educendi ad paſcua et reducendi greges natae ſunt phraſes: *egredi*, et *ingredi*, h. e. eodem cum ſociis contubernio uti, conſuetudine, hoſpitio. Sic Ioan. X. 9. quum Chri-

Chriſtus ſe paſtorem diceret, eum vero, qui adhaeret Chriſto, oviculam, ait: *ingredietur*, *et egredietur*, *et paſcua inveniet*, promittit eam fideliter a ſe cuſtodiendam, paſcendam, et inſeparabiliter quidem, ita ut ſemper verſetur cum Chriſto.

Aliae phraſes ſeu comparationes pecuariae occurrunt Pſ. XXII. *Tauri pingues obſederunt me;* per vitulos et tauros intelliguntur hoſtes potentes (ſi ſunt iudaeorum principes, qui in Chriſtum tempore paſſionis ferociter inſiluerunt) Tauros habuerunt hebraei et feroces et pingues, praeſertim in regione Baſanea: volentes itaque hominem ferocem deſignare, *taurum* adpellabant, et quidem taurum ex *Baſan.* Ex his facile eluceſcet obſcuritas illius Pſ. LXVII. 31. *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Sic Amos IV. *Audite verbum hoc vaccae pingues* i. e. homines robuſti et potentes. *Canes multi:* Superius *Tauri* i. e. potentes; heic *canes* i. e. viles homines. *Canis* metaphorice ob morſus aſperitatem ſignificat hoſtem ferocem et truculentum. *A cornibus unicornium*: erat notum animal vocatum רֵם, quod uno fortiſſimo cornu et alto praeditum erat: huic comparabant homines feroces valde. Nota hanc phraſin ſaepe occurrentem. Hoc loquendi modo hebraeis uſitato facile explicabis obſcurum alias ſupra adductum locum Pſ. LXVIII. 31 in quo elucet elegantiſſima phraſis bucolica: *Increpa feras arundinis*, *congregatio taurorum*, *in vaccis populorum*, *ut excludant eos*, *qui probati ſunt argento.* Ferae arundinis ſunt *bubali;* hic namque eſt eorum mos, cubare in arundinetis, quibus nimium delectantur; *metaphorice* homines barbari. *Taurorum* rel. haec omnia ſunt ſynonyma, et dicuntur per ſimilitudinem de populis feris olim invaſuris Ierufalem ſed de-



pellendis a Deo. *Ut excludant*, (verba, quae actionem important. saepe *conatum*, aut *voluntatem* significant iuxta reg. grammat. unde est, qui volunt aut conantur excludere i. e. eiicere, depellere (iam prodit sensus: *increpa* i. e. deperde, destrue *feras arundinis*, hostes crudeles (nam חַיָּה et *catervam*, et *feram* significat) *congregatio taurorum*; ecce congregati sunt adversum nos *tauri* hostes bellicosi et principes fortissimi, *cum vaccis populorum* cum lectissimis de populis, qui adversum nos et haereditatem nostram velut *vaccae* mugiunt, ut *excludant* i. e. expellant eos, nempe Israelitas, qui tibi *velut argentum* accepti sunt, a te electi, tibi chari sunt.

Alia pecuaria Ps. XXVIII *Comminuet eas tanquam vitulum libani.* Nota a ℣ 3 est elegantissima descriptio tempestatis: unde ait: *Vox Domini* i. e. Tonitru: *super aquas* pro nubibus, metonymia continentis. *Dominus super aquas multas*, ellipsis: *intonuit*, aut melius: *est* i. e. velut inhabitat, residet et equitat, Psal. XVII. 8. *Confringentis cedros* species pro genere. *Et comminuet* effectus tonitru est, ut commoveat terram, et montes, moto aere: utrumque ergo describit similitudine vitulorum, quae est similitudo georgica; q. d. dum sylvae tonitru et fulmine concutiuntur, et arborum rami desiliunt, res se habet veluti quum vituli in montibus motus varios edunt. Unde bene hebraeum vertit Aquila: et *exilire faciet eas*. Sym. *saltari facit eas*. Sequitur: *et dilectus, quemadmodum filius unicornium.* Quis est iste *dilectus?* S. Hieron. ex hebraeo perspicue reddit: *Et Sarion* (quo nomine adpellatur mons *Hermon* Libano contiguus) sumserunt LXX *το Sarion* pro nomine adpellativo *ηγαπημενος dilectus;* sic subin *Nathanael* datus pro *Deodedit*, *A deo datus*. *Quasi filius Rhinocerotis* supple

Ellip-

Ellipfin: *erit.* q. d. veluti iuvenis Rhinoceros, aut unicornis ob terribile tonitru fubfiliet. Hyperbole poetica in f. literis familiaris: funt itaque duae fynonymiae in duabus fimilitudinibus fubfiliendi, nempe concuffio Libani cum fuis cedris adfimilatur faltibus vitulorum, et concuffio Sarion, ut habet hebraeum, cum fuis arboribus adfimilatur faltibus pullorum monocerotis. *Praeparantis cervos* hebr. יְחוֹלֵל *parturire facientis cervos*, Aq. *obftetricantis:* quibus nil aliud innuitur, nifi magnus tremor et terror, per tonitru illis animalibus immitti folitus. Unde *praeparantis* idem eft, ac terrefacientis: quod autem dicitur de praeparatione ad partum, hoc ortum habet ex modo loquendi hebraico, quia apud hebraeos graves dolores per *parturiendi* vocem explicantur; unde in prophetis, ubi dicitur *mafculus parturire.* Tonitru ergo terrefiunt cervi et pleraque animalia, ut edant eiulatus, et fic orta eft *parturiendi idea.* Pfal. LXXVII. 31 *Occidit pingues eorum* i. e. quosque optimates, proceres, principes, fimilitudo bucolica: ficut pingue in armento eft praecipuum; fic qui inter homines funt praecipui, vocantur *pingues* ℣. 11 *Animalia tua habitabunt in ea* i. e. Ifraelitae in haereditate feu terra promiffa.

Ifraelitae maxime agrorum cultura vivebant, unde maximam loquutionum partem ad fementem, ad meffem, ad triticum, ad lolia, ad pluvias referre folebant: unde ortae funt phrafes *agrariae*, *rufticae.* Huc fpectant parabolae evangelicae de *agricola*, de *zizaniis* rel. Heinc ortum duxerunt hae phrafes: *qui feminat in benedictionibus, de benedictione et metet:* qui multum feminat, multum metet; qui largam et liberalem dat eleemofynam, large et liberaliter recipit a Deo. Iubilus metentium

pro



pro summo gaudio accipitur. Immunitas a bestiis, quae devastare agros, et infestare eorum cultores solent, inter felicitates populi iudaici ponitur. Unde felicitas temporum Messiae hac loquendi formula exprimitur: *Non nocebunt in universo monte sancto meo: habitabit lupus cum agno:* ubi bestiae non nocent, ibi felix reipublicae status more hebraico designatur. Per bestias intellige gentiles populos ut ut ferocissimos, mitigandos per evangelium: et *puer minabit eos.* Psal. LXXIX *singularis ferus depastus est eam;* loquitur Cantor de Sennacherib aut Nabuchodonosore: dicitur *singularis* pro sylvestris, quia animal hoc societatem odit, et singulariter seu solitarie degit in sylva, hebraice vocatur זִיז שָׂדַי Est avis ferox quae destruit vineas: metaphorice *fera agri* truculentos Ecclesiae hostes signat: sic Apostolus Cretenses vocat κακα θηρια *malas bestias* ad venenum suum in credentes effundendum promtissimas. Eadem vox hebraea habetur Psal. XLIX. 11 זִיז שָׂדַי et *pulchritudo agri mecum est*, loquitur de quibusdam feris agrestibus, seu avibus terrestribus, quae sunt et vocantur *pulchritudo agri.* Frequenter evenit in Palaestina, ut species quaedam canum sylvestrium (*alii lupos* vocant) oberrent loca habitata, si quo modo possint famen satiare, et si nihil reperiant, horribiles edunt eiulatus: his lupis comparat cantor Psal. LVIII homines, qui alterius sanguini, bonis et vitae insidiantur: *ad vesperam famem patientur ut canes*, aviditatem me devorandi habent instar canis famelici. Alio eleganti utitur loquendi modo Psal. LXII. 11 *partes vulpium erunt*, manebunt insepulti, expositi ceu esca vulpibus et sylvestribus animalibus.

Frequens in psalmis agrorum exultatio, camporum iubilus, metentium tripudia et cantatio ponuntur pro felicis-

feliciſſimo rerum ſtatu. *A fructu frumenti, vini et olei multiplicati ſunt*, ſignificatur rerum omnium abundantia, et felicitas regni Davidici, et in ſenſu ſublimiori regni Meſſiae. Pſal. CXXVIII *ſupra dorſum meum fabricaverunt* hebr. חָרְשׁוּ חֹרְשִׁים *araverunt arantes* ſimilitudo georgica: explicat adflictionem in captivitate, in qua ita erant contemti, ut reputarentur digni, ſuper quos ararent. *Prolongaverunt iniquitatem ſuam:* continuat allegoriam hebraeum: הֶאֱרִיכוּ לְמַעֲנִיתָם in *longum protraxerunt ſulcum ſuum*, notat diuturnitatem adflictionum in captivitate. Eiusmodi phraſes agrariae et paſtoritiae plurimae reperiuntur in ſ. ſcriptura: ſufficiat interim has adnotaſſe, ſecundum quas facile reliquas intelliges.

§. II.

De Hebraismis a re frumentaria deſumtis.

Ager, ubi naſcuntur frumenta, Eccleſiam Chriſti ſignificat, uti ex Evangelio conſtat: *Aratio* autem ob terrae ſciſſuram et quaſi vulnerationem, calamitates et adflictiones indicat, ut ſupra dictum. Dein ſignificat hominum vitam, et actiones ſive bonas ſive malas. Bonas Ierem. IV. 3. *Novate* ſive de novo arate *vobis novale, et nolite ſerere ſuper ſpinas* h. e. poenitentiam agite, pravos mores emendate, qui ſunt inſtar ſpinarum, quae ſemen divinum ſuffocant. *Malas* Iob IV. 8 *vidi arantes iniquitatem, et ſeminant dolores, et metuant eos* h. e. qui toti ad flagitia perpetranda, et iniurias inferendas intenti ſunt: quemadmodum arator in terram, ut inde fructum eliciat, operam inſumit; ſic illi, ut aliis noceant: at *ſeminant dolores;* i. e. mala, quae aliis inferunt: *et metuunt illos* i. e. redeunt haec mala in caput eorum. Prov.

XXI.



XXI. 4 *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis* i. e. ſuperbia, et נִיר *aratio impiorum peccatum eſt* h. e. mala opera impiorum Deo exoſa ſunt. Vulgatus habet *lucerna*. נִיר pro diverſitate radicum utrumque ſignificat: ſenſus vulgatae noſtrae videtur magis energicus. Oculorum elatio ſignum eſt dilatationis cordis, aut lati i. e, ſuperbi cordis: *lucerna*, ſplendor, gloria *impiorum* cet. i. e. in ſolis ſceleribus ſuis gloriantur. Huc pertinet Iud. XIV. 18 *ſi non araſſetis in vitula mea*, inquit Samſon, *non inveniſſetis propoſitionem meam* ſive *aenigma meum* h. e. niſi ſponſae meae opera, quae in animo meo latebant, ſcrutati fuiſſetis, quemadmodum agricola iuvencae miniſterio, quae ſub terra latent, arando retegit, ea nunquam inveniſſetis. Nota phraſin: *mittere manum ad aratrum* Luc. IX. 62 ſtudium continuum denotat: ſumta eſt metaphora ab agricolis, quibus continuo et indeſinenti ſtudio in arandis et colendis agris opus eſt.

Frumenti et Tritici copia, bonorum abundantiam exprimit. Pſal. LXXI. 16. *Et erit* פִּסַּת בַּר *pugillus frumenti in terra in vertice montium, commotus perſtrepet ſicut Libani* (arbores) *fructus eius* (frumenti) *et florebunt de* (vel potius *in*) *civitate* (homines i. e. cives) *ſicut foenum terrae*. Vulgatus habet: *erit firmamentum* eodem ſenſu: frumentum enim eſt firmamentum hominis. *In ſummis montium*, qui alias ſteriles ſunt, et parce in illis naſcitur frumentum, grandis et copioſa ſeges erit, et poterit adſimilari Libano propter magnitudinem: *perſtrepet ſicut Libani*. Eſt hyperbole, ad pinguem uberemque ſegetem denotandam. Spicae uberes vento agitatae, ac ſe invicem contingentes ſtrepitum edunt, quaſi arbores vento agitatae. Ierem. XXIII. 28. veri prophetae *tritico*, pſeudo-prophetae autem *paleis* denotantur. *Quid paleis*

ad



ad triticum, dicit Dominus? h. e. Quid commune eſt iſtis pſeudo-prophetis et doctrinae eorum cum prophetis et verbo Domini? quidam cum Chald. probos et improbos intelligunt. *Meſſis* ſementi reſpondens denotat tum *pietatis*, tum *impietatis* fructus et praemia. Sic Pſal. CXXV. 5 *qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent*, nempe fructum lachrymarum ſuarum, gaudia aeterna: piorum ſtatus in hoc mundo *ſementis*, ſequutura autem gloria *meſſis* loquutione exprimitur.

Phraſis. Ponere messem alicui Oſ. VI. 11 eſt eum ad idololatriam perducere, atque ita divinarum poenarum illi materiem praebere. En prophetae verba: גַּם־יְהוּדָה שָׁת קָצִיר לָךְ *Etiam o Iuda, poſuit* (Ephraim vel Iſrael) *meſſem tibi* h. e. idololatrandi anſam praebuit tibi. LXX *και Ιυδα αρχȣ τρυγαν σεαυτω et Iuda! incipe vindemiare tibi ipſi:* legebant vel שֳׁת־קָצִיר in imperativo et forma שׁוֹת et mutato hholem in ָ hhatuph ob makaph. Vel ex forma ו mutati in ֵ euphonicum שֵׁת: eaque in bonam partem accipienda videntur, q. d. Tu vero Iuda gaudium et laetitiam, et abundantem meſſem tibi ipſi promittito, quum convertero captivitatem populi tui, quamvis enim in exilium deportandus ſis, ſicut Iſrael, reverteris tamen, et meſſem copioſam in terra tua demetes, neque omnino exterminaberis, quia ex te orietur Meſſias.

Quum duo in meſſe conſpicua ſint, nempe quod ſegetes praeſcindantur, et areſcant, et quod in horrea comportentur in uſum, *Meſſis* adhibetur *tum* ad iudicia Dei denotanda Ierem. LI. 33. *Filia Babylonis quaſi area . . . adhuc modicum, et veniet tempus meſſionis terrae eius* h. e. ſuppliciorum, quae ipſi inferentur a Deo. *Tum* ad



ad Ecclesiae collectionem innuendam Matth. IX. *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Denique opportunum liberationis tempus innuitur messe et aestate. Ierem. VIII. 20. *transiit messis, finita est aestas, et nos salvati non sumus* h. e. omnes salutis nostrae recuperandae commoditates perierunt, et nos pariter perimus. *Messores* in spirituali messe, quae est Ecclesiae collectio, sunt verbi Dei praecones, aliique ministri Ioan. IV. 36.

Trituratio, quae conculcatione et percussione fit, poenas et calamitates designat Is. XXI. 10 *Tritura mea et filii areae meae* h. e. O Israelitae, quos a Babyloniis quasi frumentum, in area triturandos i. e. maximis calamitatibus obprimendos praenuntio cet. vide Ierem. LI. 33. Amos I. 3. Habac. III. 12. Mich. IV. 13. ubi *triturare* דוש sumitur pro *occidere*. Palea et Stipula, quae a frumento per triturationem, ventilationem, cribrationem separatur, et quandoque igni traditur, metaphorice significat impiorum interitum, eumque citissimum. Abd. ℣. 18. *Et erit domus Iacob ignis, et domus Ioseph flamma, et domus Esau stipula, et succendentur in eis* h. e. domus Iacob et domus Ioseph, impios Esavi nepotes eadem celeritate, qua ignis stipulas, consument . . . . . Stipula doctrinam falsam veram vane, iactanter et ambitiose prolatam exprimit I. Cor. III. 12 *siquis autem superaedificat super fundamentum hoc* (Christum sive sanam de eo doctrinam) *aurum, argentum . . . foenum, stipulam.* Heinc verbum קָשַׁשׁ *stipulas colligere* metaphorice accipitur pro *serio et accurate scrutari;* paleae enim diligentiam requirunt colligentis. Hanc tamen notionem metaphoricam *scrutandi*, quam Rabbini huic voci adfingunt, antiqui ignorarunt: unde locum Sophon. II. 2.

הִתְקוֹשְׁשׁוּ

הִתְקוֹשְׁשׁוּ וָקוֹשׁוּ LXX vertunt: *συναχθητε και συνδεθητε* *congregamini et colligamini.*

Ventilatio, qua grana huc illuc disjiciuntur, denotat hoſtium diſperſionem Ierem. LI et *mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam, et demolientur terram eius.* Item piorum a reprobis ſeparationem, ſicut in ventilatione frumenti grana a paleis ſecernuntur. Matth. III 12. *Cuius* (Chriſti) *ventilabrum in manu ſua* (hebraismus pro *in cuius manu eſt ventilabrum*) *et permundabit aream ſuam, et congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Ventilabrum eſt Evangelii praedicatio, crux, tribulatio, et iudicium extremum. *Repurgatio areae* ipſa ſeparandi actio. *Area* Eccleſia, *frumentum* electi, *paleae* improbi, *horreum* regnum coeleſte. *Cribratione*, qua grana fortiter concutiuntur et agitantur, diaboli tentationes, et quidem graviſſimae ſignificantur. Luc. XXII 31. *Ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.*

Molitura, qua grana frumenti conteruntur, ſervitutem duriſſimam indigitat. Iſ. XLVII. 2 *Tolle molam* (Babylon) *et mole farinam.* In regionibus orientalibus maxima ſervitus erat in piſtrinum detrudi: unde Iob XXXI. 10 *molat alteri uxor mea* h. e. viliſſima ſit ſerva. vulg. *ſcortum alterius ſit uxor mea:* quod plerique interpretes de actu venereo intelligunt; atque ita etiam haec phraſis apud profanos adcipitur: et hic ſenſus textui conformior eſt ob poenam talionis, quam ſibi imprecari videtur Iob.

Panis metaphorice ſumtus *tum* laeta, *tum* triſtia ſignificat. Unde *panis lacrymarum*, adflictionem et calamitatem innuit. Pſal. XLIX. *lacrymae panes die ac nocte*



ſacro Pſalti fuiſſe dicuntur h. e. familiares inſtar cibi. Luc. XIV. 15 *beatus, qui manducabit panem in regno Dei* i. e. qui aeterna felicitate potietur. Elegans locus eſt Prov. IX. 17 *panis furtivus* et *aquae furtivae* adulterium denótant, in quo brevem illam et inſanam carnis voluptatem aeterna mors conſequitur. Eſt adagialis loquutio, qua occulta vitia deſignantur. Quum etiam לֶחֶם *panis* et מִלְחָמָה *bellum* ex eadem radice deriventur, unde *panis* ſaepe bello adplicatur. Num. XIV. 9. *quia ſicut panem poſſumus eum devorare* i. e. facili negotio vincere.

Fermentum pani admiſceri ſolitum ſignificat doctrinae corruptelam. *Cavete a fermento Phariſaeorum* i. e. a prava Doctrina. Item morum et vitae nequitiam ac pravitatem. I. Cor. V. 7. *Expurgate vetus fermentum* ſcilicet malitiae. Et ſequitur ſtatim explicatio ℣ 8. Ut enim paululum fermenti totam maſſam facile penetrat, ac turgidam, acidamque reddit; ita falſa doctrina et morum pravitas ad aliorum ſeductionem facillime penetrat, et Eccleſiae corpus inficit et contaminat. Fermentum ſumitur etiam pro indignatione, exacerbatione Pſal. LXXII *quia fermentatum eſt cor meum.*

§. III.

De Hebraismis Vindemialibus a vineis.

Vineis abundat terra Chanaan; unde plurimae phraſes. Tota Eccleſia Iſraelitica vocatur *vinea*, atque ut hanc vineam coleret, nihil omiſit Deus. Iſ. V. Pſal. LXXIX *Viſita vineam iſtam et perfice eam*, ut Deus haberet eius curam, eamque priſtino decori reſtitueret, adludit ad urbem Ieruſalem et templum. Regionem quoque comparat *vineae*, Ieruſalem *viti:* heinc *labruſcae*

ſunt

ſunt vitia, et transgreſſiones populi, mores ſancti *uvae* ſunt. Nomologia Dei vites ſunt non qualescunque, ſed vites ex *Sorek:* vitis *Sorek* optima eſt, quia fert uvam ſine acinis, et quum unica ſit in Chanaanitide vallis, quae vites has aleret, dicta eſt vallis *Sorek*, ibi dicitur habitaſſe *Dalila.* Optimae vineae fuerunt *Engaddi*, in *Baalhamon* ſeu planitie *Hamon*, in collibus pinguibus, oleoſis. Heinc illae loquutiones ortae ſunt: *Vinea plantata in cornu filii olei*, per cornu intelligitur locus eminentior: unde plantata in loco elevato, oleoſo, pingui: et ſignificatur propagatio familiae, quae inter ingentes felicitates fuit habita. Libera vinearum plantatio, pacis ſpiritualis in regno Meſſiae notionem exhibet. Sic habitare ſub *vite ſua*, *ſedere ſub ficu ſua* eſt pace et tranquillitate frui. Eadem metaphora pax ſpiritualis et interna tempore Chriſti futura exprimitur.

Iſaias praedicens Ieruſalem vaſtatum, et populum in captivitatem abductum iri c. I. 8 ait, iudaeos ita raros fore in Chanaanitide, ſicut uvas abſoluta vindemia, et urbem laceratam, ſicut tugurium in cucumerario, aut ſpeculam in vinea collectis fructibus, et ut finita meſſe ſpicae pauciſſimae. Elegantiſſima periphraſi Pſ. LXXIX robur populi Iſraelitici et magnitudo exprimitur: *vineam de Aegypto transtuliſti . . . et plantaſti eam, dux itineris fuiſti.* Hebraeum allegoriam proſequitur פִּנִּיתָ לְפָנֶיהָ *ſcopaſti et praeparaſti locum,* in quo vitis plantaretur, illumque ab omni, quod vineae tuae electae nocere poterat, purgaſti, nempe a perverſis gentium moribus ℣ 11. 12. Oſtendit eam adeo creviſſe, ut vitis huius umbra montes operirentur: *operuit montes umbra eius, et arbuſta eius cedros Dei.* Notatur heic multitudo populi; *arbuſta* autem et *rami* adeo fuerunt fortes,



ut possent aequari *cedris Dei* i. e. fortissimis, qui maximas gentes gloria sua et potentia obscuravit, et super eas excelluit. ℣. 13. *et vindemiant eam* i. e. uvas decerpunt, quo hostilis gladius et irruptio insinuatur.

Ierem. XLIX *si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum* quod interrogative exponendum est: *nonne reliquissent racemum?* q. d. hostes tui omnia tua abripient, te prorsus racemabunt. Heinc *racemi* paucos homines post bella et alias calamitates superstites denotant, et racemare residuos ex clade priori perdere, significat. vid. Is. XVII. 6. Pulcherrima quoque phrasis occurrit Psal. CXXVII ubi uxor comparatur *viti abundanti*, ex Dei benedictione foecunda: addit autem: *in lateribus domus tuae*, nempe restringendam esse similitudinem; vitis enim, ut sit fructifera, debet esse soli exposita: Uxor e contra debet esse abscondita in domo: Filii vero comparantur novellis plantationibus; sunt enim surculi vigorosi; meminit autem olivae, quae est arbor foecunda.

Obscura loquutio habetur Iud. VIII. 2. *Nonne melior est racimatio* (Vulg. *racemus*) *Ephraim vindemia Abiezer?* heic per *vindemiam* intelligitur pugna contra Madianitas commissa; per *racemum* vero insectatio hostium per Ephraimitas facta, qui Oreb et Zeb Madianitarum duces comprehensos occiderunt.

Torcular ultionem divinam innuit. Is. LXIII. *Torcular calcavi solus*, inquit Christus, de quo hunc locum etiam veteres Rabbini intellexerunt, h. e. solus ego hostes meos debellavi, et de iis vindictam sumsi.

§. IV.

§. IV.

Hebraismi ab oleis et olivetis derivati.

Olea ſeu oliva deſignat populum Iſraeliticum Ierem. XI. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit Dominus nomen tuum* (h. e. inſtar oleae virentis et frondoſae eras, quae pulcherrime effloreſcit, et ſpem ſui fructus facit magnam: verum quia votis Domini, qui plantavit te, non reſpondiſti) *ad vocem loquelae grandis exarſit ignis in ea* (Enallage perſonae *in te*) et *combuſta ſunt fruteta eius*, (tua) ſenſus eſt: inimici tui quaſi concurſantes ventorum procellae decutient flores tuos, et ramos tuos confringent h. e. parvos et magnos trucidabunt, tandemque oppidum ipſum tanquam arboris truncum igne conſument. Notes velim: quia Chanaanitis tota conſita fuit oleis, frutetis balſamicis, aromaticis; inde profectae ſunt unctiones in ſympoſiis, unctiones in conviviis: unde *ungi*, *pretioſis perfundi liquoribus*, et *convivari* ſynonyma ſunt; facile ergo intelliges nunc: quare Chriſtus dixerit: *ſi ieiunaveris, unge caput tuum;* quia omni hypocriſi ſemota ita eos agere vult, ac ſi ſplendide convivarentur: nam vino et unguento totum ſaepe convivium deſcribitur.

Noli autem cogitare, ubi unctionum meminere ſcripturae, eas factas fuiſſe in olivarum oleo, ſed myrrhino, in liquoribus aromaticis, balſamicis: unde Ioan. XII *impleta eſt domus ex odore unguenti.* Hoc liquore aromatico Reges et ſacerdotes uncti ſunt, veſtimenta ſponſorum, primogenitorum Gen. XXVII. 27 *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni.* Oleum, quo reges ungebantur, Pſal. XLIV. 9 *vocatur oleum laetitiae* propter celebritatem et laetitiam, quae tempore unctionis edebatur: in ſenſu ſublimi *oleum laetitiae* ſunt dona Spiritus S. qui-

 bus

bus Chriſtus a Patre delibutus fuit longe abundantius et ſublimius, quam homines, conſortes eius. Liquores iſti aromatici pſ. cit. enumerantur ℣. 9 ſuntque *myrrha* et *gutta* et *caſia*. Myrrha arbuſcula eſt odorifera in Arabia naſcens, hebr. מור unde to *myrrha* non improbabiliter deſumtum putatur. *Gutta* ſeu ut graece eſt *στακτη* eſt gummi odoriferi ſpecies, quae ex arboris myrrhae inciſione ex ſe fluit: in hebraeo eſt אֲהָלוֹת, unde veriſimiliter derivatum eſt to *Aloe*. *Caſia* ſimiliter propinguitatem habet cum hebraeo קְצִיעוֹת et cinnamomum eſſe perhibetur.

Hodiedum in conſuetudinibus Orientalium nil frequentius, quam unctiones in pretioſis liquoribus. Sic Orientales dicere volentes, rem aliquam eſſe pinguem, ſucco plenam, fertilem, dicunt olivam fructiferam. Oliva fructifera dicuntur, qui longaevi, et nihilominus vegeti ſunt. Secundum hoc Pſaltes ait XCI. *et ſenectus mea in miſericordia uberi* *) ſenſus eſt: etiam in ſenectute laetificabis, et conſolaberis me, benigitate tua Deus me ſublevabis. Pſal. XLIV. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*: quibus ſermonis gratia in Salomone, et in ſublimi ſenſu Meſſiae inſinuatur: unde *labia* pro ſermone.

Ungi liquoribus et *convivari* ſynonymice ſumi ſupra dixi: heinc quando propheta pſal. XII. *paraſti in conſpectu meo menſam* (menſa metonymice pro *convivio*) ſtatim ſubiungit: *impinguaſti in oleo caput meum, et calix meus inebrians*

*) Hebraeum habet בַּלֹּתִי בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן *delibutus ſum in oleo viridi*: diverſitas orta eſt ex diverſitate radicis nempe ex בָּלָה *veteraſcere*, et ex בָּלַל *perfuſum eſt*. In editionem Romanam librariorum mendum irrepſit, in qua eſt *ελεει* *miſericordia*: in plerisque graecis codibus conformiter hebraeo habetur *ελαιω* *oleo*.

inebrians quam praeclarus eſt. Heic explicat clarius, quod dixerat ſub ſimilitudine *ovis* et *paſtoris*, videlicet Deum tria praeſtare. 1 quod ſibi abunde provideat: nam dat victum, quod continetur in adparatu menſae. 2 liquores aromaticos, quibus perfundatur: et demum 3 continuationem huius providentiae continuat, quod calix ſemper ſit plenus. *Impinguat* Deus *caput oleo*, quando conſolationes inmittit, animum erigit, et confortat. Olei huius, quo iudaei in conviviis ſolebant caput ungere, mira erat fragrantia, quod animum recreabat, et vires reficiebat. Eſt ergo allegoria adluſiva ad ritus conviviales.

Pſal. CXL *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, eleganti metaphora dicit, malle ſe ferre iuſtorum increpationes et correptiones, quam unctiones impiorum in conviviis i. e. impiorum blanditias et blandiloquos ſermones; qui *velut oleum molliti ſunt*, *ipſi autem ſunt iacula:* meliora enim ſunt vulnera diligentis; quam fraudulenta oſcula odientis. Tandem quibus ſpecialis honor habitus, illis unctio impenſa fuit, prout Chriſtus a Magdalena pretioſis liquoribus perfundebatur: in *Aarone* et barba et veſtimenta et ora ſeu limbus veſtimentorum aromaticis perfuſa erant.

Oleum metaphorice rerum omnium iucundarum abundantiam notat deut. XXXIII. 13 *Ut ſugeret* (populus) *mel de petra*, *oleumque de Saxo duriſſimo*. Iſ. X. 27 hoſtium internecionem denotat oleum: *Et erit in die illa: auferetur onus eius* (Aſſur) *de humero tuo*, *et iugum eius de collo tuo*, *et computreſcet* vel diſſolvetur *iugum* (ab eo tibi impoſitum) *a facie olei* ſive propter oleum aut unctionem, nempe Meſſiam Chriſtum, ut explicat Chaldaeus: ratio metaphorae petitur a natura olei, quod

nodos quosvis facile laxat. Interim nota, oleum seu olivae fructus symbolum esse donorum spiritus S. Ratio huius metaphorae est non aliunde petenda, quam ab Athletis, qui in arenam descensuri oleo ungebantur, tum ut membra eorum vegetiora essent et flexibiliora; tum ut difficilius ab eorum adversariis caperentur, tenerenturque; sic Spiritus S. dona animum roborant, faciuntque, ne diaboli laqueis irretiatur, aut diu iis irretitus detineatur. Christus etiam, utpote specialiter unctus a Deo, *αντονομαςτικως unctus* seu *oleum* dicitur, sicut supra. Sacerdotes etiam uncti dicuntur: nolite tangere Christos meos i. e. unctos.

§. V.

Hebraismi Conviviales sive a ritibus conviviorum nati.

Hebraismos ex unctionibus aromaticis in conviviis adhiberi solitis recto ordine excipiunt hebraismi *conviviales*, seu quae ex conviviis, totoque mensae adparatu originem suam traxerunt: maxima et uberrima earum phrasium seges offertur ex *calicibus*: et quia calix *tum* amari, *tum* iucundi potus excipiendi est capax, atque mos est Orientalibus, ut Paterfamilias in convivio singulis, qui discumbunt, suos destinet calices, et portionem, quam bibant, ritus iste has parit loquendi formulas, ut cuiuscunque destinatam a Deo sortem, conditionem tam prosperam, quam adversam, atque ita *tum* beneficia Dei, et exortam inde laetitiam, *tum* poenas et supplicia denotet. Unde *calix benedictionis*, *calix salutaris* (salutis) *calix furoris Domini*, *calix fellis*, *calix venenatus*; *vinum compunctionis* rel. *Psal.* XV. 5 *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei* i. e. portio mea omni-

moda,

moda, praeclarissima, optima. Sacerdotum et Levitarum calix est omnium praestantissimus, qui ipsorum sors κλῆρος seu portio est solus Deus; quum enim terra Chanaan funiculis distribueretur reliquis tribubus, Aaronitis obvenerunt decimae, oblationes, et sic calix eorum solus Deus mansit: unde exultans levita exclamat: *funes ceciderunt mihi in praeclaris*, nempe funiculis, quibus terra dividebatur, et statim subdit: *etenim haereditas mea praeclara est mihi.* Psal. XXII. 5 *Et calix meus inebrians quam praeclarus est:* laudat Pastoris Dei providentiam, et gratias agit pro sorte, quam sibi ceu oviculae destinaverit; vocat autem *calicem inebriantem* h. e. beneficiis suis nimis largum et hilarem cum omni ubertate et copia rerum sibi necessariarum: et si digressionem ad Dei legem ferre liceat, haec sanctis est *super mel et favum.* Huc spectat illud I Cor. X. 10 *Non potestis calicem Domini bibere et Doemoniorum* i. e. ut explicatur ℣. seq. *Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.*

Calix metaphorice poenas et supplicia a Deo immissa significat, qui hoc calice potantur, hi dicuntur ebrii, sed non a vino, dicuntur agi spiritu vertiginis, sopiti furore Domini, hi vacillant, hi terrae adliduntur, sicut ii, qui gravi ebrietate ex poculo venenato pressi sunt. Econtrario, qui consolationes a Deo percipiunt, ii dicuntur potati ad aquas placidas, calice saluberrimo recreati esse. Datur etiam apud hebraeos calix, quem benedicit paterfamilias כּוֹס הַבְּרָכָה dictus seu *calix benedictionis*, super quo benedictiones recitat, et distribuit omnibus: item *calix salutis*, in quo gratias agunt Deo pro salute recuperata: dicitur etiam *poculum eucharisticum.*

His

His ritibus praemissis et cognitis multas in psalmis invenies loquutiones, quae ritus hoc respiciunt. Psal. LIX. 5. *Potasti nos* יַיִן תַּרְעֵלָה *vino compunctionis.* Est autem vinum horroris, tremoris a rad. רָעַל, est poculum, quod toxico seu veneno mixtum est, quod confusio, stupor, et perturbatio subsequitur: est metaphora; sunt quaedam vina, quae non solum causant ebrietatem, sed magnos quoque dolores ingerunt. At heic per Anchistiam a corpore ad mentem fit translatio, et ideo *potari vino compunctionis* significat dolores et palpitationes, mentis confusionem inferre. Sic dicitur psal. CVI. 27 *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius*, unde infertur magnus timor, ut nesciant pedem figere, sed quasi in rotam agantur vertiginosi. Vinum aqua mixtum fidei morumque depravationem exprimit Is. I. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua* LXX. ita habent: οι καπηλοι σου μισγουσι τον οινον υδατι *caupones tui miscent vinum aquis.* Ad hunc locum respexisse videtur s. Paulus II Cor. II. 17. Non enim sumus, ut multi καπηλευοντες τον λογον του Θεου *cauponantes verbum Dei* i. e. adulterantes.

Vini faeces utpote pars pessima vini maximas calamitates innuit. Heinc elucidabis Psal. LXXIV. 9. locum aliqualiter involutum: *quia calix in manu Domini vini meri plenus misto: et inclinabit ex hoc in hoc: verumtamen faex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terrae.* Est ipsissima allegoria a ritibus convivialibus, iuxta quos singulis sua portio ebibenda exhibetur: heinc dicit: *Et inclinavit ex hoc in hoc* i. e. proposuit huic et illi i. e. omnibus: et quia Orientales vina omnia aquis diluunt ad castigandam eorum generositatem *vinum* et

mistum

miſtum evaſerunt ſynonyma. *Faex eius non eſt exinanita*; hebraeum habet אַךְ־שְׁמָרֶיהָ יִמְצוּ *verumtamen faeces eius guttatim exprimeat* ſeu exſugent et bibent omnes.* Dicitur etiam *plenus miſto*, quod forte dicitur, quia Deus calamitates temperat, ut eas ſuſtinere valeant pii: aut plenus, ut miſceatur; ponitur autem *miſcere* loco propinare et diſtribuere ad potandum, iuxta illud: *ſapientia miſcuit vinum.* Porro *Vini faeces* denotant quoque ſecuritatem et tranquillitatem. Sophon. I. 2. *Viſitabo ſuper viros defixos in faecibus ſuis* h. e. ut Chald. interpretatur, *qui tranquille agunt in divitiis ſuis*, metaphora a vino deſumta, quod, dum faecibus ſuis inſidet, pinguius, robuſtius et dulcius plerumque eſt; quum vero ei ademtae ſunt, tranſit in vappam: vid Ierem. XLVIII. 11. Heinc *vinum faecium* Iſ. XXV. 6. nonnullis eſt vinum robuſtum, ſuave et odoriferum: alii per ellipſin hoc explicant, nim. *vinum faecium defaecatarum*, ut ſequitur, i. e. a faecibus repurgatum, purum, nec turbidum. Vulg. *convivium vindemiae*, et inferius, *vindemiae defaecatae*, ubi per vindemiam *faeces* intelligere videtur.

Demum *Vinum* in bonam partem ſumitur, et tunc denotat gratiae et miſericordiae divinae effecta. Huc ſpectant ſequentes loquutiones. Prov. IX. 5. *venite .. et bibite vinum, quod miſcui vobis.* Pſ. CIII. 15 *Et vinum laetificat*

cor

*) Ut variantiam lectionum intelligas, ubi in hebraeo legitur וְיַיִן חָמַר *et vinum* (quod) *turbidum eſt* מָלֵא מֶסֶךְ *repletur mixtione*; LXX. pro חָמַר legerunt חֶמֶר *meri*, et *vaf* ante יַיִן ut ſuperfluum neglexere: et addiderunt εις τȣτο aut in ſuis codicibus legerunt מִזֶּה אֶל־זֶה *ex hoc in hoc.* Denique pro יִמְצוּ legebant יִמָּצְאוּ a verbo מָצָא invenit, ſed in forma מָצָה expreſſit: duo enim illa verborum genera formas ſaepe commutant: legebant ergo: et *faeces eius inveniuntur* i. e. adhuc reſtant, nec dum effuſae ſunt, quod idem eſt: et *faex eius non eſt exinanita.*



cor hominis. Iud. IX. 13 *quod laetificat Deum et homines:* Deus enim pietate et fide hominum quasi exhilaratur; et exprimuntur his in locis beneficia regni Christi, quae sunt *iustitia, pax* et *gaudium in spiritu s.*

Ingens vero hebraismorum numerus ducitur a *lucernis, lampadibus*, et omni eo, quod lucet. Quum enim usus lucernarum et lampadum obtinuerit in omnibus festis cum hilaritate iunctis, in coenis legalibus, in coenis nuptialibus; inde evenit, ut felicitatem, fausta et prospera omnia per *lucem* exprimerent; adflictiones per *tenebras.* Paschale convivium cum lucernis celebratum est; sic coenae Sabbathicae, sic aliae coenae convivia seu lege seu consuetudine inducta lucernis collucentibus facta sunt. Factum heinc arbitror, quod et nos in Ss. Missae Sacrificio ad imitandos hos sacrorum conviviorum ritus lampades adcendamus; sacrificium enim istud institutum est per modum convivii spiritualis, coenae nuptialis divinae non nisi cum iucunditate animi celebrandae. Porro cum lucernis in domum sponsi sponsae ductae sunt, et nulla fuit celebritas, in qua lucernae abesse possent: quidquid igitur felix, quidquid prosperum, quidquid festivum est, *lux* est. Facile nunc intelliges, quod *alicui lucernam adcendere*, sit eum beatum felicemque reddere. Deus dicitur *lucerna*, quando gratiam suam et favorem hominibus exhibet II Reg. XXII. 29. *Quia tu lucerna mea Domine.* Psal. XVII. 29 *quoniam tu illuminas lucernam meam Domine:* lucerna pro felici statu, q. d. quoniam tu felicitatis et salutis meae Authores. Et quando dicitur de Regibus, pro regia dignitate intelligitur. Sic II Reg. XXI. 17 *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel*, h. e. ne te interfecto regnum pereat, et tota Israelis tranquillitas.

Vel

Vel intelligitur *lucerna* pro ſucceſſione in regno Davidico, eiusque conſervatione. Sic III Reg. XI. 36 *ut remaneat lucerna David* Alibi *lucerna David* in ſenſu ſublimiori eſt Meſſias.

Extingui lucernam alicuius, eſt ipſum prolabi in exitium; et ingruentium calamitatum nota eſt: ſic de muliere ſapiente dicitur: *non extinguetur in nocte lucerna eius* i. e. eius proſperitates non turbabuntur eventibus malis. Iob. XXI. 17. *Quoties lucerna impiorum extinguetur?* Sequitur explicatio: et *ſuperveniet eis inundatio* h. e. miſeriarum caterva. Ibid. XXIX. 3. *quando lucebit lucerna eius* (Dei) *ſuper caput meum, et ad lucem eius ambulabam in tenebris* h. e. quando in proſperitate agebam, quum res ex ſententia mea ſuccedebant, et ſingulari Dei benevolentia a calamitatibus, quae heic per *tenebras* deſignantur, immunis eram. Verbum Dei *lucerna* dicitur, quia lex lux eſt ob inſtitutionis ſalutiferae lucem, quam credentibus exhibet: unde ob praedicationem coeleſtis verbi Apoſtoli dicuntur *lux mundi*, et *lucerna* ob vigilantiae et pietatis ſtudium Luc. XII. 35. *lucernae ardentes in manibus veſtris* rel.

Ex ritibus *convivialibus* et *menſalibus* alius naſcitur elegans loquendi modus. Apud Orientales mos obtinet, ut, dum paciſcuntur, dum ſtipulationes et foedera ineunt, convivia et epulas inſtituere ſolent, ita ut *convivari* et *paciſci* ſaepe ſint ſynonyma. Sic *Laban* et *Iacob*, dum foedus ineunt, convivantur in Galaad in confirmationem foederis. Chriſtus D. dum coenam cum ſuis celebrat, foedus novum in corpore et ſanguine ſuo inſtituit. Hoc ritu cognito facile illud intelligi poterit, quod Ieremias nomine totius populi queritur: *Aegypto dedimus manum et Aſſyriis, ut ſaturaremur*

pane



pane Thren. V. 6. Cum Aegyptiis inivimus pacem; quia *dare manum* eſt paciſci: cum Aſſyriis pepigimus foedus; quia *ſaturari pane*, comedere cum aliquo eſt foedus icere. Deus populum ſuum ſic adloquitur Ierem. XIII. 21 *Quid dices, quum viſitaverit te? tu enim docuiſti eos adverſum te, et erudiſti in caput tuum.* Eſt heic perfectus anabathmus; mirabantur iudaei, quomodo factum ſit, ut exſcinderentur, ut adeo enormiter deſtruerentur a populis gentilibus? reſpondet propheta, hoc inde profectum eſſe, quia modo cum illis, modo cum his contra conſilium et praeceptum Domini foedera inierunt. Iam anabathmice ſic reſolve. Qui paciſcuntur cum alio, convivantur cum eo; qui convivantur, effundunt ſe aliis vino ſoluti; qui ſe aliis effundunt, docent, quomodo vinci poſſint: ergo iudaei in caput ſuum erudierunt hoſtes ſuos, quomodo ſubigi poſſint modo ab Aegyptiis; modo ab Aſſyriis, donec penitus obprimerentur: et iſte fuit effectus illius, quod ipſi Iudaei confeſſi ſunt: *Aegypto dedimus manum, et Aſſyriis, ut ſaturaremur pane:* ex his collige ſynonyma: *convivari, paciſci, dare manus, ſaturari pane.*

Cibi in menſa adpoſiti ſumuntur pro arcanis Pſal. LIV. 15 *qui dulces mecum capiebas cibos* i. e. iuxta hebraeum: qui cum ſumma animi voluptate ſecreta communicabamus: qui enim convivantur, arcana produnt. *) Pſal. CXL. 4. *Et non communicabo cum electis eorum*, lege *cum electis cibis eorum* i. e. non me illiciat ipſorum proſperitas; aut nulla mihi cum eis interveniat neceſſitas ſeu ſocietas, cum eis comedendo, non adpetam eorum amicitias aut foedera.

Sal

*) Hebraeum ita habet: אֲשֶׁר יַחְדָּו נַמְתִּיק סוֹד quod Aquila vertit: *qui ſimul dulce miſcebamus conſilium.* Veroſimile eſt, LXX pro סוֹד *ſecretum* aut *conſilium* legiſſe צַיִד aut צֵיד *eſcam.* et ſequitur: *cum conſenſu* i. e. frequenter, concorditer, pacifice.



Sal in sententiis, sal in coenis tam sacris quam profanis, in ipsis quoque oblationibus Deo factis praeteriri non potest: quae enim convivii seu sacri seu profani facies sine sale? Quin in conviviis Orientalibus *Sal* ita necessarium est, ut *sal, coena, convivium* in synonyma abierint, et *sal* pro toto convivio accipiatur synecdochice. Vide I. Esd. IV. 14. Hanc in rem Lev. III dicitur: *Sal foederis Dei tui non auferes de sacrificio tuo.* Vocatur sal foederis, quia oblatio salis symbolum erat, et signum foederis Deum inter et Israelem initi, quod per sacrificia innovabatur. De hoc etiam alibi: *Pactum salis est sempiternum coram Domino:* et regnum super Israel datum est Davidi in sempiternum, *in pactum salis* II Paral. XIII. 13. quae enim sale medicata sunt, ea diutius durant, neque putrescunt. Unde *Sal* ob virtutem servandi a putredine, et saporem cibis conferendi transfertur tum ad Apostolos, aliosque verbi Dei praedicatores, quorum est salutari doctrina, et inculpatae vitae exemplo curare, ut caeteri ab omni vitiorum et erroris putredine sint immunes. Dein etiam ad veram sapientiam et prudentiam; ea enim actiones, vitam et mores et sermones gratos et acceptos omnibus reddit, sicut sal cibos: *Sermo vester semper in gratia sale sit condita.* Nihil loquatur, nisi bene praemeditatum. *Pauca loqui, sua verba coqui vult Providus* cet.

Sermoni sale condito obponitur insulsus h. e. insipiens, stultus, impius. Sicut ergo *David, Salomon,* et qui sublimes huiusmodi sermones protulerunt, dicuntur habuisse aroma in ore: sic e contrario sententiae ineptae, scurrilia dicteria vocantur sputum ex ore, in quo non fuit aroma, et optime exprimuntur latine per dicta insulsa. Talia fuerant scurrilia, de quibus queritur Psaltes: *factus sum eis in parabolam* h. e.

inepta



inepta de me concinarunt carmina. Vocantur carmina haec hebraice חשל תשלה *infimae* fordis et fortis. Et in alio loco: *in me pfallebant, qui bibebant vinum* h. e. adeo illis vilis et defpectus fui, ut inter pocula fcurrilibus me lacerarent canticis. In iftorum profecto ore non fuit aroma, haec fuerunt fputa ex ore, quod fale, balfamo, oleo, et cinnamomo imbutum nunquam fuit; minime dicendi fales et facetiae conditae de Libano aut Engaddi, fed dicta fcurrilia, ריקים aut נבלים dicteria non falita, non condita.

§. VI.

Hebraismi pluviales.

Inter benedictiones numerabatur pluvia. In Aegypto irrigabantur omnia et potabantur Nilo, et agri et pecora et homines; at in Palaeftina, quae regio montofa, per confequens arida, faxis et arenis exfucca eft, pluvias a Deo petere debuerant: ideo et pluviae, utpote pars magna benedictionis, ingreffae funt foedus, quod Deus fecit cum populo; et ne aliqui de populo putarent, pluvias venire fortuito, earumque difpenfationes non pendere a Providentia, Deut. XXIX 19 monuit eos Moyfes, comminando ultionem Dei, nifi fententiam in melius mutarent. Solus igitur Deus beneficentiffimus eft, qui effundit utres coelorum Iob XXXVIII. 37. Heinc *rore coeli*, et *pinguedine terrae* exprimitur benedictio Chanaanitidis, utpote terrae non admodum irriguae, et faepe pluvia et rore carentis. Omnis eliberatio a calamitate, conceffa a Deo felicitas, falus, vocatur pluvia.

Specialiter promittit Deus duas pluvias, ceu fpeciale et fingulare beneficium: pluviam *matutinam* et *fe-*

rotinam

rotinam יורה מלקוש. *Iorah* menſe octobri, quo ſemina miſſa ſunt, decidit, lenta, mitis, pacata, quae ſemina praeparat, et inſtruit ipſam terram, ut generat. *Malkuſch* menſis Aprilis et ſegetes ſurgentes ita promovet, ut paulo poſt a meſſoribus colligi poſſint.

Phraſes non paucae in pſalmis ex pluvia et rore ductae ſunt. Pſal. CIX hebr. CX multa indiget dilucidatione: hebraeum ita habet. *)

עַמְּךָ נְדָבֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בהדרי קֹדֶשׁ
ſanctitatis ſplendoribus in tuae virtutis die in ſpontaneitates tuus populus

מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ
tuae iuventutis ros tibi aurora ab vulva a

Popu-

*) Nimium heic interpretes variant in verſionibus: Aq. Symm. et Theod. praetereo. LXX ita legunt: *μετα σȣ η αρχη εν ημερα της δυναμεως εν ταις λαμπροτησι των αγιων σȣ εκ γαστρος προ Εωσφορου εγεννησα σε. Tecum principium in die virtutis tuae in ſplendoribus ſanctorum tuorum: ex utero ante luciferum genui te.* Alia punctatione legerunt עִמְּךָ *tecum.* 2. hebraeum נְדָבוֹת ſumſerunt in forma אִגֶּרֶת aut בַּפֹּרֶת aut aliqua ſimili: atque ita reddiderunt *αρχη principium* i. e. principatus, non vero initium; nullibi enim ſignificatio voci *nedbabboth* aut *τȣ αρχη* adtribuitur, ſed נְדִיבִים *principes* dicuntur. 3. *το kodeſch των αγιων* reddunt, ſed a genere neutro, denotando ipſum ſanctuarium, vid. Pſ. CXXX. 2. CL. 1. Veroſimile itaque eſt, hac phraſi be-hadhre kodeſch *in ſplendoribus ſanctitatis* ipſum ſanctuarium intelligi. Porro haec verba *lecha tal tibi ros* aut omiſerunt, aut in eorum exemplaribus non extabant, ſicut et Theodotio illa omittit. Aut *το* טַל derivarunt a rad. טול, quod habet ſignificationem *excitandi*, *ſuſcitandi*: unde: *tibi ſuſcitans ego nativitatem tuam*, quod idem eſt, ac: *ego genui te:* ſcias enim, moderna lexica ex Rabbinorum promtuariis deſumta valde reſtricta eſſe; atque veteres plura alia verbis hebraicis tribuiſſe ſignificata, quae in hodiernis lexicis non reperies.

In



Populus tuus *ſpontaneitates* ſupple *in*, *in ſpontaneitatibus* i. e. valde ſponte, ſupple *aderit tibi:* in die *virtutis* i. e. exercitus, ſ. Hieron. vertit: *populi tui ſpontanei erunt in die fortitudinis tuae, in montibus ſanctis, quaſi de vulva orietur, tibi ros adoleſcentiae tuae:* Obſerva ſ. Hieronymum legiſſe pro *be-hadbre* בְּהַרְרֵי *in montibus* τω daleth in reſch mutato. Corticem dedimus, iam nucleum inſpiciamus. Si hiſtorice et literaliter accipiatur: populus tuus tempore, quo bella geſturus es contra hoſtes, erit tibi ſicut pluvia ſuo tempore delapſa, et valde opportuna in neceſſitate, adferet tibi opem et ſalutem. Eadem ratio eſt de hebraica voce טַל h. e. *rore*, qui vices pluviae ſupplet in illis regionibus. Combinemus latina hebraeis

עַמְּךָ נְדָבוֹת *Populus tuus ut pluvia liberalis.*
יַלְדֻתֶךָ טַל *Iuvenes tui ut ros ſub primam auroram*
בְּיוֹם חֵילֶךָ *tempore praelii tui*

Habemus ergo iam explicationem pluviae et roris: nempe in praeliis contra hoſtes Deus mittit Davidi milites, et pubem generoſam, quae ei erit maximo auxilio et ſolatio, ſicut pluvia et ros, tam propter neceſſitatis levamen, quam etiam propter multitudinem; operiet enim terram, ſicut ros, qui cadit *primo mane.*

Aliae phraſes a pluviis deſumtae obviae ſunt in metris Davidicis. Pſal. LXVII Manna dicitur *pluvia voluntaria* h. e. liberalis, munifica, ex ſpeciali Dei munificentia miſſam; quia cum eadem voce hebraica נְדָבוֹת inve-

In ſenſu itaque ſublimiori hunc verſum *Meſſiae* adplicando noſter P. Smits exhibet paraphraſticam expoſitionem-tempore praedicationis tuae in ipſo templo quoque palam omnibus conſtabit, te eſſe principem et regni haeredem, atque te de mea ſubſtantia eſſe ante ſaecula genitum.

invenitur constructa vox גֶּשֶׁם. Regnum Salomonicum in sensu historico, et in sensu sublimiori regnum Messiae vocatur pluvia, quae descendit super herbam virentem, et sicut stillulae irrigantes terram. Sic combinabis synonyma sibi respondentia:

כְּמָטָר עַל־גֵּז *sicut pluvia super gramen, quod est vellus terrae*

כִּרְבִיבִים עַל זַרְזִיף ארץ *sicut stillulae super terram*.

גֵּז *vellus* aut *sectam lanam* significat: germina, quae remanent detonsis pratis vocantur terrae vellera, et comparantur pauperes huiusmodi velleribus, quae maxime indigent pluvia suavi et benefica: designatur pacificus regni Salomonis introitus: pluvia enim sine strepitu in vellus descendit, quod Ss. Patres de incarnatione Verbi explicant.

Pulchra descriptio uberioris et frugiferae pluviae habetur Psal. LXIV *Flumen Dei repletum est aquis* i. e. maxima flumina; alii intelligunt *nubes*: *parasti cibum illorum* i. frumentum: *quoniam ita praeparatio eius* i. e. constitutio, ita nempe per pluviam constituitur cibus, vel terra ad ferendum cibum seu fructus terrae, qui irrigatione pluviae praeparantur. *Rivos eius inebria* s. Hieron. *sulcos eius: multiplica genimina eius:* hebr. נַחֵת גְּדוּדֶהָ *descendere fac turmam eius*, recte frugum abundantiae adplicatur, q. d. erumpant, prodeantque fruges terrae, atque ita densentur, ut cuneus densatur militibus. *In stillicidiis eius laetabitur germinans* i. e. terra pluvia irrigata copiose et hilariter germinabit. *Benedices coronae anni benignitatis tuae*: annus in se ipsum rediens *corona* dicitur: anno finito videbitur abundantia benignitatis Dei, et *coronare annum* est annum floribus et frugum copia orna-



ornare, vel efficere, ut abundantia inter alios annos quasi coronatus incedat.

Plures eiusmodi phrases tam in psalterio, quam alibi occurrunt. Ezech. XXII 24 *Tu es terra immunda, et non pluvia eius in die furoris* Vulg. *et non compluta* h. e. nihil solatii in poenis divinitus inflictis percipies. Eccl. XII. 2. *Antequam . . . . revertantur nubes post pluviam* i. e. antequam veniat senectus, in qua calamitates nubibus significatae, calamitatibus succedant. Elegans loquutio est Psal. XLI. 8 *Abyssus abyssum invocat:* abyssus pro *aquis*, metaph: *calamitates*, quae per inundantiam aquarum et cataractarum insinuantur: et illud *invocat* significat *vicinitatem;* nam hebraei, quando volunt dicere, duas res esse vicinas, dicunt illas ad se clamare, se invocare, sibi occurrere, se contingere: vult ergo Cantor ibi exprimere calamitatum et adflictionum copiam et vicissitudinem; quasi tribulatio tribulationem trahit, et cedente una priore adest altera per priorem quasi *in* et *advocata.*

Ros metaphorice etiam accipitur pro divina potentia, quam in excitandis e tumulo ad gloriam credentibus exseret Deus. Is. XXVI. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere*, quia טַל אוֹרוֹת טַלֶּךָ *ros olerum, ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam* h. e. ut ros coelestis herbas ardore solis emortuas recreat et reficit: sic virtus tua o Deus! mortuos tuos eriget et vivificabit. De metaphoris ab aqua petitis infra, et in dictionario biblico v. *aqua.*

§. VI.

§. VI.

Hebraismi ex ritu et vita militari orti.

Confuetudo militandi populorum orientalium quum diverfa fit, et a confuetudine noftrorum militum abhorreat; etiam loquutiones illorum a noftris diftare neceffum eft. Statis menfibus militant orientales, qui, fi elapfi funt, ad fua redeunt: facile ergo intelliges, quid velit Iob, dum dicit: *militia eft vita hominis fuper terram* h. e. ftatis et determinatis conclufa periodis. Deus faepe fub fimilitudine fortiffimi pugnatoris et bellatoris exhibetur: *Dominus quafi vir bellator, omnipotens nomen eius:* haec dicuntur κατ' ανθρωποπαθειαν: dicitur *dormire*, quando impios non punit, aut pios contra impiorum obpreffiones non defendit: quando autem ad ultionem progreditur, dicitur expergifci; comparatur militi, qui epoto vino clamat, et ad iram adcenditur: dicitur indui veftimentis ultionis, et adfumere omnia inftrumenta; quibus occiduntur homines, et vocantur *vasa mortis*, funtque fagittae mortiferae. *Sagittas fuas ardentibus effecit* i. e. paravit fagittas fuas iis, qui me ardenter perfequuntur. *Sagittis petere* dicitur Deus, quum iudicia fua velociffime in impios exferit. Ultione abfoluta dicitur reverti cum veftimentis fanguine foedatis: *quis eft ifte, qui venit tinctus de Bosra;* dicitur *torcular calcaffe folus*, quum enim uvae orientalium potiffimum rubrae fint, foedantur veftimenta calcantium uvas.

Ornamenta maxima militis funt arma illius, et praefertim fagittae: his comparantur patrum egregii filii: Pf. CXXVI. *Sicut Sagittae in manu potentis, ita filii excufforum* i. e. filii in iuventute parentum nati: eos comparat fagittis propter robur et vigorem, et fenfus



eſt: ob numerum et corporis robur, velut Sagittae in manu potentis, terribiles erunt filii eorum, qui fuerant de terra ſua excuſſi et eiecti: et felix pater, qui his ſagittis pharetram ſuam, his filiis familiam ſuam repletam habet ☆ ſeq. בְּנֵי הַנְּעוּרִים ſunt filii in aetate vegeta geniti.

Specialiter Deo *ſagittae* tribuuntur, quibus magnae et improviſae calamitates divinitus immiſſae ſignificantur. Deut. XXXII 23. *Congregabo ſuper eos mala, et ſagittas meas complebo in eis* h. e. nullum erit calamitatis genus, quo eos non adfligam. *Haſta fulgurans* Deo tribuitur, qua, ſicut ſagittis, ſignificantur lapides grandinis cum fragore, tonitribus et fulgetris immiſſi. Habac. III *ibunt in ſplendore fulgurantis haſtae tuae.* Obſcurus locus habetur Pſal. XX. 12. *Quoniam pones eos dorſum, in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum* hebr. *in arcu denſo iaculaberis contra eos*: ſenſus eſt: in fugam coniicies, ſeu pones שְׁכֶם *humerum*, ſcopum, dorſum, in quem nim. ſagittas dirigas, *in* aut *cum funibus* (בְּמֵיתָרֶיךָ LXX vertunt: *in reliquiis* tuis; eſt enim a rad יָתַר *reliquum eſſe*) ſeu *nervis tuis praeparabis* aut diriges ſagittas עַל *contra* (LXX hoc neglexerunt ceu redundans, aut acceperunt pro articulo) *facies eorum* P. Smits exponit: per *reliquias* intelliguntur poſteri Davidis; per *vultum* phraſi ordinaria favor, benevolentia: unde: in poſteris Davidis praeparabis eorum, quos modo ingentiſſimis bellis adoriri oportet, animos et favorem conciliabis: hoc in Salomone inchoatum fuit; at in Chriſto Meſſia completum.

ARCUS et SAGITTA linguam maledicam denotant. Pſal. LXIV. 4 *quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum, rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum.* Vocat *rem amaram*; res amara vocatur venenum,

nenum, quo inficere ſolent ſagittas: *et ſagittae* verba maledica denotant. *In occultis* i. e. in inſidiis, occultis machinationibus. Et ℣. 8 *Sagittae parvulorum factae ſunt plagae eorum*: ſequitur explicatio: *et infirmatae ſunt contra eos linguae eorum*; nempe prioris hemiſtichii ſenſus eſt: plagae, quas iniqui inferunt iuſtis, nullius ſunt momenti, et ſimiles illis, quos debiles infantes ſagittis ſuis inferunt; unde eorum linguae ceu ſagittae iuſtis nocere non poterunt.

Clypeus ſumitur pro milite Ezech. XXVI. 8. *Et excitabit* (Vulg. *elevabit*) *contra te clypeum* h. e. militem clypeo inſtructum, eſt metonymia. item *clypei* et *ſcuta* principes et magnates deſignant, qui clypeorum inſtar ſubditos ſuos tutari et defendere debent. Pſal. XLVI. 10 *Quoniam Dii* fortes (hebr. מָגִנֵּי־אֶרֶץ *clypei terrae* i. e. principes, qui ſaepius Dii vocantur) *vehementer elevati ſunt.* Spolia hoſtibus erepta et diviſa ſpiritualem Chriſti adverſus Diabolum victoriam ſignificant. Iſ. LIII. 12. *Et fortium dividet ſpolia*, i. e. Diaboli et mortis. Nota phraſin: *animam alicui eſſe quaſi ſpolium*, eſt ex praeſentiſſimo mortis periculo ſe commiſit.

Stipendium, quod militibus dari conſueverat, peccati mercedem, quae mors eſt, ſignificat. Rom. IV. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita aeterna* i. e. bonorum operum, quae per gratiam exercentur, merces eſt vita aeterna.

Meſſias ubique ſub ſchemate alicuius magni herois deſcribitur a Moyſe incipiendo de ſerpente conterendo; phraſium ergo militarium notitia opus eſt: heinc illius hoſtes dicuntur devincendi *gladio oris ſui* i. verbo praedicationis; baltheus ſeu cingulum lumborum eius dicitur eſſe iuſtitia. Qui adhaerent Meſſiae, illi iubentur illius

 arma-



armaturam induere, ut fubfiftant contra fpiritus nequam, qui funt in aere. Arma haec funt *galea falutis*, *fcutum fidei* rel. omnia dona et lumina fortia.

Alia phrafis militaris occurrit Pfal. LIX. 6. *dedifti metuentibus te fignificationem* hebr. נֵס *vexillum*, fignum militare, quo in altum fublato concurrunt ad pugnam milites, et ad vincendum eriguntur: aut ut fequitur: *ut fugiant a facie arcus* i. e. ut hoc figno feu vexillo five in montibus five in turribus erecto populus fugere poffet, et in loco tuto fe recipere.

Ex adparatu militari variae natae funt phrafes. Pfal. CXXXIX *obumbrafti caput meum in die belli* i. e. pro clypeo aut caffide fuiffe contra inimicos, ficut caffis caput tuetur ab ictu: fic tu me protexifti. *Gladius* fignificat dolores acerbiffimos: *tuam ipfius animam pertranfibit gladius.* If. XXXIII 6 gladius Domini dicitur *impinguatus*, *incraffatus ex adipe et fanguinibus agnorum et hircorum*, qua metaphora occidendorum multitudo innuitur, quafi gladius ipfe adipem voraret, ex eaque impinguaretur. Per agnos autem, hircos et arietes plebeji homines, per unicornes, tauros ṽ. feq. magnates intelliguntur. Pfal. XXXIV 3 *effunde frameam* i. e. diftringe, vibra (irae et vindictae divinae fymbolum) *et conclude adverfus eos* i. e. obpone te, ne poffint irrumpere, praeclude aditum, ne ad me perveniant.

§. VII.

Hebraismi ex Orientalium veftimentis defumti.

Ut hebraismos ex re veftiaria derivatos bene intelligas, totum veftimentorum adparatum, ornatum, eorumque formam rel. rel. perfpectam habeas; de hac vide Calmet *prol. in Ifaiam.* Oriuntur *primo* loquendi

for-

formulae ex mutatione veſtimentorum, quae in calidioribus terris et apud orientales propter quotidianas lotiones, et abſtergendos ſudores frequens eſt. Heinc phraſis Iſ. XL. *mutabunt fortitudinem* h. e. novum robur, novas vires acquirent. Interitus alicuius rei et deſtructio explicatur per abiectionem veſtimenti veteris. Pſ. CI coelos inſtar veſtimenti a tineis corroſi veteraſcere, ait Cantor, et ita Deum facere poſſe coelis et terrae, ſicut nos facimus tunicae adtritae et a blattis adroſae. S. Paulus iubet nos abiicere opera tenebrarum, ſicut abiicimus veſtes veteres, et indui Ieſum C. ſicut veſtimentum, ita mores et vitam Ieſu Chriſti noviter adſumere. Alibi dicit: *oportet mortale hoc induere immortalitatem*, abjicitur mortalitas, ſicut veſtis, qua exuimur. Quum autem maxima immutatio hominis fiat per mortem, mors ipſa a ſ. ſcriptoribus venit nomine immutationis. Iob ait: *donec veniat immutatio mea:* latini dicunt: *donec vitam cum morte commutavero.*

Veſtes Orientalium, quum oblongae et talares ſint, ſinuoſae ſunt; ab hac ſinuoſitate hae phraſes profectae ſunt: *Oratio mea in ſinu meo convertetur* Pſ. XXXIV. cupio, ut oratio mea, h. e. quae illis precatus ſum, in caput meum recidant, ita ut *ſinus* pro *capite* ponatur. Sinus rebus accipiendis, portandisque adcommoda eſt; unde Pſal. LXXVIII *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*: ipſi mala ſinu ſuo excipiant, quae nobis inferunt; ubi enim veſtes laxae ſunt, omnia portantur ſinu: heinc metaphorice *in ſinum dari*, de quavis vel praemiorum, vel poenarum retributione adcipitur. Illud *ſeptuplum* eſt nota ſuperlativi, i. e. plurimum. Sic in geneſi ſub graviſſima poena, quae exprimitur per שִׁבְעָתַיִם Deus vetuit, ne occideretur Cain: ſic et res

 vel



vel actio saepius repetita seu iterata dicitur, repetita *septies*, posito numero definito pro indefinito. Quod retinemus memoria, dicimur portare in sinu. Ps. LXXX. 8 *Memor esto opprobrii nostri, quod continui in sinu meo*, quod circumfero. *Opprobrium gentium in sinu portare* seu *continere* est inlatas injurias patienter dissimulare, et in interiori pectore abscondere. *Excutere sinum* significat conlecta in sinu eijcere, et est signum eiectionis, reprobationis a Deo faciendae.

Orientales, dum domi se continerent, stragulam vestem fluere sinebant; domo exeuntes; aut aliquod negotium expedituri, ne longior vestis impedimento foret, sive fluentem reducebant, sive cingulo adstrictam coercebant. Heinc est, quod Christus dixit: *sint lumbi vestri praecincti* h. e. promti, parati estote ad opus aliquod cum singulari robore expeditius exercendum, ad Evangelium praedicandum: unde *cingulum, zona, baltheus* vocatur illud, quod expedit et corroborat hominem ad rem praeclare agendam: et quoniam *cingulum* firmiter adhaeret, ideo omnes bonae dotes animae, seu ut scholasticorum vox est, *habitus* nomine *cinguli* exprimuntur: sic etiam homines dicuntur praecingi a spiritu s., praecingi virtute i. e. donari, insigniri aliqua virtute et facultate munus expedite exequendi. *Gedeon* ut exequeretur caedem Madianitarum, corroboratus donis spiritus s. *induit eum spiritus Domini.*

Exempla psalmorum efficacissima sunt. Psal. XXXV. *induantur confusione et reverentia* h. e. pudefiant et probro adficiantur. Psal. LXIV. *Et exultatione colles adcingentur* i. e. frugum amoenitate et florum oculos oblectabunt: sic et latine vocamus laetos colles, ubi sunt

vineae;

vineae; prata rident rel. *induti sunt arietes ovium* h. e. oves adeo erant copiosae, greges multi, ut montes, in quibus errant, iis operirentur quasi vellere. Est prosopopoeia, qua metaphora significatur abundantia singularis, quae ex Dei benedictione provenit, lanarum copia, ex quibus conficiuntur vestes.

Vestitus Deo tribuitur, quo signatur infinita et admiranda eius maiestas, quae in magnis operibus se quasi conspiciendam hominibus praebet. Sic dicitur: *Dominus decorem indutus est*, quia Dominus et Rex est, per consequens praeditus potestate et maiestate regia. *Confessionem* autem dicitur induere, quando ab omnibus celebratur. De impio dicitur, quod *induerit maledictionem sicut vestimentum*, non qualecunque, sed sicut indusium, quod intime adhaeret; neque id quomodo cunque, sed sicut indusium praecinctum, et quidem quotidianum, seu *cingulum*, *quo semper praecingitur*, eiusmodi loquutiones maledictionem continuatam seu maledictionis efficaciam depingunt: q. d. interius et exterius maledictionibus repleatur, eique tenacissime inhaereant; ideo dicit, quod sicut oleum in ossa et medullas se insinuet. Econtrario sancti seu sacerdotes *induantur iustitiam* i. e. sint instructi scientia legis necessaria, ut alios docere eam possint. Iob XXIX 14 *iustitia indutus sum et vestivi me, sicut vestimento et diademate, iudicio meo* i. e. iustitia me totum quasi vestis obtegit: totus iustus eram, imo et in ea velut in corona aut diademate decus meum praecipuum collocavi. *Induendi* verbum plerumque emphaticum est, et significat re aliqua plane et undequaque repleri. Sic Iob. queritur c. VII. 5. *induta est caro mea putredine* (hebr. verme) cingebatur tanquam vestimento, et velut immergebatur vermibus.

Ve-

Velamen apud Orientales signum est pudefactionis, subiectionis. Abimelech Sarae dedit centum siclos, ut peplum emeret, in signum eam esse viro subiectam seu uxoratam: heinc in scripturis expandere alam vestimenti super mulierem, significat eam adsumere in matrimonium. *Ruth* dicere volens Boozo, ut uxorem se deligeret, ait: *expande pallium tuum super famulam tuam.* Ruth III 9. Quare velamen in tota antiquitate vocatum est *velamen dominicum*, quia signum potestatis viri ceu Domini et capitis in mulierem. Imo S. Paulus simpliciter illud vocat *potestatem* I Cor. I. 1 *Mulier in capite debet gestare potestatem* h. e. velamen, signum potestatis, sub qua est. Faciem velabant lugentes, damnati ad mortem, item illi, qui adstiterunt coram Rege, propheta, sene aut alia persona honorata, precaturi aliquid. Dum in synagogis suis orant iudaei, orant velati, quia pudefacti, verecundi coram Deo. Seraphim coram throno Dei velabant facies suas. Mulier non nisi velata in coetu comparere, et coram episcopis et sacerdotibus adsistere atque orare iubetur. *Rebecca* velavit faciem suam, quum occurrentem sibi Isaacum videret. *Ieremias* caput calamitatis in excidio urbis et templi paucis exponere volens, ait, virgines capite discoopertas et develatas per plateas discurrisse, quod in virginibus Orientalibus inauditum, nunquam visum est, quippe quae in interioribus domorum habitaculis semper abscondita sunt, et si eas etiam prodire contingat, velatae prodeunt: profecto calamitas extrema ingruerit, si aliter visae sint.

Iam ex his nascitur facilitas aliqua plura scripturae loca intelligendi: atque ipsi etiam psalmi adiuvabuntur v. g. quid sit opertum esse cilicio, habitu lugubri, atrato,

to, more lugentium, cinere conſperſum, incurvatum, ſacco indutum, in terram deiectum, quae omnia ſunt lugentium ſigna. Sic Iob I. dicitur ſcidiſſe veſtimenta, ſediſſe in terra tonſo capite, vulſis pilis; quia ſcindere veſtes, pilos vellere, ſignum maximi et intenſiſſimi luctus.

Inter alia ornamenta, quibus ſe ornabant mulieres, erant flores: unde cant. I. 3. *Caput tuum ut Carmelus* i. e. ornamentum capitis tui velut ſertum eſt ex variis Carmeli floribus contextum. Alii ad purpurarum piſcationem ad montis Carmeli radices uberrimam adtendentes, interpretantur: *caput tuum coccineum* h. e. Caeſaries capitis tui pulcherrima eſt quaſi purpura regis, quae ut colorem ſuum diutius retineat, firmiter adligata eſt in purpurariorum canalibus, ut iterum melius et penitus tingatur: unde illud: *purpura regis vincta canalibus.* Sic cap. V. 11 *Caput eius* (ſponſi) *aurum optimum*, h. e. corona capitis eius ex auro optimo confecta eſt. Eodem modo intelligenda ſunt ſecundum nonnullos, quae de *femoribus, umbilico* et *ventre ſponſae* dicuntur c. VII quaeque ad earum corporis partium ornamenta pertinent. Huc etiam referri poteſt illud Iſ. XL. 16 *Ecce in manibus deſcripſi te* h. e. annulo, manus meae ornamento, in quo inſculpi olim ſolebat imago illius, qui prae aliis diligebatur.

Calcei infimum indumentorum genus; quum tamen duobus in locis eorum Pſaltes meminerit, praetereundi non ſunt. *Primo* in ſignum venerationis depoſiti ſunt, dum ſacer locus calcandus: ſacerdotes in templo excalceati miniſterio ſuo functi ſunt: quia vero et veſtes lineas adhibuere,, incommodis multis hyemis tempore expoſiti fuere. Excalceatio in leviratu ſignum obprobrii

ex

ex lege Moysis: si enim levir esse non vult, et demortui fratris sui uxorem sibi matrimonio iungere detrectat, mulier in iudicio eum excalceat, et in faciem spuit. Difficilius est illud Amos II Magnum Israelis peccatum, quod vendiderit pauperem pro calceamentis. Habet respectum ad venditiones et emtiones agrorum, quae fiebant traditione calceamentorum. Vid. Ruth IV. Quid igitur est *vendere iustum pro calceamento*? ℞. est eum ita obprimere in iudicio, ut cogatur vendere possessiones suas. Quae phrasis ideo notanda, quia passim in aliis prophetis reperitur, occulta tamen et aliis verbis facta. Psal. CVII dicitur: *in Idumaeam extendam calceamentum meum*, ad ea, quae iam diximus, respicit, et significat: *occupabo Idumaeam*, et iure dominii possidebo. Ex his deductae sunt sequentes

Phrases: *Calceamenta alicuius portare, corrigeam eorum solvere*, infimum ministerium designat: locupletissimae foeminae habebant ancillas, quae calceos herae in thecis gererent, quae vocabantur *sandali gerulae*, quia foeminae magnam cultus sui partem in calceis ponebant. Huc spectare videtur S. Ioannes Baptista, qui sese indignum gerendis aut solvendis Christi calceis adpellat, quo nimia eius humilitas designatur.

§. VIII.

Hebraismi Geographici, seu ex ipsa Chanaanitide nati.

Si ex ritibus, consuetudinibus, et moribus populi israelitici tot phrases et loquutiones trahi demonstravimus: quomodo ex ipsa terra Chanaan, situ, fluminibus, montibus, sylvis, pascuosis locis, collibus balsamicis, aromaticis phrases duci negabimus, phrases, in-

quam

quam, geographicas? heinc de hebraismis geographicis agemus, de reliquis in feqq. *A flumine usque ad flumen, a mari usque ad mare*, faepe haec defcriptio in pfalmis legitur, et nifi fciatur fitus Chanaanitidis, eius vis intelligi non poterit. Flumen enim κατ' ἐξοχὴν eft *Euphrates*; continebatur regnum Salomonicum ab Euphrate usque ad mare occidentale, ad quod eft Archipelagus, feu a mari usque ad mare, h. e. a mari Idumaeo usque ad mare philiftaeum, quia tanta fuit longitudo terrae Ifrael. Ab occidentali plaga Chanaanitis refpiciebat Graeciam: Graecia in fcripturis, praefertim propheticis venit nomine infularum, quia Archipelagum omnem complectitur; et iterum nomine graecorum fignificantur gentiles populi, ideo in pfalmis facile intelligitur, quid fignificent hae loquutiones: *infulae munera offerent ei: laetentur infulae multae* h. e. populi Graeciae, gentiles populi tempore Meffiae felices erunt, quia ad fidem et Evangelium convertentur.

Fuit Chanaanitis maiori ex parte montofa; altiffimi montes fuerunt *Libanus*, mons *Bafan*, *Carmel*, *Galaad*, *Selmon*, *Hermon*: hi montes vocantur *montes Elohim montes Dei* h. e. altiffimi montes. *Elohim* eft nota fuperlativi apud hebraeos, uti per vocem כתר feu *corona*; per vocum geminationem exprimunt fuperlativum: fi ergo audiveris *coronam fuperbiae Ephraim*, fcias Ephraimitas effe fuperbiffimos; *flumina Elohim*, flumina rapaciffima; *populus Elohim*, populos potentiffimos: *benedices coronae anni benignitatis*, vide fupra, dabis fructus uberrimos rel. *Corona gloriae* eft maxima gloria, *corona patrum* egregii filii, morigeri. *Corripiendo corripieris* graviffime corripieris. Quia vero montes Elohim, montes altiffimi feras beftias alunt, urfos, leones, et propterea formidabiles fiunt: heinc populi feroces caedibus, rapinis

et



et praedis adſueti vocantur *montes Dei.* Sic Moyſes narrat, obriguiſſe montes, quum qopulus Iſrael ex Aegypto egreſſus eſſet, h. e. populos alioquin ferociſſimos animo concidiſſe, quum audirent, quae fecit Deus populo huic. Et hoc ſignificat, quod dicit alibi: *Montes ſicut cera fluxerunt*, quia, qui metuit, illius compages diffluit, ſolvitur ſicut cera aut aqua cuius partes non cohaerent. Pſal. LXXV. 5 *Tu mirabiliter inluminans a montibus aeternis.* *) Hebraei loco comparativi ponunt praepoſitionem מִן *prae*, latine ergo ſic efferes: Tu o Deus! *es inluſtrior montibus aeternis.* Qui ſunt montes aeterni? Sunt principes, Reges: inluſtrior es Regibus potentiſſimis. Aut inſiſtendo phraſi ſcripturae, quo *lumen* benevolentiam, gratiam, et *inluminare* gratiam conferre, benevolum ſe exhibere, ſignificat, hic prodit ſenſus: miram ac potentiſſimam opem *a montibus aeternis* i. e. a coelo nobis praebes; aut *a montibus aeternis*, a monte ſancto tuo, Sion, a montibus Iudaeae, qui phraſi ſcripturae ob eorum antiquitatem et firmitatem *aeterni* aut antiqui

*) Multum heic differt hebraeum, ſed, ut putat Calmet, vitiatum: ita habet: אַדִּיר מֵהַרְרֵי־טָרֶף נָאוֹר אַתָּה Quod Aquila: *inluminatio tu praegrandis a montibus capturae.* Symm. *Inluſtris es praegrandis a montibus venationis.* Theod. *terribilis es mirabilis a montibus fructiferis.* Hieron. *Lumen tu es magnifice a montibus captivitatis.* Recentiores *Inluſtris tu o potens*, *prae montibus praedae* h. e inluſtrior et potentior es regnis praedonum ſeu impiorum, quorum bella iniuſta, publica ſunt latrocinia, cur LXX טֶרֶף interpretati ſint *αιωνιων* non video, niſi forte aliter in ſuis exemplaribus legerint, aut crediderint vocem טָרֶף nullum ibi ſenſum commodum gignere, ſicque de ſuo verterint, *a montibus aeternis*, quod non ſemel praeſtiterunt. Forte etiam interpretati ſunt ΑΛΩΣΕΩΝ *capturarum*, ex qua voce ſemel lecta amanuenſes fecerunt ΑΙΩΝΙΩΝ. Suſpicatur Richardus Cinnomanus LXX legiſſe קֶדֶם *ante*, et perſpicuitatis ergo dixiſſe pro *a montibus ante*, *a montibus aeternis.* Aut legerunt קֶדֶם, *ante*, quod ſaepe pro aeternitate venit.

tiqui adpellantur. Vid. Deut. XXXIII. 15. Baruch. V. 7.

Montes pascuosi: omnes fere montes terrae Israel fuerunt pascuosi, paucis exceptis, qui erant steriles; inde Cantoris hyperbole: *suscipiant montes pacem populo*, notat felicitatem ingentem, quasi ea in montibus et collibus nasceretur, non sata, sed sponte proveniens: adludit ad tempora regni Salomonis, q. d. pacis et iustitiae erit plurima abundantia. Simile habes Ioel III. 18 *stillabunt montes dulcedinem*, sicut in illis crescunt pascua alta et pinguia: habuerunt enim montes hi statis temporibus suas pluvias, et rorem subtilissimum; unde in psalmo dicitur Deus ipse *praeparare montes*, ut sint pascuosi; quia inebriat eos rivis seu pluviis, iisque non inutilibus, sed pinguissimis: ideo pluvias has vocat *flumen Dei*, seu potius ipsas nubes sic vocat, quia effundunt has fluvias: ideo statim: *induti sunt arietes ovium*, quia ubi copiosa crescunt gramina, ibi etiam greges ovium et armentorum errant, et quidem in tanta copia, ut montes videantur tecti et cooperti quasi quodam operimento seu vestimento: heinc dum montes dicuntur *subsilire*, *subsultare*, id de vitulis intellige, qui pascuntur ibi. Si audias montes *adcingi exultatione*, id de pastoribus intellige, qui cantant et gaudent propter copiosum lac, butyrum, et coagula, quia pastorum deliciae coagula: et in prophetia Iacob dicitur: *Pulchriores sunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores*: de abundantia vini et lactis loquitur in tribu Iuda, quia vinum oculos lucidos, hilares, coagula multum et saepe comesta dentes albos faciunt.

Mons pascuosus, mons *Mitzar*, et tota Regio Chermonaea: de monte *Mitzar* Psaltes ait: *memor fui*, aut



memor ſum, pro ero, *Hermoniim a monte* מִצְעָר *Mitzar* Vulg. *modico* *) h. e. memini ſaepe regionis Chermonaeae et montis *Mitzar*; neque enim redditur adpellative, ſed manet proprium. Fuit mons iſte paſcuoſiſſimus, quia valde irriguus; heinc ſubdit: *abyſſus abyſſum invocat:* ſcaturiebant heic aquae, et harum per rivulos decurrentium ſuſurri iucundiſſimo murmure reſpondebant ſibi; heinc gramina, herbae uberrimae, et gregibus ſaluberrimae. *Abyſſus* heic et ſaepius in ſcriptura pro aquis ſumitur; ſenſus itaque eſt, ibi in illis montibus tempore aeſtatis volupe eſt videre aquas decurrentes, et ſe excipientes cum amoeno ſuſurro: eſt deſcriptio poetica. Sequitur: *omnia excelſa tua et fluctus tui ſuper me tranſierunt;* heic loquitur de pluvia, ex qua fit, ut pone tranſeant iſti fluctus; et illud *ſuper me*, intellige *iuxta me*, fluctus maris propter ſuum impetum calamitates denotant. vide ſupra.

Tota regio Baſanitidis, et peculiariter mons *Selmon* et mons *Baſan* paſcuoſiſſimus fuit. Pſaltes vocat eum montem *pinguem*, quia paſcuis refertiſſimus; *montem Dei* i. e. praeclarum, ut ſupra, *montem coagulatum*, quia in eo multa fiebant coagula; denique montem, qui non debet deſpici et vilipendi; ſicut neque montes *Selmoni* vicini, quia in iis lac, butyrum, caſei optimi et celebratiſſimi: ſunt ergo duo ſynonyma: *pinguis* et *coagulatus*. Confert heic Pſaltes montem Baſan, aliosque montes celſiſſimos cum monte *Sion*, qui, licet altitudine

*) Eſt heic *topographia* ſeu loci deſcriptio, quum adcuratius deſcribitur locus, et oculis quaſi videndus exhibetur: per terram *Iordanis* intelligit Iudaeae terminum Orientalem; per montem *Hermon* ſive *Hermonim* aut Hermoniim Aquilonarem: denique per *montem modicum* (Mitzar) montana deſerti, quibus terra Iſraelitica a deſerto Aegypti ad Auſtrum diſterminabatur.

ne ipsis cedat, eos tamen dignitate longe superat, utpote quam elegerit Deus, ut habitaret in eo: *ut quid suspicamini montes coagulatos* ? LXX vocem בָּשָׁן *Basan* pro *pingui* metaphorice sumserunt: Propheta foeminis Samariticis, quae maritos inducunt ad ferendas sententias iniustas propter pecuniam, his cominatur: *Audite vaccae Samariae:* sicut homines feroces dicuntur tauri *Basan*, sic foeminae crudeles *Vaccae Basan.* Erat praeterea mons *Basan* sylvosus; heinc quercus Basan erant pulcherrimae; quia vero fuit altissimus, cacumen plerumque nivibus tectum fuit; heinc in Psalmo: *Nive dealbabuntur in Selmon* i. e. obtinuistis Selmonem, qui est mons nivosus seu nivibus semper candidus. *) Propheta ait : *ululate quercus Basan* i. e. homines, qui omnia suis adscribunt viri-

*) Versus 15 psal. LXVII quum obscurus valde sit, expositionem heic inferendam exposcit. *Dum discernit coelestis Reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.* Discernit i. e. segregat: in hebraeo est verbum פָּרַשׂ *paras*, quod primo *expandere* significat. q. d. dum expandit seu expandebat velut nubem Reges *super eam* i. e. in ea quasi nix candidi effecti sunt: atque ita elegans habetur allegoria a nube ningente, ac terram candidam reddente: *nive dealbabuntur* i. e. grata et iucunda erit *supple* terra illa, *metonymice* pro incolis; sicut enim regio atra et tenebricosa incolis suis tristitiam adfert; ita e contrario, quum albet, habitatores suos laetificat. Vel per albedinem heic terrae huius fertilitas significatur. In *Selmon* i. e. nivescet h. e. albescet sicut nix, quae est in monte Selmon. Sensus totus est: dum a circumvicinis hostibus suis obprimerentur, segregabit illis Deus de populo principes et iudices, quibus protecti, et velut nube obtecti pristinus in adflictionum caligine stillabatur candor, dabaturque libertas. Respicit Psamista historiam *Iudicum*, per quos saepissime liberati sunt Israelitae: quia tamen modico tempore haec libertas subinde durabat, recte candori nivis, rei admodum evanidae, comparatur.

viribus, qui videntur sibi immortalitate digna gessisse, et se omnia sine Deo posse existimant. Amos IV; *Audite verbum hoc vaccae Basan, quae estis in monte Samariae* h. e. regni Samariae primores, qui tanquam vaccae in Basan enutritae, proindeque pinguiores, et ob id petulantiores, potentia vestra abutimini, dum *calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes.*

Alius mons pascuosus *Galaad: meus est Galaad, meus est Manasses:* gratulatur David, quod et vallis *Succoth*, et *Galaad* et *Manasses* et *Ephraim* sui iuris facti fuerint. Pars Chanaanitidis fertilissima et uberrima pascuorum, quia ibi fruteta seu dumeta et resinosa et aromatica, et pectendae lanae aptissima. Heinc morbus dicebatur desperatus, cui non erat resina in Galaad; quia resina Galaaditica medebatur morbis et vulneribus. Lanae autem Galaaditicae lanae optimae, quia inter dumeta pectebantur oves, et tingebantur lanae Galaaditicae diversis coloribus. In canticis describitur venustas *Sulamitidis*, et pili eius comparantur lanae caprarum Galaaditicarum.

Alius mons celebratus in Psalmis mons *Hermon*, et ex parte pascuosus: ibi enim ros subtilissimus, ut colligitur ex Psal. CXXXII *sicut ros Hermon* *) vult enim Psaltes doctrinam legis, quae debet esse in sacerdotibus, derivari debere in populum, ut ceu ros *Hermon* influat in animos audientium; et sicuti ex rore ubertas nascitur in agris et pascuis; sic ex doctrina nascatur uberrima san-

*) In hoc versiculo vocula *ros* bis est repetenda hoc modo: *sicut ros, qui descendit in Hermon*, et sicut ros, qui descendit in Sion; alias enim esset ridiculum, ut ros ex Hermon descenderet in Sion. Rorem autem dicunt iudaei pro omni re delectabili, et grata, praesertim quum in Iudaea dependeat terrae ubertas et fertilitas ex rore iuxta illud: *de rore coeli et pinguedine terrae* rel.

ſanctitas in vita et moribus recte credentium. Eſt ſimilitudo ſumta a rore, qui montem Hermon, et qui montem Sion rigat, et foecundum reddit.

Inter omnes autem montes celeberrimi ſunt *Carmel* et *Libanus*. Libanus cedri et abietum, et altiſſimarum arborum feraciſſimus eſt: heinc, qui a Deo plantati ſunt et rigati, illos Pſaltes ait creſcere ſicut Cedros Libani, quia ipſorum fortitudo Deus eſt, ipſos Deus facit germinare, ut ſemper virides ſint et pingues, ſicut Cedri. Alias Eccleſiam Iſraeliticam comparat arbori, quae ramos ſuos, ſicut cedros extendit, et palmites usque ad mare, et propagines eius usque ad Euphratem miſit. Alibi homines potentes cum cedris Libani comparat; at niſi Deo nitantur, confractum iri dicit, ſicut cedri Libani fulmine ictae intereunt. Diximus etiam homines fortunis, robore, auctoritate potentes paſſim vocari *quercus Baſan*, *Cedros Libani*. cet. Templum Ieroſolymitanum ſynecdochice dicitur Libanus, quia cedri, quibus opus erat in aedificio templi, de Libano ſumtae ſunt: *aperi Libane portas tuas*, *ut edat ignis cedros tuas*, praedicit excidium templi.

Carmel mons eſt paſcuoſiſſimus, et frumenti feraciſſimus, atque hoc nomine celebratiſſimus, quia ibi ſegetes et vites et paſcua. Iſ. cap. X. ait: *et gloria ſaltus eius et Carmeli eius*, *ab anima usque ad carnem conſumetur:* loquitur de exercitu Sennacherib h. e. nobiles et plebeji, qui ſe e ruſticis adiunxerunt exercitui Sennacheribico, comburentur totaliter: nam quum Carmel ſit locus conſitus frumento et vitibus, obponitur ſylvae, aut aliis locis, ubi ſponte arbores naſcuntur; heinc nobiles cum Carmelo, plebeji cum ſaltu comparantur. Illud autem hebraicum מִנֶּפֶשׁ וְעַד בָּשָׂר *ab anima usque ad*



nem habet ſimilitudinem phraſeos in noſtra Teutonica: mit Leib und Seel.

Phraſis. Auferri laetitiam et exultationem de Carmelo ſignificat devaſtationem, ſterilitatem, famem. Alia phraſis prophetica: *Convertetur Libanus in Carmel, et Carmel in ſaltum reputabitur:* Libanus pro ſuperbis propter cedros, *Carmel* pro humilibus propter ſativa adcipitur. Iſ. X. 18 *et gloria ſaltus eius, et Carmeli eius,* prius dixerat; *et devorabitur ſpina eius et vepres,* per to *ſpina* intelliguntur Maiores exercitus Sennacherib, et per to *vepres* minores, gregarii milites, heic per *ſaltum* exprimit Sennacheribi exercitum; et *gloria ſaltus eius* ſunt Principes et duces ſui exercitus. *Gloria Carmeli eius* ſunt acies bellatorum. Iſ. XXXII. 15 *Et erit deſertum in Carmel* h. e. loca etiam inculta erunt plena ſegetibus, ſicut ſylva arboribus; aut ſicut dicitur: *florebunt de civitate, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius* Pſal. LXXI. 16. In civitate erit abundantia, in montibus ſegetes, ſicut ſponte naſcentia gramina, et poſſunt comparari Libano propter magnitudinem. Eſt hyperbole ad pinguem, uberemque ſegetem denotandam.

At quomodo intelligendum illud; *paſce habitantes ſolos in ſaltu, in medio Carmeli?* Mich. VII. 14. ℞ ita exponendum eſſe: Deus paſcet ſuum populum habitantem in ſaltu, ubi alias ſunt ferae noxiae, urſi, leones paſcet, inquam, eos et ſecuros reddet, tanquam ſi in medio Carmeli, locis videlicet ſativis, et quae ſunt ſecura a leonibus, habitarent. Humiliores terrae, paſcuoſae tamen in terra Iſrael ſunt *Saron,* regiones cis et transjordanae: et quidem regiones ripenſes paſcuis abundantiſſimae ſunt, quia ab Iordane inundantur, et inun-

inundatione verna, ubi aquae ripas egrediuntur, foecundantur.

Saron locus planus et pascuosus, in quo optima reperiuntur pascua. Heinc facile colliges illud Isaiae: *factus est Saron in desertum*, intelligendum est de hostili vastatione et desolatione, quae contigit per exercitum Assyriorum. Econtrario illud: *Gloria Libani data est ei decor Carmeli et Saron* de felicitate et restitutione ad pristinum statum gloriosum intelligendum est.



CAPVT II.

Hebraismi nitidiores sub figurarum titulos relati.

Hebraismorum origines hactenus spectavimus, et scrutati sumus, ubi non solum mores Orientalium, ritus et consuetudines politicas et sacras examinavimus, sed ipsam etiam Chanaanitidem, montes, maria, flumina, loca pascuosa, vitifera, aromatica percucurrimus, et quae ex iis natae sunt loquutiones, demonstravimus: Nunc sententias, et modos eas eloquendi non ita obvios, sed Orientalibus proprios colligimus, eosque sub certos figurarum titulos redigimus. Et quia huiusmodi loquutionibus omnes libri sacri pleni sunt, antequam istos libros sacros ad manus sumas, hos rite perspectos habeas oportet, maxime, quia non figuratam solum, sed et grammaticalem seu simplicem syntaxin, regulasque scitu necessarias addidi, quibus bene cognitis,



memoriaeque commiſſis ſacrae linguae adparatum, et ſ. ſcripturae intelligentiam ampliſſimam tibi comparabis.

§. I.

Hebraismi Anabathmici.

Anabathmus. Iſte eſt modus loquendi Orientalium, aut aſcendendo, aut deſcendendo absque expreſſione graduum, ita ut gradus ſummus et infimus idem ſignificet, quod gradus ille, unde aut aſcenſio aut deſcenſio incepta eſt. Elegantiſſimum exemplum habes *in Iſ. X. 19 Et puer ſcribet eos.* Loquitur propheta de exercitu Sennacherib per angelum nocte una delendo: quaeritur nunc *de reliquiis ſaltus eius*, quot poſt cladem hanc ex Aſſyriis ſuperſtites manſerint? reſpondet propheta: *puer ſcribet eos*: anabathmice facile ſcies: Qui ſcribere didicit; coepit a litera omnium minutiſſima et facillima; litera omnium minutiſſima eſt litera י *Iodh; Iodh* apud hebraeos eſt decem: ergo puer ſcribens reliquias Sennacherib ſcribit י *Iodh*; ergo י ſeu decem remanſerunt poſt caedem ab Angelo inflictam.

Aliud exemplum ex pſalmis. Pſal. LXV. 3. *Mentientur tibi inimici tui*: eſt perfectiſſimus anabathmus; quia primum inimici ſubjiciuntur; ſubiecti rediguntur in ſervitutem; ſervitutem aequo animo non ferunt: non ferentes ſervitutem agitant conſilia de ſe eliberandis; agentes haec conſilia fingunt obſequia, quae deteſtantur: ergo *mentiri* et *ſervitute ſubjici* ſunt ſynonyma; eſt enim vere ſervile vitium; itaque inimici ſe tibi ſubmittent, verum duplici corde, ſimulata erunt et doloſa eorum obſequia et officia; mentientur, et primo quoque tempore a te deficient. Sic et Pſal. XVII. 46 *filii alieni mentiti ſunt mibi.*

Aliud

Aliud exemplum Pſal. XVII. *Adipem ſuum concluſerunt*: quaeres, quales ſint illi homines? חֶלְבָּמוֹ סָּגְרוּ reſpondeo conſtanter divites, ſeu ut ait propheta, ſunt tales homines, qui incubant faecibus divitiarum; quorum enim ſunt opes avitae et longaevae, eorum vita conſtanter lauta eſt; quorum vita lauta eſt, eorum adeps creſcit, et magis ſurgit quotidie; quorum adeps quotidie ſurgit altius, eorum oculi ita clauduntur adipe, ut vix adpareant: ergo qui adipem ſuum concluſerunt, illi ſunt homines opulenti: qui anabathmus eo firmior eſt, quo evidentior in Iobo XXI *viſcera plena ſunt adipe* h. e. opulenti ſunt. Et in alio pſalmo: *prodiit quaſi ex adipe iniquitas* h. e. iniquiſſimi ſunt; iniquitas eorum ex animo obfirmato in malo, et inſenſibili procedit: adeps enim ſeu pinguedo omni ſenſu deſtituitur. Pſal. X. *Palpebrae eius interrogant filios hominum.* Haec dici poteſt ſorite hebraica, his conſtans gradibus: qui vult iuvare, ille veſtigat, ut cognoſcat, quem et qua ratione poſſit iuvare, qui inveſtigat, ille examinat; qui examinat, ille interrogat: ergo interrogans, eſt iuvare cupiens.

Pſal. XV. 7. *Increpuerunt me renes mei* hebraismus anabathmicus his conſtans gradibus: Qui inſtituit, monet; qui monet increpat; ergo qui increpat, inſtituit: hic inſtitutor eſt Deus, qui interius docet ſcientiam, miniſtris ſuis ita neceſſariam, ut ſine hac miniſterio ſuo fungi nequeant: ergo tunc increpantur renes mei, dum Deus me interius inſtituit. Pſal. LXIV. 7. ait David: *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio:* qui decipere volunt, ſtudent ita agere, ut alter, qui decipi debet, non advertat artificia; ut non advertat, abſcondunt artes et machinas; dum abſcondunt, auferunt et ſubtrahunt ea oculis; quae ſublata ſunt, deficiunt: ergo qui defe-



cerunt, hi iidem deceperunt. Tale eſt quoque illud Pſal. LXX. 15 *Quoniam non cognovi literaturam:* Numeri hebraeorum ſunt literae hebraeorum: ergo quem deficiunt literae in ſcribendis beneficiis, illum deficiunt numeri in computandis beneficiis: ergo qui non cognoſcit literaturam, non poteſt computare beneficia Dei: et hic ſenſus eſt genuinus: dicit enim Pſaltes: iuſtitia tua, et ſalutari tuo, de quibus loquor, obvenere mihi tot beneficia, ut non cognoſcam *literaturam* i. e. numerum eorum.

Elegans quoque habetur anabathmus ſupra §. V in ritibus convivialibus expoſitus, ubi dicitur, *convivari, paciſci, dare manus, ſaturari pane* eſſe ſynonyma. At omittendum non eſt, quod habetur Pſ. II in hebraeo legitur: נַשְּׁקוּ־בַר *oſculamini filium*, in latina: *adprehendite diſciplinam* ex lectione LXX. Anabathmice ambas lectiones conciliabis: qui aliquem cognoſcit ut Regem ſuum, ille ei praeſtat homagium; qui praeſtat homagium Regi, ille apud Orientales ritu patrio oſculatur regem, qui oſculatur Regem, profitetur ſe regis ſubditum; qui eſt ſubditus, adprehendet praeſcriptam a Rege diſciplinam: ergo oſculans filium, et adprehendens diſciplinam ſunt ſynonyma. Pſal. CXVIII. 82 *Defecerunt oculi mei*, i. e. ſperavi: qui enim ſperat, ille oculos in coelum tollit et levat, iuxta illud: *ad te levavi oculos meos;* qui inceſſanter oculos levat in coelum, huius oculi deficiunt: ergo cui deficiunt oculi, ille ſperat. Sic item *levare capita* ſignificat ſperare.

§. II.

§. II.

Hebraismi Anchiſtici.

Anchiſtiam praeprimis obſervandam eſſe ajo in libris metricis, maxime in pſalmis. Eſt autem *Anchiſtia*, qua vox aliqua ad omnes alias cognatas et connexas ſignificationes extenditur; ſic verba intellectus transferuntur ad actiones voluntatis. Hoc ſenſu dicitur: *amen dico vobis neſcio vos* h. e. non amo vos. Sic Prophetae dicuntur *Videntes*, quamvis hac voce: videre, ſolae actiones oculi ſignificentur. Exemplum celebre anchiſtiae habemus Iſ. XIX. 17. *Et erit terra Iuda in pavorem* hebr. חָגָּא S. Hieronymus magnus ille doctor pulcherrimum interpretis exemplum reliquit: quum enim vocem חָגָּא vertiſſet *pavorem*, dein ait, vertendum eſſe *feſtivitatem*, idque ne in errore erubeſcendo perſiſteret, ut ipſe ſcribit: bene tamen vertitur *in pavorem*. Nam חָגָא ſignificat circumgyrationem, qualis cernitur in choreis: haec circumgyratio tribuitur ebriis Pſal. CVI. *Turbati ſunt, et moti ſunt ſicut ebrius* יָחֹגּוּ unde infertur magnus timor, ut neſciant pedem figere, ſed in rotam aguntur vertiginoſi.

Aliud exemplum Anchiſtiae ex Iſ. I. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum*, cognoſcere pro *parere;* vox enim hebraica יָדַע per anchiſtiam ex ſua prima ſignificatione ad omnes vicinas, ut diximus, et coniunctas extenditur. Ex notitia ſententia, ex ſententia oritur adfectus; heic autem, quum de bruto ſit ſermo, nil niſi parendi facilitas intelligi poteſt. Alibi *cognoſcere* pro *amare*, *probare* poſitum invenimus, et pro obedientia rationalium. Pſal. I. eadem vox habetur; *quoniam novit Dominus*



nus viam iustorum, transfertur יוֹדֵעַ verbum intellectus ad voluntatem. Deus dicitur viam iustorum nosse, dum eorum vitam et mores probat, charam habet, atque favoribus suis prosequitur. Ex quo vides, hebraeos non ita distinguere mentis actiones, ut suum cuique vocabulum adsignent; et inde fieri, ut *scire* sit velle, *ignorare* sit nolle; item *scire* sit praevidere, et *ignorare* idem ac non providentem esse. Ex hac significationis extensione Psal. XXXV *ignorare* significat, *non habuisse unquam animum* vel *cogitationem aliquid faciendi.* Psal. XXXVIII *silui a bonis:* silere a bonis apud hebraeos transfertur ad quasvis alias res, quas non sentimus, quibus non fruimur; heinc *silere a bonis* est carere omnibus consolationibus, cet.

Per eamdem anchistiam adfectus pro adfectu ponitur. Psal. IV *irascimini* significat commotionem aliquam in genere seu irae, seu timoris illa sit: idem ergo est in hoc psalmo: *irascimini* ac dicere: moveamini his argumentis, o vos contradictores, ad suscipiendum Regem Davidem, et *nolite peccare* peccato seditionis. Sic Psal. VI *furor* pro *dolore* sumitur; quia cognatae sunt significationes. Item pro *moerore* seu quacunque passione alia, quae hominem excruciat: ponitur etiam causa pro effectu; quia tunc Deus dicitur furere in nos, dum ea, quae nos cruciant, inmittit. Saepe hoc sensu dicitur Deus furore repletus, dicitur pharetram suam implevisse sagittis furoris sui, quae sunt merae loquutiones tropicae, et significant, homines adtritos esse poenis et suppliciis a Deo missis. Psal. XVII Davidis inimici dicuntur esse *inveterati*, ubi significatio extenditur ad homines contabescentes: et quia alia est tabes senilis, alia tabes servitutis, utraque hoc vocabulo notatur. Psal. XXIII

ad-

adcepit animam ſuam in vano: Anchiſtia eſt, quia hebraicum שוא *vanum, vanitas* trahitur ulterius ad ſignificationes harum vocum: *fraus, dolus, nequitia* h. e. toto animo inimici mei feruntur in fraudes, et in fabricandas technas contra me. Pſal. XXXI. *Nec eſt in Spiritu eius dolus* vox רמיה *dolus* anchiſtice extenditur, quia vocabulum *doli* eſt vicinum omnibus vocibus, ſignificantibus dubitationem, ambiguitatem, timorem: ſic: *non eſt dolus in ſpiritu* h. e. non haeres, non timeo, non ſuſpicor poenam, quia Deus eam remiſit.

Visus ſeu *videre* anchiſtice pro *audire, percipere, experiri.* Exod. XX. 18. *Cunctus autem populus videbat voces ſeu tonitrua . . . et ſonitum tubae* i. e. percipiebat, ſeu audiebat, ſic *videre ſomnum* eſt dormire. *Videre corruptionem* eſt eam ſentire, ſeu ipſi obnoxium eſſe. *Videre mortem* i. e. mori. In magnarum rerum promiſſionibus *videndi* verbum adhibetur, eoque experientia innuitur. Iſ. LIII. 11 *videbit et ſaturabitur* h. e. abundantiſſimum animae ſuae laboris fructum, nempe multorum ſalutem, quae ipſi laetitiam ad ſatietatem usque adfert, intuebitur Chriſtus. Idem verbum ad mentis facultates translatum, et quidem ad intellectum ſignificat cognoſcere, ſeu intelligere: Gen. XLII. 2. *Videns* (audiens) *autem Iacob, quod alimenta venderentur in Aegypto.*

Voluntas labiis tribuitur Pſal. XX. 2 et *voluntate labiorum eius non fraudaſti eum,* i. e. id quod labiis expetivit, non negaſti. Verba *intellectus* transferuntur ad voluntatem. Pſ. XL. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum et pauperem* i. e. qui prona voluntate ſuccurrit, bene vult pauperi. Sic et illud: *in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos* i. e. manu benefica. *Intellectus bonus omnibus facientibus eam,* i. e. bonus ſucceſſus.

Eſt



Eſt etiam quaedam Anchiſtia alia, quae etſi non extendat ſignificationem, ſed potius reſtringat, tamen inter cognata manet. Ut *nuditas*, *nudum eſſe*. Sic Propheta iubetur nudus incedere h. e. pene nudus, ut ſolent captivi. Sic Ioannes dicitur veniſſe *neque manducans*, *neque bibens* h. e. parum admodum manducans, et agreſti victu ſeſe parce ſuſtentans. Sic verbum *poſſidendi*, quod generale eſt, accipitur pro poſſeſſione, ſeu acquiſitione per genituram: *poſſedi hominem per Deum* Gen. IV.

§. III.

Hebraismi Pleonaſtici.

Pleonasmus figura eſt, qua verba aut ſententiae in oratione abundant: neque tamen omnino otioſa ſunt ac inutilia, quae repetuntur; ea enim *vel* rem plenius exponunt *vel* emphaſin indicant, *vel* adfectum dicentis arguunt, *vel* diſtributionem exprimunt, *vel* denique pertinent *ad eloquutionis varietatem medentem faſtidis*, *non ad diverſitatem ſententiarum*, inquit S. Aug. in Pſal. CIV. Ille autem pleonaſmus ſeu repetitio ſit vel penes *verba* ſeu *voces*, vel penes *ſenſum*. Penes *verba*, quum eadem vox vel plures repetuntur; penes *ſenſum*, quando eadem ſententia iteratur, vel per ſynonyma adfirmantia, vel per ſynonyma obpoſita, et negantia, vel per ſynonyma *exegetica* h. e. figuratam loquutionem explicantia. Sic Pſal. VII. 15 *Ecce parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem* ℣ 16 *lacum aperuit, et effodit foveam, quam fecit* ℣ 17 *convertetur dolor eius in caput eius, et in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Ultimus hic verſus, praeter pleonaſmum, quem continet, praecedentes duos, qui figurati ſunt, propriis verbis explicat;

cat; q. d. pro omni dolore, moleſtia et labore, quae, ut me perderet, ſubivit, quid tandem accepit? *iniquitatem.* Haec tantorum conatuum eſt praemium. Metaphora eſt a muliere parturiente, quae poſt multos dolores et angores foetum edit inanimem, ſibique mortiferum. Iſ. LI. 1. *Adtendite ad petram, unde exciſi eſtis, et ad cavernam laci, de qua praeciſi eſtis* ♰ 2. *Adtendite ad Abraham patrem veſtrum, et ad Saram, quae peperit vos.* Poſtremus ille verſiculus priorem verbis propriis exponit.

Pronomen demonſtrativum זֶה interdum cum emphaſi pleonaſtice additur. Gen. XXXI. 38 זֶה עֶשְׂרִים שָׁנָה *his viginti annis tecum fui* i. e. iam viginti annis. vid. Num. XIV. 22. 2 additur pronomini interrogativo מַה־ aut לָמָּה, tuncque relativum אֲשֶׁר vel שֶׁ ſubintelligitur. Gen. XVIII 13 לָמָּה זֶה *quid hoc* (eſt, quod) *riſit Sara.* Vulg. *quare.* IV. Reg. I. 5 מַה־זֶּה שַׁבְתֶּם *quid hoc* (eſt quod) *reverſi eſtis?* 3 Additur etiam adverbio עַתָּה *nunc* III Reg. XVII. 24. עַתָּה זֶה *Nunc hoc cognoſco* i. e. iam nunc. Vulg. *nunc in iſto cognovi.* 4 Pronomen additum verbo. Gen. XII. 1 לֶךְ־לְךָ *egredere tibi*, to *tibi* pleonaſticum eſt. Vid. Pſal. CXLIV. 2 *ſuſceptor meus* . . . לִי *mihi* Gen. XXI. 16. XXII. 5. Eodem idiotismo explicari etiam poteſt י paragogicum in fine benoni kal. ut: אוֹסְרִי *ligans mihi ad vineam*, contracte pro אוֹסֵר לִי.

Praepoſitiones inſeparabiles ב, כ, ל, מ, ſaepe etiam pleonaſtice ponuntur. Sic Iob XVI. 10. *aperuerunt contra me* בְּפִיהֶם *in ore ſuo* i. e. ſuum. Prov. IX. 5. *venite comedite* בְלַחְמִי *panem meum* cet. Et praeſertim hoc ב

voci-

vocibus indeclinabilibus saepius, sed eleganter iungitur: בְּאֵין מֵבִין *in non intelligente* h. e. nomine advertente. בִּבְלִי־דַעַת *in non scientia* i. e. *sine scientia*, studio. בְּלֹא כֶסֶף *in non argento* i. e. sine. בְּבֵין *in inter* i. e. inter. בְּטֶרֶם *in antequam* i. e. antequam. בִּמְאֹד *valde* בְּעֵבֶר *trans.* בְּיוֹמָם *interdiu* rel.

Sic etiam praepositio ל nomini praefigitur, et nominativus simpliciter intelligitur. I Paral. III 1. *Hi sunt filii David* ℣ 2 *tertius* לְאַבְשָׁלוֹם *Absalom.* Quandoque praepositionibus emphaticè subiunguntur Gen. I 6 et *dividat* (firmamentum) בֵּין מַיִם לָמָיִם *inter aquas et aquas.* Deut. XVII. 8 בֵּין־דָּם לְדָם *inter sanguinem et sanguinem* ubi ל est pro Vaf. tandem vocibus indeclinabilibus praefigitur. לִבְלְתִּי לִבְלִי לְאֵין *ad non* i. e. *absque* לְאָחוֹר *retrorsum* לְאַל *ad non* i. *in nihilum* cet. Sic et praepositio מ redundat. מִטֶּרֶם *ab ante* h. e. ante מִתַּחַת *de sub* i. sub subter, rel.

Saepe etiam pleonasmus elegans nominis constructi sic פָּנִים *facies* saepius redundat: Gen. I. 4 *Tenebrae erant* עַל־פְּנֵי תְהוֹם *sub faciem abyssi* i. super abyssum. פֶּה *os*, לְפִי חָרֶב *in ore gladii* i. gladio. בָּנִים *filii.* Sic *filii hominum* i. homines. שֵׁם *nomen.* Protegat te *nomen* Dei Iacob h. e. Deus Iacob יָד *manus.* Gen. IX. 5 *sanguinem vestrum requiram* מִיַּד *de manu omnis bestiae.* Sic per *manum* Moysis, *a manu tua* i. e. a te. תָּוֶךְ et קֶרֶב *medium.* Sic *in medio terrae.* דָּבָר *verbum, res.* Sic *verba iniquitatum verba, signorum, verba jejuniorum.* Esth IX. ℣ 31 *Cor* pro *medio* Prov. XXX. 19. *in corde maris* i. in mari.

Pleo-

Pleonasmus ſeu repetitio verborum emphaſin habet. Exod. XII. 50 *feceruntque omnes filii Iſrael* . . . . כֵּן עָשׂוּ *ſic fecerunt* q. d. diligenter fecerunt, cum ſtudio. Dan. X. 19 *Confortare et eſto robuſtus* i. e. etiam atque etiam confortare. Quando fit repetitio plurium vocum, tunc vel *diſtributio*, vel *emphaſis* notatur. Ezech. XLVI. 21. et ecce: *atrium in angulo atrii, atrium in angulo atrii* h. e. *atrium in unoquoque angulo atrii.* Repetitio in praeceptis divinis, eorum aut gravitatem aut prohibitionis ſeveritatem emphatice ſignificat. Vid. Lev. XVIII. 7.

§. IV.

Hebraismi Elliptici.

Ellipsis eſt figura pleonasmo obpoſita, qua in ſermone aliquid deficit, quod commode ſupplendum eſt. Defectus iſte eſt vel 1 praepoſitionum, vel 2 nominis. vel 3 verbi et participii: maxime autem ellipſis in hebraeo eſt verbi ſubſtantivi *ſum*, quod ſemper ſupplendum eſt.

I. De Ellipſi praepoſitionum ב, כ, ל, מ. Prov. VIII. 22. *Dominus poſſedit me* רֵאשִׁית *principium viarum ſuarum*, pro בְּרֵאשִׁית *in principio*; quae expoſitio confirmatur τ̕ ſeq. *antequam quidquam faceret a principio.* *) Inter-

*) Alii ellipſin heic non agnoſcunt; vertuntque: *Dominus poſſedit me principium viarum ſuarum* i. operationum ſuarum, principium, inquam, per quod omnia facta ſunt. Et ſic antiqui interpretes graeci Aquil. Symm. Theod. LXX. κυριος εκτισε με *Dominus creavit me*, Veroſimile eſt, amanuenſium incuria irrepſiſſe in LXX verſionem mendum, εκτισε με *creavit me* pro εκτησε με *poſſedit me* a κταω. Sic enim habet Aq. εκτησατο με ita etiam Symm.



Interdum ex praecedenti membro ב repetendum eſt. Exod. VI. 3. *Ego Dominus adparui Abraham, Iſaac et Iacob* בְּאֵל שַׁדָּי *in Deo omnipotente,* וּשְׁמִי יהוה *et nomen meum Adonai non indicavi eis. Supple:* וּבִשְׁמִי *et in nomine meo Iebova non innotui eis.* *) Et ſic ſe habent reliquae pro-

*) Quidam nec hebraeum, nec ſenſum huius loci adſequuti putant Nomen Dei Tetragrammaton יְהֹוָה Patriarchis incognitum fuiſſe: et neſcio, qua ex vana ſuperſtitione moderni iudaei a pronuntiatione nominis יְהֹוָה abſtineant. Occultabant olim Iudaei hoc nomen ſanctiſſimum gentilibus, ne id imponerent vanis deorum ſuorum ſculptilibus. Patriarchae pronuntiarunt אֵל שַׁדָּי, cur neque יְהֹוָה? nonne utrumque idem ſubpoſitum, eumdemque Deum reſpicit? Novi equidem, quosdam ad προλιψιν ſeu anticipationem recurrere Hagiographis familiarem; at hic prolepſιν uſus tunc ſolum obtinet, quando ſimplex rei cuiusdam narratio inſtituitur ipſorum hagiographorum verbis concepta: non vero, ubi quis loquens inducitur. Quum itaque Moyſes Patriarchas nomen Dei יְהֹוָה pronuntiaſſe inducat, hos etiam illud pronuntiaſſe credendum vide Gen. XXII. 14. Senſus itaque genuinus explicandus eſt: nota ergo hoc in verſu non de nomine praeciſe, ſed de ſignificatione nominis Tetragrammati ſermonem eſſe. *Nomen, Nominari* idem ſaepe eſt ac *eſſe*, vel ſe talem praeſtare, qualem nomina eorum primaeva, inſtitutione adtenta, declarant. Sic et VOCABITUR *nomen eius Emmanuel* i. et erit Emmanuel. *Domus mea, domus orationis vocabitur* i. erit. Sic eleganter quis diceret, qui duo nomina gereret *Petrus* et *Gelaſius: Tanquam* PETRUM *me habetis, et nomen meum* GELASIUS *non indicabo tibi* i. e. dure tecum agam, non me benevolum ſenties: Petrus ero, Gelaſius non ero, ſignificatione deſumta a πετρος *lapis* et γελαω *rideo.* Sic et hoc loco non de nomine, ſed de re per nomen ſignificata: *adparui Abraham . . . in nomine El, Schaddai* i. e. fortis, liberalis, de me ſufficiens Patribus in tot ac tam ingentibus promiſſionibus ipſis factis quanquam earum *Iebova* i. e. *Eſſe* aut exequutionem nunquam conſpexerint, necdum has promiſſiones, quod velim eos ducere in terram lacte et melle manantem, usque ad *Eſſe* perductas viderint



praepositiones. Particula comparativa seu similitudinis כ saepius deficit, maxime in libro Proverbiorum, ubi exempla obvia offendes.

II. *Quandoque adiectivum deest, quod commode supplendum.* Gen. XVIII. 11 *Venerant* (Abram et Sara) בַּיָּמִים *in dies*, supple רַבִּים: *multos.* Psal. XXXIII. 13. *Quis est homo, qui vult vitam* supple longaevam, *et diligit dies* supple bonos, unde in textu additur לִרְאוֹת טוֹב *videre bonum.* Prov. XVIII. 22 *Qui invenit mulierem* supple bonam.

III. *Ellipsis substantivi, in adiectivo expressi, quod supplendum.* Gen. XXV. 30 *Da mihi de rufo, rufo isto* supple edulio. II Reg. VIII. 4 *Et cepit David ex ipsis mille* supple currus; III Reg. XXI. 16 *Et adcinctus erat novo* supple ense. Cant. IV. 2 *Dentes tui sicut grex tonsarum* supple ovium. Ex sensu itaque et materia substrata facile intelliges, quid subintelligendum in textu.

IV. *Ex duobus substantivis, quorum alterum altero regitur, modo prius, sive regens; modo posterius, sive rectum, deficit.* Eiusmodi substantiva sunt:

אִישׁ *Vir* Ruth III 2. *Cognatio nostra est* i. vir cognationis. *Belial* pro viri Belial. II Reg. XXIII. 6 *Et transivit clamor* i. vir clamorum, vulg. Praeco. Vide Iob. XV. 34 et XXXII. 7 Prov. 13. 6.

בַּיִת

rint v. 5 Nunc vero audiens gemitum filiorum Israel, atque pacti mei memor, ut *fit*, et opere compleatur, faciam. Ego IEHOVA, ego, cui omne ESSE, et cuiuscunque rei exequutio accepta referenda est, ego, inquam, *educam vos de ergastulo Aegyptiorum:* Sic ergo illud: *Et in nomine meo Iehova non innotui eis*, idem est: in promissionibus impletis non adparui i. e. illas nondum impleveram, nunc implebo.

בַּיִת *domus*. Mich. III. 1 *Principes Iacob* i. domus Iacob. cap. IV. 2 *Mons domini* i. Domus Domini. Apocal. III. 7 *qui habet clavem David* i. domus David.

אֶחָד et אַחַת Gen. VIII. 4. *Requievit arca super montes* i. super unum montium. Iud. XXII 7 *sepultus est* (Iepte) in *urbibus Galaad* i. in una urbium. Matt. XXVI. 8 *videntes autem discipuli indignati sunt* i. unus ex discipulis. item XXVII. 44 *id ipsum autem et latrones . . . . improperabant ei* h. e. unus de latronibus.

אָבִי *Pater* אֵם mater, בֵּן *filius*, אָחִי frater, אֵשֶׁת uxor saepe omittuntur. Sic Matth. I. 6. *ex ea*, *quae fuit Uriae* i. uxor. *Goliath Getbaei* i. fratrem. *Iacobum Zebedaei* i. *filium*. *Maria Iacobi* i. mater. *Iudas Simonis* i. filius. *Maria Cleophae* i. uxor. *Iacobus Alphaei* i. filius. Ellipsis *filii* Luc. III perpetua est.

V. *Aliae quoque voces deficiunt supplendae*: Gen. XLII. 33. *famem domorum vestrarum adcipite* h. e. שֶׁבֶר *annonam contra famem* Deut. XX. 19. *quando obsederis civitatem.. non succides arbores . . . quia homo arbor est agri* i. e. quia חַיֵּי vita hominis est arbor agri, seu ex fructibus arboris sustentatur. Ruth III. 15. *Et mensus est sex hordeorum* i. e. mensuras. II Paral. XXX. 22 *Et comederunt solemnitatem* i. e. sacrificia solemnitatis. Nehem. X. 31 *Et dimittamus annum septimum* i. culturam terrae anno septimo. Esth. V. 1. *Induta est Esther regno* i. e. vestibus regiis. Prov. VIII. 6. *Audite, quoniam principum loquar* i. verba principum.

VI. *Relativum pronomen tam in hebraeo V. T. quam in graeco N. T. non raro deficit*. Gen. XXIX. 4 וְכָל־יֶשׁ־לוֹ et *omne* (supple אֲשֶׁר *quod*) *erat sibi* Exod. XV. 7 *misisti iram, devoravit eos* i. quae devoravit. Ibid. 17. *In loco habita-*

bitationis tuae, *operatus es* i. quem operatus es. Is. 6 *calculus* (supple quem) *forcipe tulerat*. I Ioan. III. 12 *Non sicut Cain, ex maligno erat*, supple qui erat. Praeter ellipsin relativ. שֶׁ, vel אֲשֶׁר alia etiam est relativi *ipse*, *ille*. Deut. VI. 13. *Non tentabitis Dominum . . . sicut tentastis* (supple eum) *in Massa* Vulg. *in loco tentationis*, nomen proprium adpellative sumsit. Pariter ellipsis est reciproci et possessivi pronominis. III Reg. XIII. 2. *Sic enim praecepit mihi in sermone Domini* h. e. sic enim praecepit mihi in sermone Dominus. Iob. XXXVII. 10. *A flatu Dei fortis producit glaciem* i. e. Deus fortis flatu suo glaciem producit.

VII. *Ellipsis quoque est antecedentis simul et relativi.* Exod. IV. 13 *Mitte quaeso* בְּיַד תִּשְׁלָח *per manum missurus es* supple illius, quem missurus es. I Paral. XV. 12 *Adferte arcam Domini . . .* אֶל־הֲכִינוֹתִי לוֹ *ad praeparavi ei* i. ad locum, quem paravi. Iob. XXIV. 19 Sic *infernus peccaverunt* i. infernus eos rapit, qui peccaverunt. Ierem. II. 8. *Prophetae prophetaverunt in Baal et post* (supple idola, quae) *non prosunt* ∜. 11 *populus meus mutavit gloriam suam in* (supple idolum, quod) *non prodest*.

VIII. *Verbum quoque aliquando in oratione deest*. II. Reg. XVIII. 12. *Observate* (ne) *quis in puerum istum Absalom* supple mittat manum. ibid. XXIII. 17. *Num sanguinem istorum hominum* supple bibam. III Reg. XXII. 36 *unusquisque in civitatem suam* supple revertatur. Psal. XXIV. 15 *Oculi mei semper ad Dominum* supple respiciunt. Prov. XIV. 14. *Viis suis replebitur stultus, et ab eo bonus* i. recedet, cavebit sibi. Eccl. VIII. 2. *Ego os regis* (i. mandatum) *observare*, supple moneo observandum. Psal. CXXXVIII. 6. *Mirabilis facta scientia tua ex* vel *prae me*,



confortata vel *elevata eſt*, *et non potero ad eam* i. pertingere.

IX. *Frequens eſt ellipſis verbi* CAVEO. Gen. III. 22. *Nunc ergo*, *ne mittat manum ſuam* ſupple nunc ergo caveamus. Vide ibid XXXI. 31. Exod. XIII. 17. Deut. XXIX. 17. Idem eſt de verbo *dico* Pſal. II. 3 *Dirumpamus vincula eorum*, ſupple, et dixerunt, *dirumpamus*. Haec ellipſis frequens eſt, et facile ex circumſtantiis advertenda.

X. *Voces alias*, *quae per ellipſin deficiunt*, *facile erues vel ex praecedenti voce coniugata*, ut Gen. IV. 5 *Et exarſit Caino* ſupple חָרוֹן ira, quod nomen in voce חָרָה latet, vel ex voce *contraria*. ut Pſal. LXIV. 9. *Egreſſus matutini* ſupple temporis, *et* (ingreſſus) *veſpere* i. veſpertinos delectabis: vox *ingreſſus* includitur in praecedenti contraria *egreſſus*: et ſenſus eſt: Actiones totius diei delectabis. Sicut et illud: *quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia* ſcil. alibi, ſeu alio in loco transacta. Gen. XXXIII. 10. *Dixitque Iacob* אַל־נָא *ne quaeſo*, ſupple, recuſes; latet enim vox iſta contraria in ſeq. *adcipe munuſculum de manu mea*. Adtendenda eſt praecipue particula *negativa* ex membro praecedenti repetenda. Pſal. IX. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum peribit*, ſupple, *non* peribit. Nolo eſſe fuſior, conferas hebraeum cum Vulgata, et plures ellipſes vocum ſuppletas reperies.

XI. *Interdum genitivus regiminis ponitur*, *intellecto altero*, *a quo regitur*. ait David: אֲנִי תְפִלָּה *ego oratio* i. vir orationis, nempe ſaepe et multum orans. Sic liber Eccleſiaſtes inſcribitur קֹהֶלֶת *congregatricis* ſubaudi ſapientiae. Eſt genitivus regiminis, et illud, quod in regimine eſt, intelligitur, ſcil. סֵפֶר *liber*. Atque ſic expli-

explica: *ego ſum pax* i. vir pacificus. *Tu es benedictio* i. ſumme benedictus. Pſal. LXVII. *Dixit Dominus: ex Baſan convertam:* convertere ſignificat alicuius actionis iterationem: *Deus tu converſus vivificabis nos*, i. e. rurſus vivificabis. Quam ergo actionem iterabit Deus contra Seon et Ogg? reſpondeo, quam antea edidit contra Pharaonem, non quidem quoad modum, ſed quoad ſubſtantiam; convertam ſeu iterabo caedem, quam Pharaoni et illius exercitui intuli: ideo ſubiungit: *converti in profundum maris*, ſubaudi, excidium per ſubmerſionem in mare: et ſic totus eſt ſenſus ellipticus. Eodem pſalmo: *qui exaſperant* (eos) qui *habitant in ſepulchris.* Qui ſunt iſti exaſperatores? reſpondeo, Aegyptii. Quos exaſperarunt? Iſraelitas, et fecerunt eos habitare in ſepulchris i. e. occiderunt. Eſt conſtructio hophalica. Oriuntur omnes iſtae phraſes ex brevitate linguae hebraeae.

Alibi dicit David: *Et qui oderunt, diripiebant ſibi:* quid? noſtra. Pſal. LIX. 8 *Ecce loquentur in ore ſuo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?* ſupple nemo h. e. res inauditas ex ore ſuo evomuerunt. Et hic hebraismus civis graecus factus eſt. Luc. IX. *Ieſus ad Samaritanos miſit diſcipulos, volens pernoctare apud eos, et diſcipuli venerunt, ut pararent ei*, ſupple diverſorium, *et non receperunt eum*, intellige Samaritani. *Baldath* Suhites Iob. VIII dicit Iobo: *Deus non proiiciet ſimplicem, nec porriget dexteram malignis: donec impleatur riſu os tuum, et labia tua iubilo*: ſenſus aſperrimus eſt, niſi fiat ſuppletio ellipticae hoc modo: Deus non deſerit bonos, nec favet malis: *ſi tu es bonus o Iob*, adhuc ridebis et iubilabis, et tui oſores confundentur, et eorum tabernacula nulla erunt.



§. V.
Hebraismi Enallagici.

ENALLAGE figura eſt, qua partium orationis adcidentia invicem permutantur; ut quum in nominibus et verbis ponitur genus pro genere, numerus pro numero: in nominibus caſus pro caſu; in verbis tempus pro tempore, modus pro modo, perſona pro perſona. De ſingulis agemus.

De Enallage nominum quantum ad genus, Numerum et Caſum.

I. *Quum lingua hebraea genere neutro careat, plerumque foeminino, ſubinde maſculino utuntur* Gen. L. 20. *Vos cogitaſtis de me* רָעָה *malam* i. *malum*, ſed Deus vertit illud in לְטוֹבָה *bonam* i. bonum. Nota in Penteteucho, exceptis undecim locis, הִוא *illa* cum Vaf ſcribitur. *)

II.

*) In famoſo illo Gen. III. 15. loco הוא *ipſa conteret caput tuum*, pronomen foemininum mendo incubat! Nullum heic locum habet poſſeſſio, cui nec titulus ſuffragatur, nec fides: haec certo in translationibus haut aliud ſunt, quam omnimoda cum Originali conformitas; qua deficiente merito cum Cypriano dixeris: *antiquitas ſine veritate, vetuſtas mendacii eſt*. At quaeſo, quid heic cum Originali το *ipſa*, ubi quidquid in hebraeo profertur, maſculinum eſt? Iuxta literarum ſuarum proprietatem maſculinum eſt το הוא, ac naturaliter, et tanquam ad ſuppoſitum ſuum proximius, nempe το זֶרַע *ſemen* gen. maſcul. refertur; et omnia ſubſequentia tempora, adfixa, pronomina in maſculino ſunt. Concordat verſio graeca, quae habet *αυτος ipſe*, *αυτȣ πτερναν illius calcaneum:* ita quoque textus Samaritanus, in quo librarii error eo minus eſſe poteſt, quo minus *Vaf* et *Iodh* adfinia ſunt: ita triplex Targum, Verſio ſyriaca. Neque licet heic ad *enallagen* recurrere; nam nulli dubium eſt, ſcripturam non niſi impropria et extraordinaria conſtructione uti, dum enallagi cui-

cum-

II. *Quum de persona sermo est, neutrum genus pro masculino interdum usurpatur.* Hebraismus hic civitate donatus est apud Graecos· Matth. I. 20 *το εν αυτη γεννηθεν quod enim in ea natum est* pro qui in ea natus est. Ad. hebr. VII. 7. *Quod minus est, a meliori i. maiori benedicitur* h. e. minor a maiore.

III. *In pronomine relativo non raro diversitas est generis ab antecedente, quae vel per aliquod conveniens synonymum, vel quavis alia ratione concilianda est, aut incuria librariorum menda irrepserunt.* Exod. XI. 6. *Eritque* צְעָקָה *clamor magnus* . . . כָּמֹהוּ *cui* (mascul) *similis non erat:* supplendum est nomen קוֹל mascul. *vox clamoris.* Iud. XIX 24 pronomina masculina sunt, licet ad substantiva foeminina referantur, quia iis, ut volunt nonnulli, flagitiosissima Benjamitarum propositio perstringitur. In aliis locis sunt sphalmata graphica, quae amanuensium incuria irrepserunt; vel substantiva, quae nunc generis habentur foeminini, olim erant generis communis; vel ali-

cumque locum cedit: ipsae certe circumstantiae satis indicant, locum irregulariter et per enallagen accipiendum esse; at nihil heic cogit. Tandem usum esse in scriptura, quod foeminae, dum de ea narratur aliquis actus heroicus, tribuatur verbum masculinum, prorsus falsum est: neque enim usum adpellare possumus, quod rarissime aut nunquam fit. Generosius, quam *Iabel*, egerat nulla; actus erat heroicus Iud. IV. 21 quo mulier in caput Abimelech illideret Iud. IX. 53. et tamen ordinaria ubivis est constructio. Neque mendum hoc in nostra Vulgata officit eius authenticitati: nam plura eiusmodi sphalmata leviora in ea occurrere, palam est. Porro particula הוא est quidem demonstrativa, quae cadere debet in id, cuius ultimo sit mentio, sed ultimo sit mentio mulieris: nam hoc verum est, si hoc ultimum sit principale denotatum: heic autem principale denotatum est *Semen*. Quod itaque in aliis locis הוא debeat legi *ipsa*, id circumstantiae et materia substrata exigunt; quale heic non, imo oppositae occurrunt.



aliqua vox commoda fubintelligenda eft: aut enallage locum habet, quod ex circumftantiis eruitur.

IV. *Quando fubftantivo plurali pronomen fingulare additur, plerumque diftributio denotatur.* Deut. XXI. 10 *fi egreffus fueris contra hoftes tuos* וּנְתָנוֹ *et tradiderit eum Dominus* i. e. unumquemque illorum. Iof. II 4. *Tollensque mulier viros* וַתִּצְפְּנוֹ *abfcondit eum* h. e. utrumque. Huc etiam referunt nomina pluralia cum adfixo fingulari, five ea forma, qua fingularibus adiici folet, coniuncta. Deut. XXVIII. 59 *Augebit Dominus* מַכֹּתְךָ *plagas tuam* h. e. unamquamque plagarum tuarum, pro מַכּוֹתֶיךָ

V. *Nomini collectivo fingulari refpondet pronomen multitudinis* Gen. XV. 13 *Peregrinum erit* זַרְעֲךָ *femen tuum.. et adfligent* אֹתָם *eos;* femen pro pofteris. Etiam in novo teftamento Act. XV. 36 *Revertentes vifitemus fratres noftros* κατα πασαν πολιν *per univerfam civitatem*, εν αις *in quibus praedicavimus.* πολις enim collective heic fumitur, unde relativum plurale ei fubiicitur: vel diftributio eft pro *in qualibet earum.*

VI. *Relativum quandoque convenit genere et numero, vel horum alterutro, cum fubftantivo confequente, quum deberet refpondere antecedenti.* Marc. XII. 42 *minuta duo* ο εστι κοδραντης *quod eft quadrans*, pro α εστι. vid. Gal. III. 16. Sic in pronominibus primitivis, quum relative, aut demonftrative fumuntur. Lev, XXV. 33. *Nam* בָּתֵּי *domus urbium Levitarum* הִוא. *ipfa eft poffeffio eorum* pro הֵם *ipfae* (domus.)

VII. *Quando fubftantivo plurali adiectivum fingulare iungitur, diftributio feu partitio denotatur*, ficut fupra. Pfal. CXIX *Iuftus es Domine, et rectum* מִשְׁפָּטֶיךָ *iudicia tua* i. unumquodque iudiciorum tuorum: nifi (י) nota plura-

lis

lis numeri ſit antiqua vocalis e, tuncque locum non habet enallage.

VIII. *Interdum ſingularis numerus pro plurali ad collectum multitudinem, vel etiam ſpeciem exprimendam, adhibetur*. Gen. III. 8. *Abſcondit ſe Adam et uxor eius . . . in medio* עֵץ *ligni* ſeu *arboris* h. e. lignorum. Gen. XLIX *in furore ſuo occiderunt* אִישׁ *virum et . . . avulſerunt* שׁוֹר *bovem* i. viros, boves.

IX. Vice verſa *pluralis numerus pro ſingulari quandoque ponitur ad denotandam magnitudinem, excellentiam, emphaſin*. Gen. XIX. 11 *Et eos . . . percuſſerunt Angeli* סַנְוֵרִים *coecitatibus* i. ſumma, denſiſſima coecitate. Sic יְשׁוּעוֹת *ſalutes* i. omnimoda ſalus. *Laudes Iſraelis* i. perfecta laus. Pſal. LXXXIX *In potentatibus* i. e. in magna admodum fortitudine et vigore, ſupple quis fuerit. Pſal. XIX. 7 *in potentatibus ſalus dexterae eius* eſt metalepſis, in *potentatibus dexterae* i. e. in potentiſſima dextera ſeu in miraculoſa eliberatione fuit ſalus, aut victoria. Sic *miſericordiae Domini* i. maxima miſericordia. Ezech. XXVIII מוֹתֵי *mortibus incircumciſorum morieris* i. morte truculentiſſima.

X. *Nomina Dominii* בַּעַל אֱלֹהַּ *et* אָדוֹן *ſive ad dignitatem perſonae dominantis exprimendam, ſive ex ſolo linguae uſu, plurali numero, pro ſingulari, ſaepius efferuntur*. Gen. I. *In principia* בָּרָא אֱלֹהִים *creavit Dii*, pro Deus *)

Gen.

*) Sunt, qui hoc textu Myſterium Ss. Trinitatis inſinuari, illudque ex illo probare volunt: in ea olim fuit ſententia Bellarminus. At re adcuratius perpenſa calculum retraxit: ait enim contr. tom. I. l. II. c. VI. col. 322. ed. Paris. 1608 ſe non putare argumentum illud admodum ſolidum; *ſiquidem ſcripturae conſuetudo id habere videtur, ut nomina inluſtrium perſonarum ponan-*



Gen. XXIV. 9 *sub femore Abraham* אֲדֹנָיו *dominorum suorum* i. Domini sui. Idem est de nomine בַּעַל quorum exempla plura sunt.

De verborum enallage quoad genus

Enallage verborum quoad genus locum habet, quando nominativus verbi, aut verbum ipsum genere discrepant. Illa autem discrepantia certo et peculiari linguae usu, non abusu fit, ac per conveniens nomen subintellectum explicanda sunt. *Necesse est*, ait Kimmhi in Michlol, *diligentem adhibere considerationem in lingua hac, et*

nantur in numero multitudinis, licet verba retineant numerum singularem. Itaque *Elohim* non secus, ac apud Latinos vox *literae* non semper in significatione plurali adhibetur, et saepius rebus singularibus adtribuitur, perinde ac si in singulari esset. Sic Moses dicitur Pharaoni fuisse *in Deum* לֵאלֹהִים. Angelus, qui Iud. XIII 12 *Manue* adparuit, *Elohim* vocatur. Plerumque apud hebraeos verbum singulare iungitur cum nomine plurali, ubi tantum de una persona sermo est. Et cum אֱלֹהַּ in singulari denotet Deum, igitur in plurali, si plures denotet, non personas, sed Deos denotabit: posset ergo ex hoc loco concludi, plures esse Deos; siquidem pluralis a singulari differt non in significatione, sed solum in pluralitate: ergo si Elohim in singulari denotat Deum, in plurali significabit plures Deos. Nihil ergo mysterii ex hoc versu erues: spectat tota res ad s. linguae usum et proprietatem, qua nomina Dominii efferuntur plurali numero, cum altero seu verbo, seu nomine ad summam dignitatem, et honorem excellentissimum personae indicandum. Demum, qui *gabbala* utuntur, atque ex voce בָּרָא Trinitatem exsculpere volunt, quatenus nempe per ב notetur בן *filius*, per ר innuatur רוח *spiritus* s. et per א אב *Pater*, nihil efficiunt: quis enim nescit, quam infimae probationis sit gabbala isthaec: sicut siquis probare vellet ex hoc primo geneseos versiculo mundum duraturum per VI mille annos, quia in hoc versu sexies א ponitur, quae litera hebraeis nota est numeri millenarii.

et reducere eam in formam ſuam, quantum fieri poteſt; neque loqui genere foeminino de maſculino aut maſculino de foeminino. Ad hanc itaque anomaliam explicandam vel nomen aliquod ſupplendum eſt, vel ſynonymum ſubintelligendum, vel ſubſtantivum, ad quod verbum refertur, communis eſt generis, licet maſculinum duntaxat, aut foemininum in vocabulis notetur; vel in textu ipſo eſt mendum graphicum, quod eius *αυθεντια* non officit; vel denique peculiaris aliqua ſubeſt ratio, quae in ſubiectis exemplis declarabitur.

I. *Verbum reſpondet ſaepe nomini poſteriori, quum reſpondere deberet priori* vide Lev. III. 9. ubi verbum תִּהְיֶה pertinet ad נֶגַע maſculinum ſed conſtruitur cum אַרְבַּעַת foeminino: niſi antiquitus נֶגַע communis fuerit generis: quum enim unicus ſuperſtet liber hebraice ſcriptus, ſicut is vocum ſignificata omnia non includit; ita etiam forte nec genera. Eſth. I. 20 *et cunctae uxores* יִתְּנוּ *deferant* (maſcul.) *honorem maritis ſuis.* Heic verbum maſculinum eſſe volunt ad ſignificandam maximam, quam uxores viris ſuis exhibere debent, reverentiam atque obedientiam. In Canticis pronomina et verba quaedam in foeminino ponuntur; at Chriſtus ibi non ſolum filias Ieruſalem, ſed quoslibet homines compellat. Iſ. LVII. 8 perſtringit propheta ſpiritualem populi ſcortationem, ubi ad maiorem emphaſin utitur maſculino pro foeminino: populum enim, non privatam aliquam mulierem adloquitur. Et hic eſt mos prophetarum, ut ad emphaſin verbo dandam potius maſculino genere utantur. Ierem. XLIX. 11 *Et viduae tuae in me* תִּבְטָחוּ *ſperabunt* i. e. ſpem maximam habebunt: vel etiam mendum eſt pro תִּבְטַחְנָה, aut potius תִּבְטַחְןָ, ita ut ex ſ

de-



decurtato factum ſit ו, ex quo maſſorethae fecerunt ו. Oſeae XIV. 1. *Et gravidae eius* יְבֻקָּעוּ *diſcindentur*; lege alia punctatione addita יְבַקֵּעוּ *diſcindent gravidas eius* h. e. diſcindentur, ita ut tertia illa perſona activa paſſive accipiatur, nulla erit anomalia. Et forte olim ſcriptum fuit תְּבֻקַּעְןָ ſicut ſuperius. Malach. II. 6 *Et iniquitas* וְעַוְלָה foemin. (*non eſt inventa* נִמְצָא maſcul.) ſupple דְּבַר *verbum iniquitatis*: vel ſi in עַוְלָה ponatur accentus in penultima, ſic עַוְלָה, ה ſpectabitur ut paragogicum, voxque erit maſculina. His regulis obſervatis reliqua facile explicabis.

Enallage verborum quoad numerum.

I. *Verbum ſingularis numeri quandoque iungitur cum nomine, vel participio plurali*, quo ſaepius diſtributio innuitur. Gen. XXXV. 26 *Hi ſunt filii Iacob, qui* יֻלַּד *natus eſt ei* h. quorum unus quisque. Exod. XXXI. 14 *Profanantes illud* (Sabbathum) *morte morietur* i. quisque profanantium.

II. Vice verſa, *verbum pluralis numeri conſtruitur interdum cum nomine ſingulari, maxime ſi nomen ſit collectivum, quia pluralitatem comprehendit.* Phraſis iſta etiam profanis uſitata eſt. Ovid. *Quo ruitis generoſa domus? Quando cum nomine ſingulari non collectivo plurali additur, tunc partitio denotatur.* CXIX. 103 *Quam dulcia ſunt faucibus meis eloquium tuum* i. ſingula eloquia tua.

III. *Quando duo nomina ſubſtantiva, quorum alterum altero regitur, coniuncta ſunt, verbum quandoque numero reſpondet poſteriori nomini, quum deberet priori reſpondere.* Exod. XV 4. וּמִבְחַר *Et electio principum* טֻבְּעוּ *ſubmerſi ſunt* i. ſubmerſa eſt. Haec phraſis ſaepe occurrit. Iob XXIX

10

10 *vox principum abſcondebant ſe* h. e. abſcondebatur; ſenſus eſt: vel ipſi principes coram me tacebant.

Enallage verborum quoad perſonis.

I. Verbum pluralis numeri quandoque pro ſingulari ponitur: et quidem in ſecunda et tertia duntaxat. Quoad *ſecundam* perſonam vide Iob XVIII, ubi ſolum Baldad Iob adloquitur, et dicit: *quousque* תְּשִׂימוּן *imponetis finem ſermonibus.* Et in *tertia* perſona Gen. XXXIV. 27 *Et depopulati ſunt urbem*, quia טִמְּאוּ *polluerant ſororem eorum* h. e. polluerat Sichem. Tertia illa perſona activa, paſſive etiam accipi poteſt, *polluta fuerat.* Matth. II. 20. *defuncti ſunt enim, qui quaerebant animam pueri*, defunctus eſt, qui quaerebat nempe Herodes. Hae duae ergo perſonae ſolum, ſecunda nempe et tertia in plurali ponuntur, nunquam autem prima, dum nempe aliqua perſona de ſe ipſa loquitur: ſicut apud Latinos obtinet: *Nos Dei gratia Romanorum Imperator* cet. aut etiam apud germanos: Wir Von Gottes gnaden rel. Id quidem contendunt cum quibusdam Rabbinis Sociniani, ut energicum argumentum pro Ss. Trinitate declinent Gen. I. 26. *faciamus* נַעֲשֶׂה *hominem ad imaginem et ſimilitudinem noſtram.* *) Exempla quaedam adducunt, quae tamen facile explicantur.

Gen.

*) Ss. Patres tum graeci, tum Latini maxime poſt Conc. Nicaenum pro demonſtrando hoc ſs. Myſterio uſi ſunt; imo Conc. Sirmienſe an. 349 habitum contra Photinianos, ſimili modo hunc locum eludentes, qui verba aliter expoſuerit, anathema percellit. Falſum ergo eſt, eſſe conſuetudinem linguae hebraeae, ut vult *R. Becbai*, ut et in plurali excellentiae et dignitatis cauſa loquantur honoratiores: nullo id exemplo probare poteſt. Imo Laurentius *Valla* L. III. c. CX inquit: *Non eſt verum, quod aliqui*

Gen. XXIX. 27. *Imple hebdomadam* . . . וְנִתְּנָה *et dabimus; tibi etiam istam*, sed נִתְּנָה teste Aben Esra potest esse tertia persona sing. foemin. praeteriti Niphal in futuro ob praefixum ו praepositum, *et dabitur*. Nec obstat articulus אֶת vulgaris accusativi nota, quando-

qui-

aliqui volunt, quoties Author in numero plurali loquitur, declarari dignitatem quamdam, et ut sic dicam, magisterium. Gloriosius est, quemvis unum per se, quam cum pluribus rem claram gessisse, Quo circa Principes modestiae causa, ne soli viderentur omnia gerere, loquuntur fere pluraliter de se, ut Nos Maximilianus Romanorum imperator. Id tamen egerint alii dignitatis causa, non ita egisse Deum, ratum habemus: nam ut scite Theodoretus ait: *si Deus propter Authoritatem et Majestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui vel semper, vel ut plurimum, praesertim quum legem daret in Sina.* At ibi Deus loquitur: *Ego*, non Nos, *sum Dominus Deus tuus* cet. quum tamen ad ostendendam suam Maiestatem et legum ferendarum ius et Authoritatem demonstrandam id oportuisset.

Dicunt quidem Sociniani, hoc loco esse *anthropopatheiam* hebraeis communem: sic Deus etiam dicitur dolere, poenitere. Rude etiam Israelitarum, quibus scribebat, genium, cui minus aequiparabat ea de personarum SS. pluralitate doctrina, quam siquid de rebus insensibilibus aliis narrasset. Certo ss. Trinitatis mysterium (si viros excellentiores Prophetarum, Patriarcharum ad novum testamentum pertinentium cum S. Augustino excipias) iudaico populo prorsus absconsum fuit et incognitum: adeoque si de SS. Personis haec pronuntiata voluisset Moyses; nemo ipsum ex toto populo intellexisset. Ea autem ignorantia erat statui priscorum Iudaeorum, utpote colendis pluribus Diis mire addictorum, summe congrua ergo phrasis illa per Anthropopathiam intelligenda est.

At respondetur his, iudaeos ignorasse hoc mysterium. nihil refert: satis interim intelligere poterant id, quod pro scopo suo principaliter indicare intendebat Moses, Deum scil. summo artificio et maiori in perfectione, quam coetera condidisse hominem. Id

phrasis

quidem cum verbis etiam passivis construitur, ut patet ex reg. gramm. Aut Laban suo et parentum, cognatorumque nomine loquitur.

Num. XXII. 6. *Veni igitur et maledic populo huic: fortassis praevalebo, et percutiemus eum.* h. e. percutiam. Respondet Aben Esra heic intelligi Balac cum exercitu suo. Vel נַכֶּה esse infinitivum piel cum ∵ pro ¨ ob sequens maqqaph, quamvis dictio desinat in literam quiescentem.

II Reg. XVI. 20. *Dixit autem Absalom ad Achitophel: inite consilium, quid agere debeamus* h. e. ego et alii duces, qui mecum sunt. Iob XVIII. 2. Baldad non solum de se ipso sed etiam de sociis suis loquitur. *Cant* I. 4. *Trahe me post te, curremus in odorem* rel. h. e. ego et puellae meae curremus; sponsa enim sola non est, sed comites habet filias. Confer cap. II. 2. Praeterea cum nomine sponsae intelligatur Ecclesia, merito pluralis adhibetur.

Dan. II. 36 *Interpretationem quoque eius* (somnii) *dicemus coram Rege.* In plurali loquitur Daniel, quia et sibi

phrasis ista seu metaphorica, seu proprie accepta potissimum importat. Occulta illis fuit duntaxat phraseos qualitas, quae praedicato Evangelio evasit manifestior; dum docti tres esse in Divinis personas, eam potius proprie, quam per anthropopathiam explicandam agnovimus: quur enim metaphoram dicemus, quod proprie explicari potest?

Dicere vero, Deum hoc in versu alloqui Angelos aut quatuor elementa, ad insipientiam usque delirare est: Quis enim credet Deum Angelis suis creatoris munus voluisse communicare? omnes creaturas alias solus Deus creavit: et in productione creaturae perfectissimae adiutorium angelorum adhibuisse, credat iudaeus Apella. Num ad imaginem angelorum aut elementorum homo factus est?



ſibi, et ſociis interpretationem illam adtribuit, qui et coniunctis precibus a Deo illam obtinuerant. Sic et III Reg. XII. 9. et XXII. 3 Roboam ſuo et conſiliariorum ſuorum nomine loquitur, et Achab duces ſuos ſecum loquentes inducit.

Marc. IV. 30. *Cui adſimilabimus regnum Dei* cet. loquitur Chriſtus de ſe in plurali. Reſpondet Glaſſius: Itane vero in plurali, honoris et excellentiae cauſa de ſe loqueretur is, qui ubique et ſermone et vita ſe extreme demittit, factus humilitatis Magiſter? Chriſtus quidem de ſe loquitur, ſed auditorum etiam, quos heic compellat, perſonam induit.

Locum Ioan. III. 11 *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur, et quod vidimus, teſtamur,* non proferent Sociniani ad pſeudo-Canonem ſuum ſtabiliendum; hoc enim teſtimonio adſtruitur SS. Trinitatis Myſterium, ac explicari debet per illud I Ioan. V. 1. *Tres itaque ſunt, qui teſtimonium dant in coelis, Pater, Verbum et Spiritus S.* Is itaque verſiculus eodem modo intelligendus eſt, quo Ioan XIV. 23 *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus,* Ego, Pater et Spiritus S.

Ioan. XXII. 24 prima illa perſona pluralis non ad ſolum Ioannem, ſed ad Eccleſiam, eiusque membra pertinet, quorum perſonam induit S. Evangeliſta, qui in tertia perſona de ſe loquitur: *hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, et ſcripſit haec.* Eodem modo explica illud Rom. I. 5. *Per quem accepimus gratiam,* ego et caeteri Apoſtoli. Haec ſunt loca, quae Socini adſeclae congerunt. Tandem etiamſi nonnulla aliter explicari non poſſent, quam regula ab antitrinitariis illis ſtatuta, non inde tamen ſequeretur, contextum illum

lum *faciamus hominem* cet. ad eam referendum esse: aliud enim est, scripturae locum sic explicari posse, aliud sic explicari debere. Ecclesia autem sola scriptorum interpres hunc versiculum de SS. Trinitate exponit.

Observa etiam ex S. Hieronymo in cap. III Ierem. quod mutatio personarum in eodem subinde versiculo *difficilem intellectum faciat*, *quae si suis locis et caussis temporibusque reddantur*, *plana fient*, *quae videbantur obscura.* Et in cap. II. Nahum. *Heinc vel maxime obscuri sunt Prophetae*, *quod repente*, *dum aliud agitur*, *ad alios persona mutatur.* Qimhhi in Ezech. XXX. 10. *Consuetudo scripturae est*, *ut loquatur ad praesentem tanquam de absente*, *eodem sensu* i. e. in secunda et tertia persona Psal. II *Quare fremuerunt* ℣ 2 *adstiterunt*, loquitur Vates seu Ecclesia Christi. ℣ 3 *dirumpamus* loquuntur hostes Christi. ℣ 4 *qui habitat in coelis*, Psaltis seu Ecclesiae verba sunt. ℣ 6 *Ego autem.* Heic loquitur Deus Pater secundum lectionem massorethicam; vel Filius secundum LXX et Vulg. ℣ 7 *Dixit Dominus ad me*, verba sunt Filii v 8 *postula a me*, loquitur Deus Pater ad Filium suum ℣ 10 *Et nunc reges*, concludit Psaltes.

Saepissime vero persona aliqua de se ipsa, tanquam de alia, et in tertia persona loquitur: sic Moyses saepius ait: *dixit Dominus ad Moysen* i. ad me. Et hoc sacri scriptores praeprimis observant, quando laudes suas enarrant, idque faciunt ad evitandum inanis gloriolae fucum, et ad humilitatem ostendendam. Vide Num. XII. 3. *fuit Moses vir mitissimus* cet. S. Paulus enarrans suas insignes visiones et extases de se in tertia persona loquitur: *scio hominem . . . raptum huiusmodi usque ad tertium coelum.*

Enallage verborum quantum ad tempora et modos.

I. *Quandoquidem hebraea lingua praesenti tempore careat, pro eo exprimendo modo praeteritum, modo futurum, plerumque participium usurpatur.* Praeterito utitur, et futuro pro praesenti in generalibus sententiis, quum significatur, non quod fuit, aut futurum est, sed quod perpetuo esse aut fieri debet. Psal. I. *Beatus vir, qui non* הלך *ambulavit* i. ambulat . . . *stat* . . . *meditatur* pro futuro meditabitur. Notatur igitur heic actus continuus, nec enim narratur res gesta, sed traditur doctrina generalis.

II. Praeteritum *perfectum quandoque pro plusquamperfecto, et futuro ponitur.* Gen. II. 2 *Complevitque Deus die septimo opus suum* i. e. compleverat: alioqui, si in die septimo complevisset, hoc in die laborasset, quod scripturae ibidem adversatur. In hoc exemplo, et aliis in hebraeo futurum וַיְכַל quidem est, sed conversivum in praeteritum, ob *Vaf* praepositum cum pathahh. Vide Gen. XXXVI 6 *Tulit Esau* i. tulerat; iam enim ex terra Chanaan recesserat.

III. Praeteritum *pro futuro.* Haec enallage maxime locum habet in prophetiis, et haec praeterita in versione exprimenda sunt: est enim discrimen inter praeteritum pro futuro in prophetiis, et inter praeteritum et futurum in moralibus; nam primum singularem emphasin habet; nequaquam alterum, quum sit tantum ex consuetudine linguae hebraeae. *Mos iste est scripturarum,* inquit S. Hieron. in Ephes. III. 6. *ut interdum futura tempore praeterito declinentur; verbi caussa de cruce Domini:* foderunt manus meas et pedes. Rationem subiungit: *Hoc autem ideo, ne, quia futura semper incerta sunt, hominum*

num spes fluctuet et vacillet, ea, quae Deus cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi iam facta memorantur: ut quia praeteriti secundum philosophos quoque fieri infecta non possunt, qui audierunt, quasi iam facta habeant, quae futura sunt. Et S. Aug. in Psal. *III. Ea, quae ventura prophetantur, secundum tempus futura sunt: secundum scientiam vero prophetantium iam pro factis habenda.* Sic etiam R. Salomon in c. XLII Isai. *Omnis lingua prophetica loquitur de futuro tanquam de praeterito: et hoc ideo, qui dictum Dei habetur pro facto.* Haec prophetia apud Propheticum Evangelistam Isaiam frequens est. *Parvulus natus est nobis* exclamat c. IX. 6. rel. rel.

IV. Futurum *tempus interdum pro praeterito, interdum pro praesenti, interdum etiam pro imperativo accipitur.* Imo apud hebraeos futurum aequivalet omnibus temporibus, nisi velit author determinate loqui de futuro. Exemplum est in אֶהְיֶה *sum*, *fui*, *ero*. Dixi etiam, quod detur apud hebraeos *Vaf* conversivum cum patahh וַ mutatque futurum in praeteritum; si autem *Vaf* sit schevatum, non convertit, sed relinquit. Exempla vide Exod. XV. 5. Num. XXIII. 13 Iud. II. 1. ubi futura pro praeteritis sunt.

Pro *Imperativo* futurum ponitur, quae enallage perpetua est in praeceptis, quae negativa adpellant; *Praecepta enim negativa non veniunt, nisi in forma futuri*, scribit Elias Levita in lib. Habbahhur. Sic: *non occides, non moechaberis* rel. nec poteris dicere: לֹא רְצַח לֹא נְאַף *Non occide, non moechare;* quia nunquam venit post unam harum dictionum אַל , לֹא *non*, פֶּן *ne*, כִּי *quia*, אִם *si*, אֲשֶׁר *quod*, אַף *etiam*, לְמַעַן , בַּעֲבוּר *propter*, *propterea*.



V. Infinitivus *pro praeterito, vel praesenti, futuro, imperativo, participio et nomine* interdum ponitur. Exod. VIII. Et Pharao וְהַכְבֵּד *adgravare cor suum* i.e. adgravavit II. Paral. XXXI. 10 אָכוֹל וְשָׂבוֹעַ וְהוֹתֵר *comedere et saturari et remanere plurima* i. comedimus, et saturati sumus, et remanserunt plurima.

Infinitivus pro *futuro*. Exod. XVIII. 22 וְהָקֵל מֵעָלֶיךָ *et alleviare a te*, i. e. levius tibi erit. II Reg. III. 18. *In manu servi mei David* הוֹשִׁיעַ *salvare populum meum* i. Salvabo. Pro *imperativo*. Exod. XX. 8 זָכוֹר *recordari diei Sabbathi* i. recordare : forte legebat : זְכֹר. Num. IV. 1 נָשֹׂא *tollere summam filiorum Caath*. i. e. tolle : forte olim habebatur נְשָׂא Deut. V. 5 שָׁמוֹר *observare diem Sabbathi* i. e. *observa*, vel legebatur שְׁמֹר.

Infinitivus pro *participio*. Iof. III. 17. *Sacerdotes* . . . ftabant הָכֵן *adcingere* se, i. adcincti. Psal. hebr. XXXII. 19 Nolite fieri, sicut equus et mulus אֵין הָבִין *non intelligere* h. e. non intelligentes, sive ut Vulg. *quibus non est intellectus*; relativum אֲשֶׁר saepe deficit, et infinitivus pro nomine substantivo usurpatur.

Infinitivus pro *nomine substantivo*. III Reg. VIII. 52 *Et exaudies eos* בְּכֹל־קָרְאָם *in omni invocare eos* h. e. in omni invocatione seu oratione ipsorum. IV Reg. XIX 27 *Et sedere tuum, et egredi tuum et venire tuum scio et furere tuum contra me* h. e. sessionem tuam seu habitaculum tuum et egressum tuum.

VI. Imperativus *quandoque pro praeterito, praesenti, pro futuro indicativi, et pro subiunctivo usurpatur;* interdum etiam *permissive* exponendus est.

Pro

Pro *praeterito* seu *praesenti* Psal. VIII. 2 *Quoniam* תְּנָה *dedisti* vel das, aut *ponis* vel posuisti *magnificentiam tuam super coelos.* תְּנָה imperativus est cum ה paragogico, non infinitivus. Pro *futuro* indicativi. Gen. XX. 7. *Et orabit pro te* וֶחְיֵה *et vive* i. e. et vives. cap. XLII. 18 וִחְיוּ *et vivite* i. vivetis.

Huc pertinent, quod futura a prophetis praenunciantur forma imperandi. Is. VI. 10. *Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere: excoeca cor populi huius* cet. Imperativus est enallagice positus pro futuro, praesertim quum ratio praenunciandi urgeret; imperativus enim magis energicus est, et Dei decretum magis urget, et inculcat, licet futurum sub imperativo intelligatur hoc sensu: audietis saepe, multumque, sed non acquiescetis; videbitis etiam non semel (signa) sed non sapietis: *obcalluit* enim *cor populi huius*, pro *cor vestrum*, et aures eius graves, et oculi obducti: itaque nec vident oculis, nec audiunt auribus, nec intelligunt corde, ut convertantur et sanentur.

Quando sacri scriptores utuntur imperativo, et videntur mala imprecari, *id non optantis est, sed prophetantis: non ut fiat, sed quia fiet*, scribit S. Aug. in Psal. LXXVII. 24 Et alibi in Psal. V. 11 *Prophetia est, non maledictio: non enim optat* (propheta) *ut veniat, sed cernit quid venturum sit.* Similiter pseudo-Hieron. comm. in cap. I Thren. *Quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos rogant, non voto malitiae, sed spiritu prophetiae hoc quod praesciunt, futurum praedicunt.* Ita explicabis textus: e. g. *Veniat mors super illos*, item *descendant in infernum viventes.* Psal. LXXIX. *effunde iram tuam in gentes* ℣ 12. *Redde vicinis nostris septuplum* cet.

Imperativus pro *subiunctivo* cum coniunctione *si* vel *quamvis*. Num. XXIV. 21 *Robustum quidem est habitaculum tuum* וְשִׂים *et pone in petra nidum tuum* h. e. sed si posueris. Psal. LV. 5. *Irascimini et nolite peccare* h. e. si irascimini. Vid. Nah. V. 15 Eccl. XXX. 9.

Imperativus quandoque *permissive* exponendus est. II Reg. XVIII. 23. *Et ait ei curre*, h. e. curras, sino, antea enim nolebat Ioab. III Reg. XXII. 22. *Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus . . . egredere et fac ita* h. e. permitto, ut egrediaris, et ita facias; non enim iubet Deus, sed permittit.

Optativus modus, quo carent hebraei, variis modis apud ipsos effertur. 1. per particulam לוּ vel לוּא *utinam* iunctum cum *praeterito* vel cum futuro. Num. XX 30 לוּ גָוַעְנוּ *utinam expirassemus*. 2. Cum *futuro*. Gen. XVII. 18. לוּ *utinam Ismael* יִחְיֶה *vivat coram te*. Interdum etiam usurpatur participium. Psal. LXXXI. 14 לוּ *utinam populus meus* שֹׁמֵעַ *audisset me*. 3. *per futurum* sine particula. Iob. III. 3 יֹאבַד *peribit dies* h. e. utinam periisset. Vulg. *pereat*. 4. Per *Imperativum*. Psal. XLV. 5. *Et decore tuo* צְלַח *prosperare* h. e. utinam prospereris. Huc pertinent imperativi *petitorii*, quibus rogatur Deus, ut suam nobis gratiam conferat, et prohibeat mala: illi imperativi optandi vim prorsus obtinent. 5. Per circumscriptionem מִי יִתֵּן *quis dabit*? Vide psal. XIV. 7. II Reg. XXIII. 15.

§. VI.

§. VI.

Hebraismi Periphraſtici.

Periphrasis, *circumloquutio* eſt, quum pluribus verbis aliquid enuntiatur et deſcribitur, idque maxime, vel ut veritas ſplendidius proferatur, vel ut vitetur foeditas. Haec figura frequens eſt et elegantiſſima. Pſal. XXVII. 5 *deſtrues eos et non aedificabis eos* h. e. totaliter eos exſcindes, ne ullus remaneat, qui familiam propaget, quia familia aedificatur per filios. Item Pſal. LXXIII. 20 *Repleti ſunt, qui obſcurati ſunt terrae domibus iniquitatum*: hi ſunt latrones, qui quaerunt latebras, quales latebrae ſunt Ieroſolyma, poſtquam diruta ſunt. Hebraeum nullam habet difficultatem: *quia repleta ſunt loca obſcura terrae domibus violentiae* ſeu *rapinae* i. e. terra, quam nobis promiſiſti, modo redacta eſt in eum ſtatum, ut ſit plena latibulis et ſpeluncis iniquitatum ſeu latrociniorum, ſicut ſit in provinciis devaſtatis. Pſal. LXVIII. *Infixus ſum in limo profundi, et non eſt ſubſtantia*; nulla baſis, nulla ſub aut conſiſtentia; mergor profundius et profundius; dictum de eo, qui maioribus et maioribus malis ſe mergi queſtus eſt. Pſal. LXXXIV. 10. *Ut inhabitet gloria in terra noſtra*, i. ut aedificetur templum, quod eſt gloria Iſrael. Elegans peraphraſis illa Iſ. XL *omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa et aſpera in vias plenas*, h. e. tam facile erit tempore Meſſiae conſequi gratiam et Dei miſericordiam, quam facile viatori iter facienti, ſi montes deſcendant, et valles aſcendant; quia tum omnia eſſent plana.

Pſal. VII. 1. *Saul* periphraſtice circumſcribitur *Chus filius Iemini*. Babylonia Iſ. XXI *deſertum maris*; et cap. XXII. 1. 5. Iudaea ſive Ieruſalem adpellatur *vallis viſio-*

 nis.



nis. Gen. XXXVIII 14 bivium periphrastice dicitur *ianua oculorum*, quod illis ianua quasi aperiatur. ut eorum intuitus huc illud feratur. Iud. III. 24. *Pedes tegere* honestissima loquutione pro ventrem purgare usurpatur; hebraei enim tunicas laxas et circa corpus defluentes gestabant; unde fiebat, ut, dum corpus inclinarent ad purgandum ventrem, tunica demitteretur in terram usque, atque ita pedes contegeret. Eodem euphemismo IV Reg. XVIII. 27 If. XXXVI 12 urina dicitur *aqua pedum*; partes enim ventre inferiores *pedum* nomine adpellabant hebraei: ipsa punctatio Massorethica indicat aliter legendum esse, ac literae exhibent; habetur ibi שֵׁינֵיהֶם ipsa puncta legendum indicant מֵימֵי רַגְלֵיהֶם *aquas pedum* II. Paral. XXXII 21 Filii Senacherib vocantur *egressiones viscerum eius*. Iob X. 21 Mors et sepulchrum periphrastice describuntur per *terram tenebrosam, et opertam mortis caligine*. Sic *species decoris*, *species Iacob* pro templo, *lacus profundi* pro sepulchro: *portae mortis* pro periculis; *exitus mortis* pro salus praestita, *laquei mortis*, *umbra mortis* pericula vitae sunt, de quibus infra.

Quod ad Syntaxin grammatices spectat, scias, hebraicam linguam superlativo gradu, quantum ad terminationem, carere, unde variis modis periphrastice exprimunt.

I. *Per continuam adiectivi vel substantivi repetitionem*. I. Reg. II. 3. *Ne loquamini elatum, elatum* i. elatissime, superbissime. Prov. XX. 14 *malum, malum ait, emtor* i. e. pessimum. If. VI. *sanctus, sanctus, sanctus* i. e. sanctissimus. Vehementissimae sunt geminationes hae: אֶרֶץ אֶרֶץ אֶרֶץ *Terra, terra, terra*, item *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini*. Adiectivo tamen repetito superlativus non semper exprimitur. Num. III 9. Et

Et dabis Levitas Aaroni et filiis eius, *donati donati ſunt ei et filiis eius* h. e. certiſſime donati ſunt; hac enim repetitione non ſuperlativus gradus, ſed certa donatio ſignificatur.

II. *Per ſubſtantivum in genitivo caſu ſe ipſum regens.* Gen. IX. 25 *ſervus ſervorum erit Chanaan* i. viliſſima ſervitute preſſus, et fratribus ſuis ſubditus. Exod. *XXVI.* 33. *inter ſanctitatem ſanctitatum* i. ſanctiſſimum locum in templo. Oſeae *X.* 15 *propter malitiam malitiae veſtrae* h. e. ſummam malitiam. Superlativum etiam exprimunt per duo ſubſtantiva ſynonyma per copulam *et* ſeu *Vaf* coniuncta. Ezech. *XXXV.* 3 *deſolationem et deſolationem* i. deſolatiſſimam.

III. Superlativum exprimunt per adiectum regens ablativum cum praepoſitione ב *in* Amos *XIV.* 15. *Homo magnus fuit* בָּעֲנָקִים *in* vel *inter Anakeos* i. maximus. *Praeceptum magnum* בְּתוֹרָה *in lege* i. maximum. Vid. I Reg. *XVII.* 12. Cant. *I.* Ierem. *XLIX.* 15. *Ecce parvum in gentibus dedi te*, *et contemtum in hominibus* i. minimum cet. Dein ſine praepoſitione, ſubſtantivoque in genitivo caſu per adiectivum recto. Sic גְּדוֹלֵי הָעִיר *magni urbis* i. optimates. *II* Paral. *XXI.* 17. *parvus filiorum eius* i. e. minimus natu. Eumdem ſenſum efficit adfixum cum adiectivo iunctum. Ion. *III.* 5. מִגְּדוֹלָם *a magno eorum* i. maximo וְעַד־קְטַנָּם *et ad parvum eorum* i. minimum.

IV. Quandoque per nomen abſtractum pro concreto ſeu adiectivo poſitum. Gen. *III.* 6 *Viditque mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum*, *et* תַאֲוָה *deſiderium oculis* i. e. deſideratiſſimum. Gen. *XII.* 2 *eriſque* בְּרָכָה *benedictio* i. benedictiſſimus. *Cant. V.* 19. *Guttur illius dulcedines* i. ſuaviſſimum. *Vir orationis* i. multum orans. *quia deſideria tu es* i. vir deſideriorum.

V.

V. Per adverbium intendendi מְאֹד *valde* adiectivo adpositum. Gen. *I. Viditque Deus cuncta* . . . et erant מְאֹד *valde bona* i. optima. Quodsi adverbium istud repetatur, auget emphasin. Num. *XIV.* 6 *Bona est terra valde valde* i. perquam optima. Matth. *II.* 10 *gavisi sunt gaudio magno* σφόδρα valde, i. maximo.

VI. Per syllabae vel literae in substantivo repetitionem, quae ad intendendam significationem, reique duplicationem facit. Exod. *XV.* 16 אֵימָתָה *maximus terror* ab אֵימָה *terror*, cuius ultima litera ה mutatur in ת, et additur praeterea aliud ה nota foemin. gen. sic יְשׁוּעָתָה *maxima salus* a יְשׁוּעָה. Et in alia forma, *geminatis* nempe *radicalibus*; ut: חַלְחָלָה *dolor maximus* a חול *dolere*. If. *LXI.* 1 פְּקַח־קוֹחַ *omnimoda apertio*, ubi scribitur ut duae voces, sed unica est constans ex geminatis duabus ultimis radicalibus a פָּקַח *aperuit. In adiectivis.* Ierem. *XLVI.* 20. יְפֵה־פִיָּה *pulcherrima* a יָפֶה *pulcher*. unde יָפְיָפִיתָ *pulcherrimus fuisti*. Thren. *I.* 20. *viscera mea* חֳמַרְמָרוּ *maxime turbata sunt* ab חָמַר *turbari* in pual.

VII. In specie superlativus gradus effertur quibusdam vocibus, quae miram emphasin ac intensionem in lingua sancta obtinent. Illae autem sunt.

בְּכוֹר Primogenitus, quo nomine in scripturis vocatur, quod in suo genere excellit, et summum est. Metaphora autem desumitur ex nobilitate et praestantia iuris primogenitorum, eaque vox tam in *bonum*, quam in *malum* usurpatur. Psal. *LXXXIX.* 28. *Ego* בְּכוֹר *primogenitum ponam illum* (Christum) *excelsum in regibus terrae* h. e. mirum in modum exaltabo. Job *XVIII.* 30 *Comedat ramos eius* (impii) בְּכוֹר־מָוֶת *primogenitus mor-*

tis



tis i. e. mors cruentiſſima. R. Levi per *ramos* intelligit *membra*, R. Qimhhi intelligit *brachia*, unde per hanc mortem *famem* intelligit, quae inter alias mortes velut principatum tenet. quia non contigit, quod homo comedat carnem brachiorum ſuorum, niſi ob maximam famem. Iſ. *XIV.* 30 *Paſcentur primogeniti pauperum* i. iudaei pauperrimi, multisque calamitatibus adtriti. Sic cum verbo inde deducto: Ezech. *XLVII. Per ſingulos menſes* יְבַכֵּר *primogenitabit* (arbor pomifera) h. e. fructus praeſtantiſſimos proferet. Col. *I.* 15 Chriſtus dicitur *primogenitus omnis creaturae* h. e. princeps et Dominus omnium creaturarum, non ut creatura, ſed ut creaturarum conditor. Apoc. *I.* 5 *primogenitus ex mortuis* i. praeſtantiſſimus; ſequitur enim, ut ſit ipſe in omnibus *primatum tenens* tum ratione perſonae, quia divina eſt, tum ratione potentiae et operationis; illius enim merito et virtute omnes credentes ad vitam reſurgent.

חֵלֶב Adeps ſive medulla, quae pro optimo cuiusque rei ponitur. Gen. *XLV.* 18 *ut comedatis adipem* Vulg. medullam terrae h. e. fructus terrae ſelectiſſimos. Sic Στεαρ πυρε *pinguedo tritici* i. optimum triticum.

Hebraei, quae ſumma dicere volunt, enuntiant per אֵל ,אֱלֹהִים ,יְהוָה nempe per nomina Dei, quibus, quod eſt excellentiſſimum, et maximum et vehementiſſimum eſt, ſignificatur. Sic *montes Elohim* ſunt montes maximi; *iuſtitia Dei ſicut montes Dei* i. iuſtitia maxima; *Arbores* יְהוָה *Cedri Dei* ſunt arbores proceriſſimae, altiſſimae. *Princeps Dei es apud nos* Gen. *XXIII.* 6. i. princeps maximus. *Civitas magna Domino* i. maxima. Utuntur etiam ſubinde voce *Angeli* Sap. *XII.* 20 *Eſca Angelorum* i. iucundi adeo ſaporis, ut dici poſſet angelorum manu praeparatam ac eorumdem cibum eſſe.

Hebra-



Hebraismus peraphrasticus eleganter accidit in voculis בַּעַל *Dominus*, בֵּן *filius*, בַּת *filia*, אִישׁ *Vir* et אֱנוֹשׁ *homo* בַּיִת *Dominus*.

בַּעַל *significat* 1 *rei possessionem*. Exod. *XXII*. 7. *Dominus*, *Domus* i. paterfamilias. *I* Sam. *XXVIII*. 7 *Domina pythonis* pythonissa. *IV* Reg. *I*. 8. *Dominus pili* i. pilosus. *Dominus alae* i. habens alas, aut alatus. *Dominus rostrorum* i. rostra habens. *Dominus cornuum* cornutus rel.

2. Significat *rei subiectum* Gen. *XIV*. *Domini foederis Abram* h. confoederati cum Abraham. *Viri iuramenti* i. coniurati, foederati. *Dominus somniorum*, somniator. *Domini sagittarum* sagittarii. *Dominus verborum seu negotiorum*, qui habet controversias, vel dubia aliqua. Cant. *VIII*. 11 *Vinea est Salomoni* (Vulg. pacifico, vocem שְׁלֹמֹה ut adpellativam accepit) בְּבַעַל הָמוֹן *in domino multitudinis*, vini scil. i. e. in loco feraci.

3. Significat *loci incolam seu habitatorem*. Num. XXI. 28 *Domini Excelsorum* i. habitatores Excelsorum. Iud. *IX*. *Domini Sichem* i. habitatores.

4. Significat *rei alicui* quacunque ratione deditum. Eccle. *XII*. 11 *Verba sapientum quasi stimuli* (sunt) *et clavi infixi*, *Domini collectionum*. h. e. qui in dicta sapientum colligenda incumbunt. *Dominus dissipationis* i. prodigus.

בֵּן *filius* בַּת *filia* varios hebraismos gignunt. *Filii Belial* h. e. viri iniqui. בְּלִיַּעַל *Belial* enim componitur vel ex בְּלִי *non* et יַעַל in hiphil *profuit*, h. e. secundum hebraismum *nocuit*: vel ex בְּלִי *sine*, et עֹל *iugum* q. d. *vir sine iugo*, qui iugum legis ac timoris Dei excussit. *II* Reg. *II*. 7 *filii fortitudinis* h. e. robusti. *filii fideiussionum*



num h. e. obsides. *Cornu filii olei* i. Clivus pinguis, adeoque uberrimus. *Filii lucis* homines a Deo inluminati, quibus ibidem obponuntur *filii huius saeculi*, huius mundi vanitatibus addicti: vel etiam accipiuntur pro hominibus adhuc viventibus, quibus obponuntur *filii resurrectionis*. *Filius mortis* i. morte dignus et sic de plurimis. Exod. *XII.* 5. *Agnus . . . filius anni* i. annicu-lus. Ion. *IV.* 10 *filius noctis*, i. qui una nocte crevit et periit. Gen. *XV.* 3 *filius domus meae.* i. e. vernaculus meus. *Filii populi mei* i. e. cives mei. *Filii Provinciae* i. incolae. *filii Orientis* orientales populi. Ezech. *XXX.* 5. *filii terrae foederis* h. e. incolae terrae illius, quibuscum foedus initum est, seu simpliciter iuncti foedere. *filius arcus*, sagitta. *filii pharetrae* i. sagittae, quae in pharetra continentur. *filius Areae*, frumentum, quod in area trituratur et ventilatur. *filia maris*, navis, *filii prunarum*, scintillae. Matth. *IX.* 15. *οι υιοι τȣ νυμφωνος filii thalami nuptialis* h. e. amici sponsi. Job. *XXXVIII.* 32 Nunquid . . . Arcturum עַל *cum filiis suis deduces?* per coelum scil. h. e. Arcturum cum stellis propinquis. *Filii cantici* i. aures, in quibus recipitur cantionum sonus. Cant. *VI.* 14 *porta filia multorum* h. e. maxime frequentata. *Is. XIV.* 12. *Quomodo cecidisti Lucifer de coelo filius aurorae* h. e. ut *LXX. mane oriens*: hac autem periphrasi stellae matutinae, aut Luciferi rex Babylonis significatur, ut liquet ex contextu.

Ezech. XXVII Transtra tua fecerunt ex dente filia gressuum ita hebraeum, i. e. ex ebore optimo; illud enim ebur praestantissimum est, quod ab elephantibus defoditur in terram, et in ea pedibus teritur. Gen. *XLIX.* 22 בֵּן פֹּרָת *filius fructificantis* seu *frugiferae* (arboris) *Ioseph* h. e. ramus foecundus. *LXX filius adcrescens*,

scens,

ſcens, videntur legiſſe בֶּן פּוֹרָה. Item בֵּן ſignificat *diſcipulum* : ſic *filii prophetarum* i. diſcipuli.

אִישׁ *Vir* hos parit hebraismos : *Vir verborum* i. eloquens. *Vir formae* i. pulcher. *Vir ſanguinum*, *vir Belial* vir ſanguinolentus , homicida et nequiſſimus. *Vir labiorum* i. e. verboſus. *Vir amicorum* i. cui ſunt amici. *Vir muneris* munificus, qui large dat munera: aut in malum *Vir munerum* Prov. *XXX.* 4 muneribus inhians, qui capitur muneribus. *Vir correptionum*, ſaepius correptus. *Viri pecoris* i. paſtores. *Viri cordis* i. cordati, prudentes. *Vir terrae*, agricola. *Vir agri*, crebro in agrum egrediens venationis ergo, venator. *Viri domus* domeſtici. *Vir rixae* i. rixoſus, aut etiam paſſive , cui litis intenditur. *Vir voluntatis meae* i. qui voluntatem meam perficiat. Pſal. *LXXX.* 18 *Fiat manus tua ſuper virum dexterae tuae* i. e. quem dextera tua ſeu virtute tua protegis. Eadem eleganti periphraſi homines, qui potentia, opibus cet. a Deo conceſſis ad obpreſſionem pauperum et innocentium abutuntur, vocantur *inimici manus Dei*, nam *homines manus Dei* ſunt, quibus Dominus robur et vires conceſſit. Vide infra.

בַּיִת Domus hos gignit loquendi modos. *Domus ſervorum* h. e. locus, in quo dura ſervitute premebatur populus iſraeliticus. *Domus vinctorum* i. carcer. *Domus remotionis* i. locus remotus. *Domus aeternitatis* i. ſepulchrum. *Domus vini* i. cella vinaria. *Iſ. III.* 21. *Domus animae* h. e. Olfactoriola. Alii myrothecia , in quibus ſervantur unguenta pretioſa , quae recreant animam, ac veluti in corpore, ceu in domo, animam retinent, quum ex eo per deliquium videbatur exire. Alii per *animam* intelligunt halitum, quem ex ſe exhalant pixides olfactoriae.

§. VII.



§. VII.

Hebraismi Synecdochici.

Synecdoche tropus eſt, quo totum pro parte, et vice verſa pars pro toto ponitur. Totum autem vel eſt *genus*, vel *integrum*; pars vero eſt *ſpecies* vel *membrum*. Antequam de eruditis propheticis loquutionibus ſynecdochicis, quibus David, Salomon, et Prophetae uſi fuerunt, loquar, faciliora praemittam, quae viam ad difficiliora pandunt. Synecdoche itaque generis eſt, quum *genus* pro *ſpecie*, vel *univerſale* pro *particulari* accipitur. Duplex illa generis ſynecdoche facile diſtinguitur; prior enim eſt, quum univerſalitatis notandae ſigna adhibentur, qualia ſunt *omnis, quicunque*, *nullus*, *nemo* rel. Poſterior, quando uſurpantur vocabula, quae univerſalitatem quamdam, pluralitatemque ſuo ſignificatu exprimunt.

Omnis pro maiori parte ſaepius ponitur, ita ut *omnes* ſint pro *multis*. Sic Exod. *IX.* 6. *mortuaque ſunt omnia animantia Aegyptiorum* h. e. omnia, quae in agro erant ex ℣. 19. 25. *Ioan. X.* 8 *omnes*, *quotquot* (graece *ante me) venerunt*, *fures ſunt et latrones* i. e. omnes, qui nec vocati, nec miſſi fuerunt rel. Moſes enim, prophetae et Joannes baptiſta latrones non fuerunt.

Huc pertinet, quod univerſalis propoſitio adfirmativa quandoque intelligenda ſit non de ſingulis individuis, ſed de quibuslibet ſpeciebus, vel quae antiquorum dialecticorum vox eſt: non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum. Gen. *II.* 16. *Ex omni ligno paradiſi comede*, praeterquam arboris ſcientiae boni et mali. Joel *II.* 28 *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem* i. omnis generis homines, non erit diſtinctio Judaei et

graeci, servi et liberi, maris et foeminae. Sic et propositio universalis negativa quandoque restringenda est, et in particularem convertenda. *I. Reg. XIX.* 11 *Et non loquutus est Saul quidquam in die illa*, nempe de Davidis absentia Psal. *XIII. non est qui faciat bonum; omnes declinaverunt.* Matth. *V.* 34 *ego autem dico vobis*, *non iurare omnino* h. e. temere, leviter.

Posterioris generis exempla quod adtinet, nomina latiora pro angustioribus et universaliora pro specialioribus usurpantur.

I. Caro pro homine. Gen. *VII.* 12. *omnis quippe caro corruperat viam suam* i. omnes homines.

Domicilium sive *habitaculum* pro carcere. Act. *XII.* 7 *Ecce Angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo*, i. carcere: sic etiam carcer Athenis vocabatur teste Plutarcho.

Domus pro templo Luc. *XI.* 51. *Qui* (Zacharias) *periit inter altare et domum* i. e. templum.

Lingua pro lingua maledica, sive pro detractione et calumnia. Psal. *CXXXIX* 12. *Vir linguae non dirigetur in terra* h. e. vir maledicus non prosperabitur.

Mutatio pro morte, quae maxima omnium mutatio est. Iob XIV. *donec veniat immutatio mea* i. mors mea. Vide Prov. XXXI. 8 ubi בְּנֵי חֲלוֹף *filii mutationis*, sive *transitus*, sunt rei mortis, et interfectioni destinati.

Statutum (חק) pro cibo ordinario et quasi demenso Gen. XLVII. 22 *Et comedebant* (sacerdotes) חֻקָּם *statutum suum, quod dederat illis.* Eleganter Vulg. *quibus statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur.* Sic Prov. XXX. 8 *Nutri me pane* (חֻקִּי) *statuti* sive *dimensi mei.* Solebat enim, maxime servis (quod etiamnum cernimus

mus quoad quosdam milites) panis certo pondere et menſura, qui ſufficiebat, dietim diſtribui. Vulg. *tribue tantum victui meo neceſſaria.*

II. *Verba generaliora pro ſpecialioribus poſita.*

Abducere, aut *ducere* pro rapere ad ſupplicium. Act. XXII. 19. *Herodes . . . iuſſit eos* ἀπαχθῆναι *abduci* ſeu *duci* ad ſupplicium ſcilicet.

Accipere (לקח) in ſcripturis ſynecdochice adhibetur pro *emere* ſeu comparare. III Reg. XXVIII. *Negotiatores Regis accipiebant* (equos) *de Coa* i. emebant. Dein pro *diſcere*. Prov. I. 3. לָקַחַת *ad diſcendam eruditionem doctrinae*: unde nomen לֶקַח *doctrina* Prov. IV.

Affligere pro conſtuprare et comprimere mulierem. Iud. XIX. 24 *Educam eas ad vos, ut adfligatis eas* (Vulg. humilietis) Idem verbum de animabus uſurpatum ieiunare ſignificat. Lev. XVI. 29. *Menſe ſeptimo . . . adfligetis animas veſtras* i. e. jejunabitis.

Aperire pro arare et terram colere. Iſ. XXVIII. 24 *Numquid tota die arabit arans, ut ſerat*: יְפַתַּח *aperiet et ſarriet humum ſuam.* 2. pro ſculpere in gemmis, aere, lapide cet. utrumque enim aperiendo fit. Exod. XXVIII. 9 *ſumesque duos lapides Onychinos* וּפִתַּחְתָּ *et aperies in eis nomina filiorum Iſrael.*

III. Synecdoche *ſpeciei* eſt, quum ſpecies pro genere, vel particulare pro univerſali ponitur. Sic *multus* pro omnis. Dan. XII. 2. *Multi de his, qui dormierant in pulvere terrae, evigilabunt*, i. omnes. Sic de Meſſia Iſ. LIII. 12. *Ipſe peccata multorum tulit* h. e. omnium. Sic Pater pro Avo. II Reg. IX. 7. *Reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui* i. avi tui. Et frequens eſt in ſcripturis mos dicendi, quo *fratres* pro cognatis et con-

sanguineis ponuntur. Sic Iacobus dicitur *frater Domini.*

Lapis pro qualibet re noxia agris. Iob V. 22. *Sed cum lapidibus agri* (erit) *pactum meum* h. e. lapides, qui agros steriles efficiunt, tuo non nocebunt, nec eius fertilitatem impedient: heic etiam agri noxium pro quovis detrimento per synecdochen accipitur. Nota phrasin: *foedere iungi* pro non nocere: cui enim foederatus quis est, ille non nocet.

Leo pro quavis immani bellua. Is. XV. 9. *His qui fugerint de Moab, ponam seu immittam leonem* i. e. omnis generis feras bestias, quae eos devorabunt.

Rapina (טֶרֶף) *praeda*, qua ferae vivunt, pro quavis esca seu cibo sumitur. Prov. XXXI. 15 *deditque praedam domesticis suis.* Supra ℣ 11 *et spoliis non indigebit* i. rebus domui necessariis, cibariis, quae ita vocat per allegoriam *mulieris fortis*, adludens ita ad invictum labore animum, quo ea comparare studet.

Sanguinum voce denotantur 1. homicidia, caedes. 2. reatus et poena. Lev. XX. 9. *Patri matrique qui maledixerit* דָּמָיו בּוֹ *sanguines eius* (sint) *super eum* h. e. morte moriatur. 3. Peccata quaelibet gravissima. Psal. L. 16 *Libera me de sanguinibus* h. e. non solum de reatu caedis illius, sed de quibuslibet aliis gravissimis peccatis.

Vestis pro quibusvis necessariis, et rerum abundantia. Is. III. 6. *Vestimentum tibi est, princeps noster esto.* Vide etiam ℣ 7.

Duplum seu duplicia pro multo, et eo, quo plus satis est. Is. XL. 2. *Iuscepit* (Ierusalem) *de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis* h. e. satis superque castigata

gata



gata eſt. *Duo* vel *bis* pro ſaepe, aut aliquoties. Pſal. hebr. LXII. 12 *ſemel* (i. e. conſtanter et inmutabiliter) *loquutus eſt Deus*, *duo haec audivi* i. e. ſaepe hoc audivi, ſaepius mecum repeto, nim. quod Deus ſolus ſalvare poteſt, proindeque ſpes in eo; non in robore, opibus cet. reponenda ſit. Eſt itaque ſynecdoche ſpeciei, nempe numeri certa pro multitudine indeterminata.

Septenarius numerus pro multitudine infinita: unde Kimhhi in Iſ. IV. *mos eſt ſcripturae*, *ſeptenarium numerum pro multis uſurpare*; *propterea quod omnes dies ſaeculi in ſeptimanas diſtribuantur*. Lev. XXVI. 18. *Addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra* i. e. peccata veſtra multipliciter puniam. Septenarius numerus interdum dividitur in tria, quatuor. Amos I. 3. *ſuper tribus ſceleribus Damaſci*, *et ſuper quatuor non convertam eum*. h. e. ſuper ſeptem vel potius multis ſceleribus populi Damaſci non convertam eum ad me per poenitentiam, quod feciſſem utique, ſi bis aut ter tantum peccaſſet: atquia *ſepties* i. multoties peccavit, non convertam eum.

Septenario numero *Octonarius* additur, quo maior numerus itidem indefinitus exprimitur. Eccl. XI. 2. *Da partem* (panis tui i. bonorum tuorum) *ſeptem*, *nec non et octo* (h. e. multis) *quia ignoras*, *quid futurum ſit mali ſuper terram*; ingruere enim poteſt calamitas, qua tu ipſe bonis tuis ſpoliatus aliorum ope indigeas. Heinc *ſepties* adverbialiter pro *ſaepe* crebro ponitur: adludit ad hunc locum S. Ambroſius l. V. in Luc. VI. *Et mandatum accipis octo illis partem dare*. Gen. IV. 15. *Qui occiderit Cain*, *ſepties punietur* Vulg. ſeptuplum; numerus certus pro incerto, i. e. gravius ipſo Caino punietur, utpote qui eius exemplo et ſuppliciis ab homicidio per-



petrando deterritus non fuerit. Eodem sensu dicitur ℣ 24 de *Lamech septuagies septies* ultio dabitur, h. e. qui occiderit Lamechum, longe adhuc gravioribus suppliciis adficietur.

DECEM pro multis. Gen. XXXI. 7. *Mutavit mercedem meam decem vicibus* i. plurimis. Item pro *paucis*. Is. VI. 13. *Adbuc in ea* (terra Iuda) *erit decimatio* h. e. pauci aliquot superrerunt. alii sic explicant: *adbuc erunt decimae* i. terra Iuda iterum habitabitur, decimas et primitias offeret.

IV. *Verba quaedam specialiora pro generalioribus synecdochice ponuntur.*

INGREDI et EGREDI pro omnibus vitae actionibus et officiis usurpatur. Num. XXVII. 21. *Ad verbum eius* (Domini) *egredietur et ingredietur* i. e. omnes suas actiones instituet vide II Paral. I. 10. Nota Phrasin. *surgere* et *sedere* pro quibusvis vitae actionibus. Psal. CXXIX. 2. *Tu cognovisti sedere meum et surgere meum.* Vul. sessionem et resurrectionem meam i. e. omnes vitae meae actiones exploratas habes.

VENIRE בוא pro *ire*, *vadere*. Heinc Ioan. XX. 1 Maria dicitur *venisse* ad monumentum, *dum adhuc essent tenebrae* h. e. ire incepisse: eo enim pervenit *orto iam sole.*

V. Synecdoche *temporis* frequens in scriptura occurrit, ubi tempus pro temporis parte ponitur. Gen. XVII. 8 *daboque tibi et semini tuo terram . . . in possessionem* לְעוֹלָם *in aeternum*, h. e. quamdiu politia iudaica durabit. Exod. XXI. 6 *et erit ei servus in saeculum* h. e. usque ad iubilaeum. Ierem. V. 15 Babylonii dicuntur *gens ab aeterno* i. e. antiqua. Ibid. XVII. 4 et XXV. 9 Iudaeorum servitus duratura dicitur עוֹלָם *in aeternum*,

quae

quae tamen ỳ 11 *feptuaginta* annorum fpatio definitur. Itaque vox עוֹלָם et *indefinitum* et *definitum* tempus fignificat pro locorum circumftantiis: neque in noftris codicibus hebraicis animadvertitur difcrimen. Dicit quidem S. Hieronymus in cap. I. ep. ad Gal. quod, quando *Holam* cum Vaf fcribitur, aeternitatem fignificet: ubi vero fine *Vaf* fcribitur, annum quinquagefimum; quem hebraei iubilaeum dicunt. At hoc difcrimen in bibliis hodiernis etiam adcuratiffimis nequaquam obfervatur: nam Exod. *XV.* 18 *Dominus regnabit* לְעֹלָם *in aeternum et ultra*, vox *holam* fcribitur fine *Vaf*. Vice verfa Deut *XV.* 17 ubi lex eadem refertur, quae fupra Exod. *XXI. 6.* לְעוֹלָם cum *Vaf*, quamvis tempus finitum denotet. Forfan in codicibus S. Hieronymi illae voces ita fcriptae fuere.

VI. Synecdoche *partis* pro *toto*, feu *membro* pro *integro*. Sic

Anima pro toto homine Gen. *XII.* 5. *Tulitque* (Abram) *Sarai uxorem fuam . . . et animas, quas fecerant in Haran.* Sic et *corpus* pro toto homine. Exod. *XXI.* 3. *fi cum corpore fuo venit* (fervus) *cum corpore fuo egredietur* i. e. fi folus venit fine uxore, folus egredietur; fi autem habuerit uxorem, quando venit, egredietur et uxor cum illo; i. libertate donabitur. Similiter *fangui* Pfal. *XCIII.* 21 *et fanguinem innocentem condemnabunt* h. e. hominem innocentem. Pariter *Caput.* *IV.* Reg. *II.* 3. *Nunquid nofti, quia Dominus tollet Dominum tuum a capite tuo* h. e. a te. heinc

Phrafis ifta: *fanguinem effe fuper caput alicuius*, eft ipfummet mortis fuae caufam effe, vel poenam peccati fui luere.



Oculus, *facies*. Matth. *XIII.* 16 *Vestri autem beati oculi*, *quia vident* h. e. vos autem beati, qui videtis. Heine *oculi elati* seu *sublimes* pro hominibus superbis ponuntur. *Os* oris. Prov. VIII. 13 *Os perversitatum detestor*. Vulg. Os bilingue. h. e. hominem perversum, mendacem. *Cor*, Gen. *XXXI.* 26. *Quid fecisti*, *et furatus es cor meum*, *et abduxisti filias meas?* quare ita egisti, ut clam a me abigeres filias meas. In hac autem phrasi *furari aliquam*, videtur esse quaedam hypallage pro *furari se ab aliquo* h. e. per metaphoram, clam eo se subducere.

VII. Haec synecdoche etiam in hominibus coniunctis conspicitur, et quando Parens pro filiis et posteris nominatur. Sic *Ephraim*, *Ioseph*, pro toto populo Israelitico, *Beniamin* pro omnibus Iudaeis. Imperator, caput et dux exercitus, pro toto exercitu. I. Reg. *XVIII.* 7 *Percussit Saul mille*, *et David decem millia* h. e. David cum suo exercitu. Exod. XII. 40 *Habitatio autem filiorum Israel*, *qui manserunt in Aegypto*, *fuit quadringentorum triginta annorum* *) ubi per filios Israel simul intelligen-

*) Ingens librariorum incuria irrepsit mendum in textum hebraeum, ac ex eo in nostram Vulgatam; quum iuxta adcuratissimam chronologiam hebraei non pluribus, quam 215 annis in Aegypto commorati sint: ut ergo illi 430 anni habeantur, computandi sunt anni, quibus *Abraham* (nempe ab anno 75 aut 76, quo in Chanaan peregrinari coepit) Isaac et Iacob peregrinati sunt. Sic expresse habet textus Samaritanus, qui etiam hebraeus est solis characteribus ab hebraeo distinctus. *Commoratio autem filiorum Israel et patrum eorum*, *quam habitaverant N. in terra Chanaan et in terra Aegypti*, *quadringentorum fuit et triginta annorum*: ita etiam LXX, utrumque Talmud Ierosol. et Babylon. Ut autem mendum hoc, quod certe non Moysi Hagiographo, sed librariorum negligentiae adscribi oportet, ex ipsa chro-

ligendi sunt et Pater, qui *Iacob* est, et avus *Isaac*, et Proavus Abraham; stirps enim cum posteris ut unum
H 5 quod-

chronologia pateat. Nam in historia Mosaica I Paral. constat *Caath* filium *Levi*, *Amrami* fuisse patrem et avum Moysis. At *Caath* cum patre suo *Levi* et avo Iacob in Aegyptum descendisse dicitur Gen. XLVI. 11 Eumdem porro nonnisi 133 et Amramum solum 137 annis vixisse, habetur Exod. VI. 18. 20. His si addas annos Moysis, Amrami filii, scil. 80, quos agebat, dum eduxit filios Israel, summa omnium erit 350. Detrahendi ab hac summa sunt anni, tum quos *Caath* post natum *Amramum*, tum quos Amramus egit post natum *Mosen*: quis enim utrumque anno vitae suae praecise ultimo genuisse dixerit? Detrahendi sunt item anni, quos ante descensum in Aegyptum exegerat ipse *Caath*, ne iidem anni bis numerentur. Haec unica demonstratio, ut alias brevitatis causa praeteream, sufficiat, ad convincendum mendum in hebraeo cubans.

Neque me latet, quosdam dicere in citato, aliisque locis aliquas generationes fuisse omissas, sicut et Matthaeus tres generationes omisit: vide etiam librum Ruth. At dico, sine fundamento aliquas generationes heic obtrudi: vel enim Moysi istae generationes cognitae erant vel non? Si primum; quur illas omisit nulla interveniente et cogente causa? Si non; qua ratione novas Moysi, totique antiquitati ignotas generationes obtrudere audes? Scriptura, ubi subin aliquid in uno loco omittit, supplet in alio, ut patet in libb. *Sapientia* et *Paralippomenon*. Quod Matthaeus tres illas generationes omiserit, scimus ex aliis sacris libris, illumque suas habuisse rationes illas omittendi, certum est; At Moysen illas generationes omisisse, nullo solido fundamento adseritur, maxime, quum sciamus, nullum Moyse in conscribendis genealogiis patriarcharum fuisse adcuratiorem, atque perfectam nobis voluisse tradere historiam: oportuit ergo, ut et illas si cognitae sibi fuissent, exprimeret, non subprimeret generationes. Potius ergo dicendum, modernum textum hebraeum esse mendosum, maxime, quum id dicendi adsint fundamenta gravissima, ex authoritate textus Samaritici, qui pariter hebraeus est, et LXX Interpretum. Vide dissertationem R. P. Smitsii in hunc locum, et dissertationem de annis Sale et Arphaxad.



quoddam integrum confideranda eft. II Reg. XI. 32 *Porro una tribus remanebit ei propter fervum meum David:* cum hac tribu coniungenda eft pars tribus Beniamin et Simeonis; ei infuper adcenfendi funt Levitae, cum quibusdam de populo, Idololatriam Ieroboami deteftantibus.

VIII. Synecdoche *partis pro aliis rebus.* Sic AGER pro tota regione. Gen. XIV. 7 *Et percufferunt omnem agrum Amalecitarum* i. omnem regionem.

ANGULUS pro arce vel turri. Sophon. I. 16. *Dies tubae et clangoris fuper civitates munitas et angulos excelfos.* h. e. arces feu turres excelfas.

CLAVUS pro tentoriis militaribus, quae clavis panguntur et adfiguntur. Zach. *X.* 4. *Ex ipfo* (Domino) *angulus* (i. e. turres et propugnacula, ut fupra) *ex ipfo clavus* (Vulg. *paxillus* i. tentoria) *ex ipfo arcus praelii* h. e. omnis generis arma, nam arcus faepe fumitur pro omni armorum genere, quia arcu maxime utebantur veteres.

LAPIDES pro ftructura redintegrata. Pfal. CI. 15. *quoniam placuerunt fervis tuis lapides eius*, Sionis fcilicet, i. e. quoniam avidiffime cupiunt fervi tui urbem fanctam reftaurare; et fequitur: *terrae eius* (fubaudi modo iacentis in vaftitate et penitus combuftae) *miferebuntur.*

MURUS, PORTA pro urbe. Amos I. 7. *Et mittam ignem in murum Gazae* h. e. in urbem Gazam, *et devorabit aedes eius.* Gen. *XXII. poffidebit femen tuum portas inimicorum tuorum* i. e. urbes. Vox eadem metonymice etiam fumitur pro incolis urbis, qui per portas ingrediuntur et egrediuntur. Ruth. II. 11. *Quia novit omnis porta populi mei* i. omnis populus, qui habitat intra portas urbis meae.

IX.

IX. Synecdoche Temporis, quae non rara eſt, et qua pars temporis pro toto tempore, eoque vel indefinito, vel definito ponitur.

Dies pro tempore. Gen. VIII. 22. *Cunctis diebus terrae* h. e. toto tempore, quo terra perſeverabit. Vox illa videtur etiam accipi pro aeternitate. Iſ. *XXIV.* 22 *Et congregabuntur* (Daemones aliique reprobi) *congregatione unius faſcis in lacum* (h. e. quemadmodum colligitur faſcis, ac in ignem proiicitur) et *claudentur ibi in carcere*, (i. in inferno) *et poſt multos dies viſitabuntur.* Ita Vulg: hebraeum tranſtulit, quod etiam verti poteſt וּמֵרֹב יָמִים יִפָּקֵדוּ *et in multitudine dierum* (h. e. in aeternum) *punientur.* Nam praepoſitio מ interdum etiam ſignificat *in,* ut Exod. XXXII. 30. Verbum פָּקַד *viſitavit* in malum quandoque accipitur, nempe pro *punire.*

Sabbathum pro tota hebdomada. Luc. XVIII. 12 *Ieiuno bis in Sabbatho* i. in hebdomade, nempe die ſecundo et quinto, h. e. lunae et Iovis. Iudaei, qui prae coeteris religioſi videri cupiunt, etiamnum his diebus ieiunant. Alias *Sabbathum* etiam pro aliis feſtis ſumitur. Sic. *A veſpera usque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra* i. feſta.

Mane pro continuo tempore. Pſal. LXXII. 14 *Et fui flagellatus tota die* (i. nulla dies abiit, in qua non aliquam ferre me calamitatem oportuerit) *et caſtigatio mea* (paſſive, qua caſtigatus fui ab impiis) *in matutinis* i. e. quovis mane, quotidie, continuo.

Vespere et mane pro νυχθημέρῳ i. e. tota nocte et die. Gen. I. *factumque eſt veſpere et mane dies unus* i. primus. Mentio fit veſpertini temporis ante matutinum, quia iudaei a veſpera incipiunt diem.

De



De eruditis propheticis loquutionibus ſynecdochicis pauca adhuc loquar; pluribus iam ſupra egi cap. I de hebraismis convivialibus, militaribus cet. Sic *Sal* apud hebraeos ſynecdochice ſumitur pro toto Convivio: et quia foedera et pacta ineuntes convivantur ex victimis; victimae autem ſunt ſalitae, et in duas partes ſectae, ideo dicimus hebraice: כָּרַת בְּרִית *diſcidit id, quod eſt comedendum*, בָּרָה enim *edere* ſignificat: ex quo altera phraſis ſynecdochica: בְּרִית מֶלַח *foedus ſalitum* h. e. foedus tali ritu conſtitutum, edendi nempe et victimis ſalitis et ſectis, ſeu foedus, quod habet omnes ſolemnitates; et vice verſa מֶלַח בְּרִית erat ſal ad victimas foederatas adhibitus, convivium foederale. Per aliam ſynecdochen panis et vinum eſt integrum convivium, ſeu refectio. Vulgares ſynecdochicae ſunt, quae paſſim per pſalmos et alios libros metricos diſperſae ſunt: v. g. *introite portas eius* i. e. templum. Pſal. LXVII. 11 *Animalia tua babitabant in ea* h. e. coetus Iſraelitarum Baſanitidem, ceu haereditatem occupabit. *Aſcendiſti in altum*, illud לְמָרוֹם *altum* eſt arx Sionaea, quam David Iebuſacis eripuit, et in quam arcam tranſtulit. *Currus Dei* רֶכֶב אֱלֹהִים pro illo adparatu glorioſo Angelorum ſtipantium, cum quibus Deus adparuit in Sinai. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*; ſancta pro Hieroſolymis. Erudita autem Synecdoche in Hellenismum formata eſt in Paulo I. Cor. X. 4. *bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petra.* At quomodo petra ſequi potuit? reſpondeo: bibebant de aquis ex petra a Moyſe elicitis, et aquae iſtae in alveum effuſae ſunt, et alveus caſtra iudaeorum ſequutus eſt.

Actiones pro rebus actis. Immiſſiones per angelos malos Pſ. LXXVII. 49. Actionem heic accipi pro poenis,

aerum-

aerumnis, plagis, quae iussu Dei ab Angelis immissae sunt. *Praecipitationes* pro technis, et artibus malis, quibus alii innocentes praecipitantur. Ornatissima phrasis Psal. XLI. *Effudi in me animam meam*: sacer scriptor effusionem accipit pro ipsa laetitia seu homine exhilarato, et favoribus divinis excitato. Psal. LXXXVIII. 19. *Domini est adsumtio nostra;* adsumtio pro ipso Rege adsumto h. e. nos habemus Regem adsumtum a Deo, et is David est, quem elegit sanctus Israel. ℣. 52 *quod exprobraverunt commutationem Christi tui*; heic sacer Psaltes *commutationem* sumsit pro ipso Messia; dicitque ita adfligi Iudaeos, quasi iam ex mente ipsorum hostium evanuisset promissio de venturo Messia exprobrabant hostes: quanti est aestimandus tum ipse, tum promissiones de eo factae dicebant, quod non sit venturus, qui populum liberet ex promissionibus factis.

§. VIII.

Hebraismi Metonymici.

Metonymia figura est, qua vel causa pro effectu, et vicissim, vel subiectum pro adiuncto, et vicissim, vel signum pro signato cet. ponitur. In sacris literis frequens est figura haec :

I. *Persona aut causa efficiens ponitur pro effectu.* Psal. L. 12. *spiritum rectum innova in visceribus meis* ℣ 13 *spiritum sanctum tuum ne auferas a me* ℣ 14 *spiritu principali confirma me:* quum *caro* et *spiritus* obponantur, carne corruptus homo per peccatum et mala quaevis opera; spiritu vero, donum regenerationis spiritus s. sive quod idem est, ipse homo regenitus intelligitur. Petit Rex poenitens *spiritum rectum* i. animum firmum et constantem

tem



tem, quo non dimoveatur impofterum ab obfequio Dei; petit, ut innovetur *in vifceribus fuis* i. in intimo, ut totus repleatur. Petit confirmari *fpiritu principali*, LXX ἡγεμονικῷ *Ducali*, qui dux fit feu ducat. Num. XL. 17. *Auferam de fpiritu tuo, tradamque eis* (LXX fenioribus ex Ifrael) *ut fuftentent tecum onus populi.* Per *fpiritum* eo loco intelligit Deus fpiritus f. dona, quae LXX illis fenioribus impartitus eft, ut Moyfen adiuvarent.

IV. Reg. II. 9. *Dixitque Elifeus : obfecro, ut fiat in me duplex fpiritus tuus* i. e. duplicem feu duplo maiorem vim fpiritus tui prae coeteris difcipulis tuis a Deo mihi impetres; refpicit ad ius primogeniturae; q. d. quia primogenitus fum inter difcipulos tuos, fiat, quaefo, fpiritus tuus in me duplex: unde alios folum Eliae difcipulos, non Eliam ipfum fuperare volebat. Sic Luc. I. 17. Ioannes *praecedet ante illum in fpiritu et virtute Eliae* h. e. iisdem fpiritus f. donis, eodem zelo inftructus erit.

Saepe etiam per *fpiritum* exprimitur vifio feu extafis, aut vera aut falfo iactata. II Theffal. II. 1. *Ut non cito moveamini a veftro fenfu . . . neque per fpiritum, neque per fermonem;* per fpiritum intelligit *revelationem*, quae iactitatur tanquam a fpiritu f. profecta. Pertinet huc, quum fpiritus pro doctrina vel vere, vel fecundum opinionem et iactantiam divinitus revelata accipitur. I. Cor. XIV. 32 *fpiritus prophetarum prophetis fubiiciuntur.* i. doctrina five revelationes alicui miniftro Ecclefiae factae, coeterorum Ecclefiae miniftrorum et doctorum iudicio fubiiciuntur. I Ioan. IV. 1 *Nolite omni fpiritui credere;* i. omni doctrinae; fed *probate fpiritus* i. doctrinas, revelationes.

II.

II. *Causa organica* seu *instrumentum pro re per instrumentum effecta.*

Os, oris Instrumentum sermonis pro ipso sermone. Deut. XVII. *In ore duorum vel trium testium* i. in sermone vel testimonio. 2. pro imperio. Gen. XLV. 21 *iuxta os Pharaonis* i. iuxta Pharaonis imperium. Deut. XXXIV. 5. *iuxta os Domini* i. secundum verbum vel iubente Domino. Similiter *lingua*, *labium*. Prov. XXV. 15. *lingua mollis confringit ossa.* i. e. duritiem, gravem iram. Ierem. XVIII. 18 *Percutiamus eum* בַּלָּשׁוֹן *propter linguam istam* i. e. sermonem illum odiosum et importunum.

Manus pro actionibus, quae manibus ut plurimum perficiuntur, et per synecdochen, quaevis aliae actiones, imo et actionum principia, consilium, machinatio, cura, conatus rel. intelliguntur. Psal. VII. 4 *si est iniquitas in manibus meis* h. e. in actionibus meis. I Reg. XXII. 17 *Nam manus eorum cum David est* i. consilium, machinatio.

2. Pro dono manu porrecto. Psal. LXVII. 32 *Aethiopia praeveni et manus eius Deo* vel *currere faciet manus suas Deo* i. cito transmittet munera suo Deo: aliam explicationem vide infra.

Gladius pro bello aut caede. Exod. V. 3 *Ne forte accidat nobis pestis aut gladius* i. bellum. Lev. XXVI. 6 *Et gladius non transibit terminos vestros* i. bello non infestabuntur, Matth. X. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quo nomine intelliguntur omnis generis dissidia ob veram religionem, et doctrinae Christi confessionem et praedicationem orta.

Argentum pro re argento comparata. Exod. XXI. 21 *quia pecunia illius* (heri) *est* nempe servus, quia pecunia sua illum sibi comparavit.

III



III. *Res* vel *actio pro effectu ab illa re vel per illam actionem producto.*

Charitas pro *effectu charitatis.* I. Ioan. III. *vide qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* h. e. qualis sit charitatis Dei erga nos effectus, ut filii cet.

Divinatio pro praemio et honorariis eius. Num. *XXII.* 7 *Porrexeruntque seniores Moab . . . habentes* קְסָמִים *divinationes in manibus suis* i. divinationis praemium.

Ira pro *poena* et *ultione ex ira profecta.* Psal. LXXVIII. 6 *effunde iram tuam in gentes* i. poenam et ultionem, quae sunt effectus irae. Rom. II. 5. *thesaurizas tibi iram in die irae* i. poenam. Item ira pro *mandato* ex ira iusta dato. I. Reg. *XXVIII.* 18 *neque fecisti iram furoris eius in Amalec* h. e. neque mandatum exequutus es, quod tibi iniunxerat in ira sua contra Amalec.

Iudicium pro *poena* et *adflictione*, *castigatione* Exod. *VI.* 6. *Redimam in brachio excelso et iudiciis magnis* i. gravibus poenis, quas infligam Aegyptiis. Item pro *condemnatione* Ierem. *XXVI.* 11 *Iudicium mortis est viro huic* h. e. dignus est morte vir ille. Ioan. *III qui non credit, iam iudicatus est* h. e. iam condemnatus est.

Labor pro rebus labore partis. Deut. *XXVIII.* 33 *omnes labores tuos comedat populus quem ignoras* h. e. res labore tuo partas.

Opus pro mercede vel praemio operis. Lev. *XIX.* 13. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane* h. e. merces vel praemium mercenarii. Apoc. *XIV. opera enim illorum sequuntur illos* i. e. merces bonorum operum sequitur illos.

Vis

Vis pro fructu, quem vi et foecunditate fua terra profert. Gen. *IV.* 12. *Quum operatus fueris terram*, *non dabit tibi vim fuam* h. e. fructus fuos.

IV. Ponitur *materia pro re*, *quae ex ea conficitur*. Sic

Abietes pro armis feu lanceis ex abiete factis. Nahum *II.* 3 *Clypeus fortium eius ignibus* וְהַבְּרֹשִׁים *et abietes concutiuntur* i. e. lanceae. LXX interpretantur *ἱππεις equites* Vulg. *agitatores* fupple equorum; qui pro בְּרשִׁים cum hholem deficiente, legebant פָּרָשִׁים *equites* cum פ loco ב. Dein fumitur pro inftrumentis muficis ex abiete elaboratis.

Aes pro compedibus aeneis Thren. *III.* 7 *Adgravavit aes meum* h. e. compedem meum. Metaphorice fignificat fortes virulentas ex adfidua fcortatione manantes. Ezech. *XVI.* 36 *Haec dicit Dominus*; *quia effufum eft aes tuum*, *et revelata eft ignominia tua in fornicationibus tuis fuper amatores tuos* h. e. quia effufae funt fcortationum tuarum fpiritualium fordes.

Sylva, Saltus pro domibus ex arboribus fylvae exftructis; ubi etiam metonymia eft continentis pro contento. Ierem. *XXI.* *fuccendam ignem in faltu eius* i. in domibus Dei, regis et magnatum, quae ex pretiofa materia e Sylva Libani adportata, exftructae erant. Metaphorice fignificat *exercitum*, vide fupra.

V. *Res per inftrumentum effecta*, *pro inftrumento feu caufa organica* ufurpatur.

Gloria pro lingua. Pfal. *XXIX.* *Ut cantet tibi gloria mea* i. e. lingua mea. Pfal. *LVI.* *Exurge gloria mea* i. lingua, quia lingua ceu organo glorificatur Deus. Alii intelligunt animam. Sic Gen. *XLIX* *in confilium eo-*

 rum

rum non veniat anima mea, et in coetu illorum non ſit gloria mea, ubi vides ſynonymiam.

Vita pro vitae conſervandae mediis, facultatibus. Deut. *XXIV. 6. Non accipies loco pignoris inferiorem et ſuperiorem molam; quia animam ſuam obpoſuit tibi* i. e. vitae conſervandae neceſſaria inſtrumenta. Matth. *XV.* 12. *Ex diviſit illis* τ̃ *βίον vitam* i. facultates ad vitam ſuſtentandam neceſſarias.

VI. *Effectus pro cauſa, aut actione efficiente* adhibetur.

Confusio pro Baal ſeu idolo confuſionis cauſa. Ierem. *III.* 24 *Confuſio comedit laborem Patrum noſtrorum* i. Baal pudore adficiens cultores ſuos ab haereditate noſtra, patria noſtra eiecit, in cauſa fuit, quod exules facti ſimus.

Exilia pro cauſa exiliorum. Thren. *II.* 14 *Prophetae tui . . . viderunt tibi adſumtiones* (i. prophetias) *falſas et eiectiones* i. huiusmodi doctrinas propoſuerunt tibi, ob quas expulſio et exilium venit tibi.

Iudicium pro cauſa iudicii. Ioan. III. 19. *Hoc eſt iudicium* i. cauſa iudicii ſive condemnationis, *quia lux venit in mundum;* unde illud: *ſi non veniſſem, et loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.*

Mors pro cauſa mortis. IV Reg. IV. 4. *Mors in olla* i. venenum lethiferum eſt in olla. Item pro ſummis periculis, plagis et calamitatibus, quae mortem inferre poſſunt. Exod. X. 17 *Rogate Dominum Deum veſtrum, ut auferat a me mortem hanc* i. locuſtas, quae fructus terrae comedunt, qua ex calamitate mors ſequetur.

Vastitas pro cauſa vaſtitatis. Oſe. XII. 1. *Ephraim vaſtitatem multiplicat* i. mala innumera ſeu peccata perpetrat

petrat, ex quibus orietur vaſtitas. Ex his exemplis cuivis facile erit ſimiles metonymias, quae in novo teſtamento frequentes ſunt, explicare. Rom. VII. 7. *Nunquid lex peccatum eſt?* i. e. cauſa peccati, interrogatio emphatica pro negatione. Ibidem VIII. 6 *prudentia carnis, mors eſt* h. e. cauſa mortis: atque ita concupiſcentia in renatis permanens dicitur *peccatum* i. cauſa peccati, ſi ei obediatur.

Erubescere et confundi pro incidere in calamitates, et ſpeciatim in manus hoſtium, quae cauſa eſt confuſionis. Pſal. XXIV. 2 *Deus meus, in te confido, non erubeſcam* ✝ 3. et 20 h. e. non incidam in manus inimicorum meorum.

Expiare pro expiationis ſacrificium offerre. Lev. VI. 19. *ſacerdos* הַמְחַטֵּא *qui expiat illud* (ſacrificium) Vulg. *qui offert.* Sic c. IX. 15 *et accepit hircum . . . . et expiavit illum* h. obtulit eum in expiationis ſacrificium. Item pro *ſpargere ſanguinem.* quae actio expiationis cauſa erat. II Paral. XXIX. 24. *Et immolaverunt hircos illos et* יְחַטְּאוּ *expiarunt ſanguinem eorum* i. aſperſerunt ſanguinem eorum, ut optime Vulgatus.

Festinare vel fvgere pro confundi, cuius eſt effectus. Iſ. XXVIII. 16 *qui crediderit, non feſtinet* ſeu non *feſtinabit*, h. e. *ου μη καταισχυνθη et non confundetur*, ut optime reddunt LXX. Itaque non legerunt יֵבֹישׁ pro יָחִישׁ ut vult Capellus, ſed ſenſum, non verbum reddiderunt.

Placere pro morem gerere. Rom. XV. 2 *Unusquisque veſtrum* (graece *noſtrum*) *proximo ſuo placeat in bonum* h. e. obſecundet, moram gerat. *Neque enim Apoſtolus placuit omnibus, et tamen dicit; ſicut et ego per omnia*



omnibus placeo, *sed in omnibus se Paulus adcomodabat omnibus*, *ut omnes lucrifaceret.*

VII. *Materiatum pro materia*, *ex qua fit*, sumitur

Calx pro lapide, ex quo fit. Is. XXIII. 12. *Et erunt populi combustiones calcis* i. e. quasi lapides cocti, ex quibus calx conficitur.

Fontes et torrentes pro petra, ex qua exeunt. Psal. LXXIV. *Tu dirupisti fontes et torrentes* h. e. petram, ex qua eruperunt fontes.

Panis pro frumento. Eccl. XI. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas* i. frumentum tuum semina in locis irriguis et feracibus.

VIII. Alia est metonymiae species, *quando subiectum recipiens ponitur pro adiuncto*, i. e. dum recipiens in se vel circa se adiuncta recipit. Item frequentissimus est metonymiae usus, quando continens pro contento, et locus pro locato usurpatur, vel adhibetur possessor pro re possessa. Exempla primi generis.

Caput pro mitra capitis, eiusque redimiculo. Cant. VII. 5 *Caput tuum ut Carmelus*, vide supra.

Cor pro sapientia, prudentia. Prov. XV. 32 *qui acquiescit increpationibus*, קֹנֶה לֵּב *acquirit cor* i. sapientiam, cuius sedes in corde a scriptura statuitur. Vide Prov. VIII. 5 Ose VII. 11 *Cor*, *renes* pro intimis cogitationibus, cupiditatibus, desideriis, adfectibus, et delectationibus, quibus sedem in corde et renibus scriptura adsignat. Hoc sensu dicitur Deus *probare*, *quaerere*, *scrutari corda et renes*. Psal. VII. 10 *scrutans corda et renes Deus* est anthropopathia, quasi ea, quae scrutatur, prius cognita sibi non essent. Hac loquutione adcuratissima Dei scientia significatur, ut apud homines sine scrutinio

nio et indagatione locum vix habere poteſt certiſſima rerum notitia. Pſal. XXVI. 2 *et ure renes meos*, Imperativus iſte eſt nota animi confidentis; provocat enim ad Dei cognitionem certiſſimam, utrum unquam in animo habuerit imputatas malitias. *Urere* heic ſignificat pro *perſcrutari*, nempe quum experimentum fit per ignem. Eſt allegoria adluſiva ad ignem et metalla. Hac porro de cauſa, ut quibusdam videtur, victimarum renes Exod. XXIX. 13 ſibi offerri mandavit Deus, ut videlicet interiorem animi adfectum, non externum ceremoniarum σχῆμα a ſe requiri declararet. Unde etiam Ierem. XII. 2 dicitur: *prope es tu* (Deus) *ori eorum, et longe a renibus eorum.*

Heinc iſtae phraſes: *effundere cor, animam ſuam coram Deo* eſt, quando nos totos Deo tradimus, ei aperimus omnes adfectus, vota et deſideria noſtra. *Cor adponere alicui rei* h. e. omni deſiderio et adfectu ei vacare. Pſal. LXI. 11 *Divitiae ſi adfluant, nolite cor adponere* i. e. nolite fiduciam veſtram ponere in divitiis; aut adplicando hominibus, nolite fidere in hominibus quamquam potentibus et divitibus.

Tibiae pro tibiarum ornamentis ſeu cothurnis. Prov. XXVI. 7. *Quomodo pulchras habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola* i. e. quemadmodum claudus fruſtra pulchras habet tibias, qui nequaquam conducunt, ut recta incedat: ſic fruſtra in ore ſtulti ſapientum dicta, quum non conferant ad morum ipſius rectitudinem.

Exempla *continentis pro contento, loci pro locato.*

Domus pro familia, liberis et domeſticis. Exod. I. 11 *quia timuerunt obſtetrices Deum, aedificavit eis domos* h. e. numeroſam prolem eis conceſſit. Nec obſtat pro-

 nomen



nomen לָהֶם *eis* mascul. pro לָהֶן vel enim est mendum, vel est enallage generis.

Insulae, maria pro incolis mari adiacentibus. Is. XLI. 5 *viderunt insulae et timuerunt* i. insularum incolae. Ezech. XXVI. 17 *Quomodo periisti* נוֹשֶׁבֶת *habitata a maribus* i. e. a maritimis accolis. Is. LX. 5 *Quando conversa fuerit ad te multitudo maris.*

Montes et colles pro idolis, quae in iis colebantur. Ierem. III. 23 *Vere mendaces erant colles et multitudo montium* h. e. idola.

Naves pro iis, qui ea vehuntur. Is. XXIII. 1. *Ululate naves maris* i. mercatores.

Sepulchrum sive infernus pro sepultis. Is. XXXVIII. 18 *quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te* i. sepulti et mortui. Psal. VI. 6 *quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Familiare est s. scriptoribus uti hoc argumento, quod nempe in morte nullus Deo confiteatur, consequenter quasi aliquid decederet de gloria, quando pii moriuntur, eo quod mortui eum non amplius celebrent et praedicent, subaudi, in hac vita. Optimum erat argumentum seu motivum, quo patriarchae et prophetae longiorem vitam postularent, non suae sanitati, sed soli Dei gloriae et laudibus intenti; unde verbum *confiteor* frequenter pro *laudare, celebrare* sumitur.

Tabernacula pro hominibus sive domesticis in tabernaculis degentibus. Psal. LXXVII. 67. *Et repulit tabernaculum Ioseph* i. tribum Ioseph. vide Gen. XIII. 5.

Coelum pro Deo, qui in eo habitat. Psal. LXXII. 9. *posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum transit in terra* h. e. impune in Deum blasphemias eructant, et in

homines

homines injurias. Vox *transivit* adcomode detractoribus adplicatur, quia eorum lingua vagatur quasi et cursitat per terram, quia de omnibus loquuntur contemtim.

Exempla *possessoris pro re possessa.* Deut. IX. 1 *ut possideas nationes maximas et fortiores* h. e. eorum regiones; nationes enim illae ex mandato Dei delendae erant, non possidendae. Psal. LXXVIII. 7 *Quia comederunt Iacob* h. e. bona Iacob, quod sequenti hemistichio explicatur, *et locum eius desolaverunt.*

IX. Per metonymiam obiectum ponitur pro eo, quod versatur circa illud. Sic Christus Iesus pro doctrina, quae praedicatur. II. Cor. XI. 4. *Nam si is, qui venit, alium Iesum praedicaret* i. aliam doctrinam de Iesu doceret. Sic Deus pro divino cultu in honorem eius instituto. Exod. *XXXII.* 1. et ℣ 4.

Onus pro vaticinio de onere seu poena infligenda. Is. *XXI.* 1 *Onus deserti maris* ℣ 2. *Visio dura nuntiata est mihi.* S. Hieron. comm. in c. XV Is. v. 1. id discriminis ponit inter *visionem* et *onus*, quod onus semper tristia sequantur; visionem autem vel statim laeta, vel in finem laeta post tristia.

Peccatum pro hostia sive sacrificio, quod pro peccato expiando offerebatur. Ose. IV. 8 *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabant animas eorum* i. e. hostias, quas populus pro peccatis suis offert, comedunt, et ad sacrificia, sive ex sacrificiis pro iniquitate remittenda oblatis, animas suas sublevant, quae est prioris hemistichii repetitio. Is itaque sensus est: peccandi licentiam invehunt improbi illi sacerdotes, ut ex sacrificiis habeant, unde laute vivere et voluptatibus indulgere possint. Is. LIII. 10. *Si posuerit peccatum animam suam* i. e. si se ipsum tradiderit hostiam pro



peccato. II Cor. V. 21 *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* Deus Pater i. e. hoſtiam pro peccato fecit.

Sanguis pro hominibus ſanguinis effundendi cupidis. Iſ. *XXXIII.* 15. *Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem*, h. e. ne auſcultet iis, qui de fundendo ſanguine, aut quovis alio ſcelere perpetrando loquuntur.

X. Signatum pro ſigno. Ezech. *VII.* 27 *Rex lugebit et princeps induet* שְׁמָמָה *deſolationem* i. veſtem deſolationis indicem. I Cor. *XI.* 10. *Ideo debet mulier poteſtatem habere in capite* i. poteſtatis ſignum, nempe velum, quo indicetur, eam eſſe ſub viri ſui poteſtate conſtitutam. *Panis azymus* ſeu non fermentatus indicium erat adflictionis, quam in Aegypto Iſraelitae pertulerunt: Unde lex illa Deut. *XVI.* 3 *ſeptem diebus comedes absque fermento panem adflictionis.* Ibidem *XXII.* 15. *Tollent eam* (puellam) *pater et mater eius, et ferent ſecum* בְּתוּלֵי *virginitatem puellae* i. ſigna virginitatis.

Hac metonymiae ſpecie abutentes Proteſtantes, probare volunt, his verbis: *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus* indicari tantummodo ſymbola corporis et ſanguinis Chriſti, adeo ut *corpus* intelligatur de ſigno corporis, et *ſanguis* de ſigno ſanguinis. Huius pravae interpretationis refutationem vide apud theologos. Dicere eo loci ſufficiat, aliud eſſe *ſignatum* pro ſigno interdum uſurpari, aliud in hoc vel illo contextu uſurpatum: quibus in locis ſcriptura figurate, aut ad literam explicanda ſit, definire Eccleſiae, quae in fidei et morum quaeſtionibus iudex eſt omnis prorſus erroris expers.

XI. Metonymia *adiuncti*, quod varie ſubiecto advenit: ponitur autem frequenter accidens pro ſubiecto in

in genere, abstractum pro concreto. Job V. 16. *iniquitas autem contrahet os suum.* i. iniquus; aut est ellipsis vocis איש Vir q. d. Vir iniquitatis. Sic *sacrificium*, et *mactatio* pro animalibus mactatis; *habitatio* pro familia, *probrum* pro factis probrosis, *dies* pro hominibus dierum i. senibus, *vanitas* pro idolis. Luc. I. *Visitavit nos Oriens ex alto* i. e. qui oritur, sive prodit ex alto; epithetum Messiae proprium, qui soli comparatur. Is. *IX.* 2.

Clypeus pro milite clypeo armato Ezech. *XXVI.* 8. *Et excitabit* (Vulg. *elevabit*) *contra te clypeum* h. e. militem clypeo armatum.

Oleum pro singulariter uncto. Is. *X.* 27. *Et computrescet iugum a facie olei* i. e. Messiae, qui speciali ratione a Deo unctus est.

Tempus cum suis partibus pro rebus in eo factis sive existentibus. Job *XI.* 17 *Et prae meridie exurget tempus* h. e. prosperitas meridiana luce clarior: nam *luce* prospera, *tenebris* adversa significari diximus. Psal. *XXX.* 16 *in manibus tuis tempora mea* i. e. vita, valetudo, ac totius vitae status. *Annus* pro vita. Prov. *Ne des alienis* (i. meretricibus) *honorem tuum*, *et annos tuos crudeli* i. marito Zelotypo: ne commiscendo te adulterae honoris et vitae tuae iacturam incurras. I Reg. *XXIV.* 20. *Dominus rependat tibi vicissitudinem pro die hac*, *quam fecisti mihi* i. e. pro eo beneficio, quod hodie in me contulisti. Eadem de causa libri paralippomenon vocantur hebraeis *Verba dierum* i. rerum his temporibus gestarum historia.

Dies pro calamitatibus. Job *XVIII.* 20 *In die vel super diem eius stupebunt novissima* i. e. super calamitates, quae ei suo tempore acciderunt, stupebunt novissimi



i. e. posteri. Psal. *CXXXVI.* 7. *Memor esto Domine, contra filios Edom diei Ierusalem* h. e. temporis illius, quo Ierusalem subversa est, facque ut similem calamitatem experiantur.

FESTUM, SOLEMNITAS pro hostia, quae die festo immolabatur. Exod. *XXXII.* 18 *Nec remanebit adeps solemnitatis meae usque mane* i. adeps hostiae seu sacrificii. Malach. II. 3 *dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum* i. e. stercus victimarum, quas in solemnitatibus vestris mihi immolatis.

XII. Opinio hominum usurpatur pro ipsa re. De hac metonymiae specie ita loquitur S. Thomas 1. 2. q. 98. a. 3. ad 2 de Moyse. *Quod ergo dicitur, quod loquebatur ei facie ad faciem, secundum opinionem populi loquitur scriptura, qui putavit Mosen ore ad os loqui cum Deo, quum per subiectam creaturam i. e. per Angelum et nubem ei loqueretur et adpareret.* Sic dicitur, quod Daemonium occiderit septem viros Sorae, et textus graecus addit: *quia amabat eam*, adcomodat se opinioni vulgi, credentis, daemones amore ferri in mulieres. Exod. *XII.* 37 *Profectique sunt filii Israel de Ramesse . . . sexcenta fere millia peditum*: quur *fere?* an spiritum f. cuius inspiratione scribebat Moses, calculus adcuratior latere poterat? Ex recepta quoque opinione loquitur Apostolus de Melchisedecho, eum sine Patre, sine Matre fuisse. S. Hieronymus in cap. IV Matth. et in Jerem. *XXVIII.* 10 ita scribit: *consuetudinis est scripturarum, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo illo tempore ab omnibus credebatur: sicut Ioseph ab ipsa quoque Maria adpellabatur Pater Iesu; ita et Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. I* Cor. *I.* 21. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*, h. e. per praedica-

dicationem crucis, quae gentibus videbatur ſtultitia. Pſal. *LXXI.* 9. *Inimici eius terram lingent* i. e. tam proni ſe in terram proſternent, ut eam lingere videantur: ſumta eſt metaphora ab Orientalibus, qui hodieque ſolent in ſignum venerationis et ſubiectionis terram coram Rege oſculari. Iſ. *XIII.* 5. *Venientibus de terra procul a ſummitate coeli* i. e. de terra longingua, cui coeli inniti videntur: ea enim eſt vulgi opinio, ut haemiſpherii noſtri pars extrema, quae cernitur; terram contingat. Extremitas igitur coeli pro extremitate terrae ſeu locis propinquis ponitur. Hanc expoſitionem confirmare videtur, quod montes dicantur *fundamenta coelorum*, et *columnae coeli* Job *XXVI.* 11 quia ipſis coelum incumbere videtur.

XIII. Senſus metonymice *pro eius obiecto*, ſeu pro re, quae ſenſu percipitur. Sic

Auditus pro doctrina ſive verbo. Iſ. *XXVIII.* 9. *quem docebit ſcientiam, et quem intelligere faciet* שְׁמוּעָה *auditum* i. ſermonem ſeu doctrinam. *LIII.* 1. *Quis credidit auditui noſtro?* i. ſermoni noſtro. Item ſumitur pro *fama.* Pſal. *CXI.* 7. *Ab auditione mala non timebit* i. a mala fama.

Oculus pro colore et ſuperficie. Lev. *XIII.* 55. *Et inſpiciet ſacerdos, poſtquam lota fuerit plaga* (leprae) *et ſi non mutaverit plaga* עֵינוֹ *oculum ſuum* i. colorem.

Spes, Exspectatio pro Deo, in quo ſperatur. Pſal. *LXX.* 5. *Tu o Deus! ſpes mea* i. in quo ſperabo. Pro *hominibus*, in vel a quibus bona ſperantur. Iſ. *XX.* 5 *Et confundentur ab Aethiopia ſpe ſua* i. in quibus (Aethiopibus) confidebant. Pro *re ſperata.* Prov. *XIII.* 12 *ſpes, quae differtur, adfligit animum* i. res ſperata et deſiderata, quae differtur.

Di-



Dilectio, Amor pro persona vel re amata. Jer. *XII.* 7 *Dedi* ידידות *dilectionem animae meae in manu inimicorum eius*, i. populum dilectum coram me Vulg. *dedi dilectam animam meam*, quod idem est, atque hebraeum, tum quoad grammaticam, tum quoad sensum pertinet. Grammaticam quod spectat, heic potest esse *hypallage*, *dilectio animae*, *pro anima dilectionis* i. dilecta. Sensum quod adtinet, recte anima dilecta pro populo dilecto usurpatur, ut apud latinos *cor*, *anima*, pro persona efflictim amata.

Desiderium pro persona aut re desiderata. Ezech. *XXIV.* 16 *Fili hominis! ecce ego tollo a te desiderium*: vel ut Vulg. *desiderabile oculorum tuorum* i. uxorem desideratam et impense amatam. Vide Agg. II. 8.

Timor pro Deo, qui timetur. Gen. *XXXI.* 42. *Nisi Deus patris mei Abraham*, *et timor Isaaci adfuisset mihi* i. Deus, quem timuit Isaac. Item sumitur pro malo, quod timetur. Prov. *I.* 26. *Quum venerit timor vester* h. e. quum vobis id, quod timebatis, advenerit.

Actio pro ipso obiecto Gen. *XLIII.* 11 *sumite de praedicatione terrae in vasis vestris* i. e. de optimis terrae fructibus. Vulg. *de eo, quod laudabile est in terra.* Exod. *XV.* 2 *Fortitudo mea et laus mea Dominus* i. obiectum laudis meae.

XIV. Signum pro signato: haec metonymiae species frequentissima est. Gen. *XLIX.* 10 *Non auferetur sceptrum de Juda* i. Regia seu suprema potestas, cuius sceptrum signum est. Eodem sensu adcipitur *thronus*, *cidaris*, *diadema*. *II* Reg. *XIX.* 10. *Altaria tua*, *Domine destruxerunt* i. e. divinum cultum tuum, cuius signum altaria sunt. Psal. *XXII* 4. *Virga tua et baculus tuus*, *ipsa me consolata sunt.* Matth. *XXIII.* 2 *super cathedram Moysi*

sede-

federunt fcribae i. docendi poteftatem habent, qua inftructus erat Mofes.

Abscondere fumitur 1. pro *abire*, recedere ab aliquo. Gen. XXXI. 49 *quum abfconditi fuerimus vir a focio fuo* i. quando receflerimus ab invicem. 2. pro tutari, protegere. Job V. 21 *a flagello linguae abfconderis* i. tutus eris.

Dormire pro fecurum effe. Pfal. III. 6 *ego dormivi et foporatus fum*, ubi enim nulla fecuritas, nullus fomnus. *Somnus* feu *dormitio* mala fubinde eft. Rom. XIII. Hora eft iam *nos de fomno furgere*, qui fomnus peccati eft. Item *dormire*, *foporari* fere omnium linguarum phrafi fumitur pro languore et obpreffione; quamvis heic in hebraeo dicat fe iacuiffe obpreffum fopore i. e. moerore, et tamen rurfus a Deo excitatum: unde fequitur: *et exfurrexi* iam confolatus, a Deo adiutus; modus hic loquendi denotat plenariam fecuritatem. Eodem fenfu adcipitur verbum *ridere*. Job. V. 2.

Osculari pro amare, obedire, obfequi. Gen. XLI. 40 *Tu eris fuper domum meam*, *et fuper os tuum ofculabitur omnis populus* i. e. ut eleganter Vulg. ad oris tui imperium cunctus populus obediet. Pfal. II. *Ofculamini filium* vide fupra.

Aperire et claudere eft liberam adminiftrationis poteftatem habere. If. XXII. 22. *Et aperiet, et non erit, qui claudat, et claudet, et non erit, qui aperiat.*

Albedinem feu munditiem dentium dare pro famem immittere; fieri enim non poteft, ut inter manducandum aliquid cibi dentibus non adhaereat; quum e contrario non fumto cibo dentes mundi fint. Amos IV. 6. *Unde et ego dedi vobis* נִקְיוֹן שִׁנַּיִם *munditiem dentium.*

Ca-



Caput, cervicem elevare pro animum erigere, gaudere. Luc. XXI. 28 *Respicite et levate capita vestra* i. gaudete. Jud. VIII. 28 *Humiliatus est Madian . . . nec potuerunt ultra cervices elevare* i. bello impetere Israelitas. *Caput alicuius exaltare* significat aliquem constituere in honore et dignitate. IV Reg. XXIII. *Sublevavit Evilmerodach caput Ioachim.* Sic David Ps. III. dicit: *Et exaltans caput meum*, vocat Deum gloriam suam i. e. auctorem gloriae regiaeque dignitatis.

Faciem elevare ad aliquem significat 1. revereri, honorare. Deut. XXVIII. 49. *Adducet Dominus super te . . . gentem procacissimam, quae faciem non elevet ad senem.* i. quae non revereatur faciem senis. 2. propitium esse. Num. VI. 26 יִשָּׂא *elevet Dominus vultum suum ad te* i. e. propitius sit tibi.

Faciem albescere pro metuere; in metu enim sanguis ab exterioribus corporis partibus ad cor refugit, atque inde pallet facies. Is. XXIX. 22 *non modo* פָּנָיו יֶחֱוָרוּ *facies eius albescet* i. confundetur.

Faciem operire, obtegere pro condemnare; antiquitus enim eorum, qui condemnabantur, operiebatur vultus, ut legitur in historia Esther de Amane. Job IX. 24 *Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit*, i. e. iudices condemnat, a quibus ipse condemnandus fuisset: aut tantam potestatem Deus largitur impiis in hoc mundo, ut etiam sese contra Reges et principes efferant, eos damnent, deponant, interficiant. vel ut alii: impii muneribus, adsentatione, metu iudices corrumpunt, ut perverso ordine bonos deprimant, adtollant malos.

Ma-

MANUM DARE ſignificat 1. ſubiectionem voluntariam. I. Paral. XXIX. 24 *ſed et univerſi principes . . . dederunt manum.* 2. Amicitiae et foederis pactionem. Vide ſupra.

MANUS ſuper caput eſſe pro dolore, triſtitia, calamitatibus, miſeriis obrutum eſſe. Jerem. II. 37. II. Reg. XIII. 19 ubi idem triſtitiae et doloris ſignum videre eſt.

MANUM implere pro ſacerdotio initiare, qui ritus etiam in Eccleſia catholica viget in ſacrorum miniſtrorum ordinatione. Exod. XXVIII. 41 *et unges eos, et implebis manus* eorum, vel inſtrumentis, vel quibusdam ſacrificiorum partibus.

MANUM levare 1. pro iurare. Exod. VI. 8 *et induxerim in terram, ſuper quam levavi animam meam, ut darem eam Abraham* i. iuravi. Pſal. CV. 26. Et per ellipſin *manus* Iſ. III. 7. יִשָּׂא *levabit* (ſupple manum) *in die illa dicens*: iurantes enim manum in altum tollunt, quaſi Deum teſtem vel iudicem adcerſentes.

FEMUR PERCUTERE pro ſummum dolorem teſtari. Jer. XXXI. 19 *poſtquam oſtendiſti mibi* (peccatum meum) *percuſſi femur meum* i. ſummo dolore adfectus fui.

XV. Saepe etiam per metonymiam actiones integrae et narrationes ponuntur pro ſimplici qualitate exprimenda, ubi ſcire oportet ritus et conſuetudines, quae in loquutionibus metonymicis involvuntur. IV. Reg. IV. 29 Eliſeus Giezi famulo ſuo imperavit, ut neminem in via ſalutaret, nec ſalutanti reſponderet. Idem imperat Chriſtus diſcipulis ſuis Luc. X. 4. qua phraſi ſumma celeritas indicatur, non damnatur urbanitas, quae etiam inter Chriſtiana officia numeratur. Jerem. IX. 17 Lamentatrices, quae lamentum adſumant, ad-

vocari

vocari iubet Deus, non quod simulatum huiusmodi in funeribus luctum probet, sed ut adducta illa consuetudine, de instantium calamitatum acerbitate populum admoneat. Luc. XXII. 36 *sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium:* Christi mens non est, ut Apostoli gladios emant, sed inminentis ab hostibus periculi gravitatem hoc symbolo innuit. II Cor. VII. 3 *In cordibus nostris estis ad commoriendum et convivendum*: adludit eo loci Apostolus ad id amicitiae genus, quod apud veteres in usu erat, nempe ut amico forte extincto, amicus ultro sibi mortem consciseret; non quod Paulus huiusmodi quidpiam sentiat, quale legimus olim fuisse apud gentiles: verum hoc modo arctissimam amicitiam voluit indicare.

Tales elegantes metonymiae occurrunt in Psalmis: Psal. XXV. *Lavabo inter innocentes manus meas*, lavare manus pure et munde, est metonymia signi, et significat se esse innoxium, non commisisse crimen, non polluisse manus sanguine. *Ure renes meos* est metonymia signi, quia et purificationes vasorum ex aere in templo fiebant per ignem. *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*; est etiam metonymia signi; quia Josue Chanaanitidem inter tribus per tractionem funiculorum distribuit, atque mos iste, agros fune metiendi apud Orientales obtinuit. At Levita iste, cui nihil obtigit praeter decimas, haereditatem suam praeclaris, subaudi, locis dicit esse positam, quia Deus est haereditas eius. *Claudicaverunt a semitis suis*; claudicant h. e. in carceres et vincula compacti sunt, quia, qui gestant compedes, illi claudicant. Psal. X. *Quaeretur peccatum illius, et non invenietur*, est metonymia anthropopathica, peccatum pro effectis et consequentibus peccatum, h. e. ita eum contere, ut

ne

ne veſtigium illius etiam, quod male fecit, reperiatur. *De vultu tuo iudicium meum prodeat*; iudicium pro fine iudicii ſeu ſententia decretoria. Pſal. XXXII. *Quoniam tacui*, vide ſupra: tacere eſt, ſignum intentiſſimi doloris iuxta illud: *curae leves loquuntur, ingentes ſtupent*. Pſal. XXXIII. *Qui oderunt iuſtum, delinquent*, eſt metonymia cauſae pro effectu: punientur, exſcindentur, interibunt ſicut delinquentes, quia poſt delictum ſequitur impiorum exciſio. Sic *vinum compunctionis* pro poculo venenato, pro delirio, pro morte, pro vertigine; quia poculum venenatum efficit haec omnia; quia perturbat fluxum ſpirituum in cerebro: fluxus autem ſpirituum in cerebro perturbatus eſt ipſa vertigo. *Filius dexterae meae*, feliciſſimus, clariſſimus.

§. IX.

Hebraismi Antiſtrophi ſive Hypallagici.

Hebraismi Antiſtrophi actionum ordinem pervertunt ornate. *Adtollite portas principes veſtras*; inverte: o portae, adtollite capita veſtra, h. e. aperiminor. Pſal. XXIV. *In potentatibus ſalus dexterae eius*, inverte: in potentatibus dexterae ſalus. vide ſupra. Hi hebraiſmi aliter vocari poſſunt *hypallagici*, ſeu hebraiſmi inverſionis. Pſal. IX. *In convertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur;* prius dixit, inimicum fugatum eſſe; poſtea dicit, quod infirmatus ſit: invertendum ergo eſt, inimicum fractum, tum fugatum eſſe. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, hypallagica loquutio, quia linguae hebraeae natura eſt, ut fiant inverſiones. Deus ſolem poſuit in coelo, uti in tabernaculo expanſo. *Manſit apud eum menſem dierum*, inverte: diebus unius menſis. In



ſanguine purificationis, inverte, in purificatione ſanguinis. Pſal. CIV. 18 *ferrum pertranſiit animam eius*, inverte, anima eius, i. e. Ioſeph pertranſiit ferrum, quia vinctus tenebatur in carcere. Hae loquutiones migrarunt in novum Teſtamentum. S. Paulus ait: *ſe usque ad Illyricum repleviſſe Evangelium Chriſti*, inverte: Evangelio Chriſti repleviſſe Illyricum.

Huc referuntur Ioſ. II. 6. *Ipſa autem* (Rahab) *abſcondit eos inter lina ligni* h. e. inter ligna ſeu calamos lini. Nehem. X. 34. *oblationes lignorum* h. e. ligna oblationum. Eſth. IX. 19. *Iudaei, qui habitabant in urbibus pagorum* h. e. in pagis urbium. *Argentum ſcoriarum* h. e. ſcoriae argenti. Ezech. XXI. 25. *Iniquitas termini* i. terminus iniquitatis. Exempla plura alia occurrunt hebraiſmorum hypallagicorum ſeu inverſionis. Iud. I. 8. וְאֶת־הָעִיר שִׁלְּחוּ בָאֵשׁ *Et civitatem miſerunt in ignem* h. e. civitati ignem immiſerunt. I. Reg. XXIII. 7 *Et ait Saul: tradidit eum in manus meas*, כִּי נִסְגַּר לָבוֹא *quia incluſit ſe ad inveniendum* h. e. venit ut includat ſe. IV. Reg. IX. 30. *Et poſuit* (Iezabel) *in fuco oculos ſuos* i. poſuit fucum in oculis ſuis. Vulg. depinxit oculos ſuos ſtibio. Pſal. CXXXVIII. *Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt* h. e. ſi ego ſim in via iniquitatis.

Ad Hypallagen referri poteſt hoc loquendi genus, quo dicitur *vocari*, *invocari nomen alicuius ſuper aliquo*, pro vocari nomine alicuius. Gen. XLVIII. 16. *Et invocetur ſuper eos nomen meum*, h. e. de nomine meo vocentur, adpellenturque filii Jacob, et cum aliis filiis meis familiam conſtituant.

§. X.

§. X.

Hebraismi Antiphraſtici ſive Antiſimploce.

Hebraismus iſte non rarus eſt: eſt autem *Antiſimploce* figura, qua accipiuntur voces ſignificatione et ſenſu contrario; aliter etiam vocari poteſt *Euphemia.* Tale eſt illud Jobi cap. I. *Benedixerunt Deo in cordibus ſuis*, pro maledicere, impie ſentire, quod pronum eſt in rerum omnium adfluentia, in qua poſiti erant filii Job. Pſal. XXVII. 4. *Redde retributionem ipſis* ſcil. inimicis et perſequutoribus David: *retributio* ſenſu plebeio ſignificat praemium; at heic ſenſu erudito et euphemico poenam et ſupplicium, quod opponitur praemio: fac illud, quod mihi praeſtiterunt, redeat in ipſorum caput. Alibi dicit: *Averte mala inimicis meis*: accipiendum eſt in ſenſu antiſimplotico: *adverte, animadverte mala in inimicos meos;* quia in hebraeo habetur ל videlicet לְשֹׁרְרָי h. e. contra inimicos meos. Pſal. LXX. 10. *Dixerunt inimici mei mihi, et qui cuſtodiebant animam meam.* Vox *cuſtodire* ſenſu obvio in bonum accipitur, qui enim cuſtodit alterum, illius curam gerit: at heic in malum accipitur, quia de inſidiatoribus loquitur, qui cuſtodiunt, vigilant, ut adfligant, conſultant, ut perdant. Pſal. LXXVII. 49. *Inmiſſiones per Angelos malos*: to *per* non eſt in hebraeo, recte tamen additur. *Inmiſſiones* ſunt tela, quae emittuntur: quod autem dicit; מַלְאֲכֵי רָעִים eſt antiſimploce, fiebant inmiſſiones hae per Angelos bonos; ſed quia inmiſſiones poenarum fuerunt, et effectuum malorum inmiſſores mali dicuntur, quatenus Angelis committitur punitio malorum.

Pſal. LII. 1. hebraeum חֶסֶד quod ordinarie *miſericordiam* ſignificat, LXX et Vulgat. per antiſimplocen

aut antiphrasin sumserunt, et verterunt *iniquitatem. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate:* at hebraeum interpungit post to *potens* per athnahh, seu duplex punctum, habetque: מַה־תִּתְהַלֵּל בְּרָעָה הַגִּבּוֹר חֶסֶד אֵל כָּל־הַיּוֹם *Quur gloriaris in malitia o potens: misericordia Dei omni die* q. d. quid gloriaris, et ira superbis o Doeg! quum malitia tua efficere non possis, ut me deserat Dei misericordia. LXX to אֵל pro praepositione *in* sumserunt, quum frequenter aequivaleat τῳ *beth* aut *lamedh.* Incipit dein hebraeum novum versum הַוּוֹת *pravitates cogitavit* i. e. machinata est. Vide Prov. XIV. 34. ubi idem nomen חֶסֶד occurrit.

Huc spectant varia nomina et verba, quae in contraria saepe sumuntur significatione, ponitur que oppositum pro opposito, contrarium pro contrario.

בֵּרֵךְ *benedixit.* At III Reg. XXI. 10. בֵּרַכְתָּ *maledixisti Deo et Regi.*

הָיָה in niphal *fuit*, *factus est.* At Daniel. II. 1. *Et somnium eius* נִהְיְתָה *defuit ei* vel fugit ab eo. Vide etiam cap. VIII. 27. ubi נִהְיֵיתִי significat *defeci* Vulg. *langui.*

הִלֵּל in piel *laudavit.* Et in sensu opposito *infamum reddidit*, *infatuavit.* Job. XII. 17. *Adducit consiliarios in stultum finem, et iudices* יְהוֹלֵל *insanos reddit.* Vid. Is. XLIV. 25.

יָרַשׁ in kal *possedit* Deut. III. 20. In hiphil autem *expulit e possessione* Deut. XI. 23. וְהוֹרִישׁ *disperdet*, expellet Dominus omnes gentes has.

כֶּסֶל *stultitia*, *inconstantia, levitas.* Psal. hebr. XLIX. 14. Haec via illorum כֶּסֶל stultitia ipsis LXX σκανδαλον;

non

non male; ſtultitia enim, prout heic accipitur, verum eſt ſcandalum. At ſenſu oppoſito *conſtantia*, *ſpes*, *fiducia*. Job XXXI. 24. *ſi putavi aurum* כִּסְלִי *fiduciam meam* Vulg. *robur meum*. *LXX in aggerem meum:* ſuſpicari quis poſſet LXX olim interpretatos fuiſſe ἰσχύν μȣ, prout habet vetus interpres graecus; ac librariorum oſcitantia inrepſiſſe εισ χȣν μȣ. Si haec interpretatio a LXX profecta eſt, pro כִּסְלִי videntur legiſſe בִּסְלִי a rad סָלַל *aggerem extulit*.

נֶפֶשׁ *anima*, *corpus animatum*, *animal*. At Lev. XIX. 28. *corpus exanime*, *cadaver*. *Et* לְנֶפֶשׁ *ſuper mortuo non incidetis carnem veſtram*. Sic Sap. XXI. 1.

קָדַשׁ *ſanctificari*. Et per antiphraſin *contaminari* Deut. XXII. 9 *Non feres vineam tuam altero ſemine* פֶּן־תִּקְדַּשׁ *ne ſanctificetur plenitudo eius* i. e. ne contaminetur, Chald. *polluatur*. Vide Exod. XXIX. 37.

Saepe etiam vox derivata diverſam a ſua radice habet ſignificationem. Sic a קָדַשׁ *ſanctum eſſe* eſt קָדֵשׁ *ſcortator*, et קְדֵשָׁה *meretrix*.

בָּרָא *creavit*, in piel autem בֵּרֵא *exſcidit*. Vide Joſ. XVII. 15. Item תָּאַב *concupivit*, in Piel *abominari*, *deteſtari*. Amos VI. 8 מְתָאֵב *deteſtor ego ſuperbiam Iacob*. Sic verbum סָכַן in kal *profuit*, in Niphal *incommodum paſſus eſt*. סָקַל *lapidibus obruit*, in piel סִקֵּל *lapides removit*. חָטָא *peccavit*, in piel: *a peccato expiavit*. Plura alia ſuppeditant lexica.

§. XI.

Alii hebraismi in S. Scriptura occurrentes.

Hebraismi Regiminis. Hebraismus regiminis et praecellens, et neceſſarius, et uſu maxime corroboratus eſt, et ſubit genitivus iſte *locum adiectivi*. Sic *Vir ſanguinum* i. vir ſanguinarius, homicida. In Iobo cap. XXX. 28. *Crimen iudicum* aut *iudicii*, ita vocat adulterium et idololatriam, crimina duo, quae iudiciaria poteſtate coerceri, et ſupplicio ultimo puniri debent: ſic *dolores mortis*, *torrentes iniquitatis*, explicandum eſt per ſimilitudinem: *impii invaſerunt me inſtar torrentis*. Hic hebraismus in helleniſmum abiit novi Teſtamenti, cuius exempla in Paulinis epiſtolis plurima ſunt. Sed hoc plebeium et vulgare eſt. At erudita obſervatio eſt iſta:

Genitivus regiminis ſaepius ſignificare *cauſam finalem*. v. g. ſi dicam: *dediſti mihi ſcutum ſalutis* h. e. ſcutum pro ſalute capitis mei tutanda et ſervanda. Heinc facile ſolves illum hellenismum Paulinum: *abundant in nobis paſſiones Chriſti*, ex hac hebraismi regula loco *Chriſti* ponendum eſt *pro Chriſto*; et paſſiones ſunt aerumnae et calamitates inlatae ab inimicis Crucis Chriſti, et ſenſus clarus eſt. Tales ſunt hebraismi ſupra adducti *vaſa mortis*, inſtrumenta ad inferendam mortem, *calix benedictionis*, nempe ad agendas gratias adſumtus. *Mammona iniquitatis* reſpicit cauſam praeteritam i. e. divitiae fluxae, fallaces, quae potiſſimum per nefas comparatae ſunt. Inluſtre exemplum habes Pſal. XLIV. 12. *Dabis nos ut oves cibi*, ubi מַאֲכָל eſt genitivus regiminis, et cauſae ſimul finalis: ſubactus eſt Iſrael, ſicut pecus ducta ad altare, eo fine, ut mactetur, ſeu ſicut oves neci

ci

ci deſtinatae. Sic I. Petri II. 19 *conſcientia Dei* h. e. ſtudium placendi Deo.

Nomen rectum in genitivo caſu denotat etiam *cauſam efficientem*. Eſd. III. 7 *ſecundum facultatem Cyri* i. a Cyro datam. Sic *homo mulieris* i. de muliere. Iſ. I. 7. *ſecundum ſubverſionem alienorum* i. e. quam alieni inferunt. Ibidem LIII. 4. *Et nos putavimus eum quaſi leproſum* מֻכֵּה אֱלֹהִים *percuſſum Dei* h. e. a Deo. Si vero pro מֻכֵּה in regimine legatur מַכֵּה in abſoluto, ſenſus erit: *percuſſum Deum*, quod Chriſti divinitatem mirum in modum adſerit. Sic et in novo Teſtamento: Ioan. XII. 43. *dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei* h. e. maluerunt ab hominibus, quam a Deo glorificari. Sic *iuſtitia*, *ſalus Dei*, quae a Deo confertur. Sic et in nominibus poſſeſſivis Pſal. II. *Ego autem unxi regem meum* h. e. regem a me conſtitutum; ſubinde etiam genitivo cauſa inſtrumentalis indicatur. Iſ. XXXIII. 22. *Navis remi*, ſeu *remorum* Vulg. *remigum* h. è. a remis impulſa.

Genitivus regiminis importat etiam *cauſam materialem*: ſic dicitur *panis hordeorum* i. hordeaceus. *Virga ferri* i. ferrea. Item *effectum*. Gen. II. 9 *lignum vitae*. *Deus iuſtitiae meae* i. e. qui iuſtam cauſam meam tueris. Pſal. LXIV, 12. *Coronas annum benignitatis tuae* i. in quo hominibus benignitatem tuam bonorum abundantia exhibes. *Princeps pacis* i. qui pacem coeleſtem confert. Iſ. XL. 2 *ſpiritus ſapientiae et intellectus* i. e. qui haec dona credentibus impertitur, et quorum plenitudo in Chriſto reſidet. Ibidem c. LIII. 5. *Diſciplina pacis noſtrae ſuper eum* (i. Meſſiam) h. e. caſtigatio, quae pacem noſtram operata eſt, ſuper eum cecidit. Luc. I. 69. *Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui* i. e. poten-

tentiam Chrifti, a quo falus noftra proficifcitur, erexit Deus in familia David fervi fui, five, falutem potentiffimam nobis praeftitit.

Eleganter etiam regimen exprimit SUBIECTUM RECIPIENS. Deut. XVI. 17. *Secundum donum manus fuae* i. e. fecundum donum Dei manui ipfius conlatum. If. LV. 3. *Mifericordias David fideles* i. Davidi a Deo promiffas, nempe Chriftum ex profapia eius nafciturum. Dan. IV. 14. *In fententia vigilum decretum eft* h. e. in fententia vigilibus manifeftata. Per *vigiles* autem eo loci et in fequentibus verbis per *fanctos* intelliguntur Angeli, qui mandatis Dei exequendis invigilant. Luc. XXI. 4. *Munera Dei* h. e. Deo dicata et confecrata, et metonymice Gazophylacium. Apoc. *XIV.* 12. *Patientia fanctorum*, quae fcil. data eft fanctis.

SUBIECTUM OCCUPANS, quod et *obiectum* vocatur. Pfal. *CXLIX. 6. Exaltationes Dei in gutture eorum* h. e. laudes, quibus Deus praedicatur. Prov. I. 7. *Timor Domini*, quo Dominus ficut Pater a filiis timetur. If. III. 14. *Rapina pauperis.* h. e. quod pauperi ereptum eft. Zach. *IX.* 1. *Domini eft oculus hominis* i. e. refpiciens homines, qua locuutione providentia Dei fignificatur. Matth. *X.* 1. *Poteftas fpirituum inmundorum* h. e. in fpiritus inmundos. Act. IV. 9. *beneficium hominis infirmi* h. e. in eum conlatum. Gal. III. 22. *fides Iefu Chrifti* i. e. in Iefum Chriftum.

In nominibus *poffeffivis* idem hebraismus obtinet. Gen. L. 4. *Et praeterierunt dies fletus eius* (Iacobi) i. e. tempus, quo deflebatur. Ierem. LI. 35. *Iniquitas* feu *violentia mea* i. quae mihi infertur. Ibid. LIII. 11. *in fcientia fua iuftificabit ipfe iuftus fervus meus multos* i. e. fcientia five cognitione, qua per fidem cognofcatur Chriftus,

multi

multi iuſtificabuntur, modo tamen fides illa ſit cum charitate iuncta.

Eodem hebraismo regiminis innuitur *adiunctum* tam *inhaerens*, quam *adhaerens et connexum*. Prov. *XXIX.* 8. *Viri deriſores* i. deriſores, Vulg. *Peſtilentes*, ſenſum, non verbum reddidit. Iud. ℣. 18. Ambulantes ſecundum ἐπιθυμίας τῶν ἀσεβειῶν *deſideria impietatum* i. maxime impia. *Aſinus panis* eſt aſinus pane onuſtus. Iſ. *XXXIV.* 5. *populum anathematis mei* Vulg. *interfectionis meae*, i. quem devovi internecioni ſeu interfectioni. Ezech. *XX.* 7. *Offenſiones oculorum ſuorum* h. e. idola, quae oculis eorum placent, quamvis abominabilia ſint, et oculos divinae Maieſtatis offendant: vel quae oculos eorum offendere deberent, nedum ipſis placere. Et cap. *XXX.* 3. *Tempus gentium* i. quo puniendae ſunt gentes.

Idem hebraismus regiminis *comparationem* ſignificat. IV. Reg. *XXIV.* 3. *Propter peccata Manaſſis, quae fecit* Iuda i. e. peccata ſimilia iis, quae fecit Manaſſes. II. Paral. *XXIV.* 6. *Collecta* ſeu *oblatio Moyſis* eſt pecunia ſimilis ei, quam Moyſes ad ſtructuram tabernaculi collegit. Iſ. *I.* 10. *Principes Sodomorum . . . populus Gomorrhae* i. Sodomae et Gomorrhae incolis aequiparandi. Ierem. *XXII. ſepultura Aſini ſepelietur* h. e. ſepultura aſini ſepulturae ſimili, ſeu inſepulta ſepultura, ut vocat Cicero Philipp. *I.*

Hebraismi ex OBSERVATIONE RITUS. Multa ſunt in ſcripturis, quae prima facie, ſi legantur, putantur eſſe abſona: at ſi ritus adtendatur, cohaerere optime deprehenduntur. v. g. in epiſtola prima ad Timoth. c. V. dicit S. Paulus, presbyterum non eſſe corripiendum: hoc ſi intelligatur abſque obſervatione ritus, inconnexum eſt cum hierarchiae inſtitutione: quis enim debet

K 5 cor-



corripere feniorem, imo omnes alios fubditos, quam Epifcopus? Sed heic loquitur de illa correptione, quae fuit fpecies excommunicationis, et inducebat feptem dierum feparationem et conclufionem in domo, cum aliis quibusdam poenitentiis: hanc vetat inferendam viris in honore ecclefiaftico pofitis, nifi id forte exigat gravis aliqua neceffitas ad Ecclefiae bonum. Exemplum aliud Ioan. VIII, dicitur: *digito fcribebat in terra.* In hiftoria mulieris adulterae, quam ad Chriftum adduxerunt iudaei, narrat Evangelifta Chriftum digito fuo fcripfiffe in terra. Hoc fine notitia ritus explicari non poteft. Mulieri de adulterio fufpectae dabantur aquae, pulveribus de pavimento templi conlectis mixtae. Has antequam mulier biberet, facerdos fcripfit maledictiones in mulierem, fi rea effet, congerendas: at fi adcufator ipfus fuit adulter, aquae inefficaces erant: hoc fcito, facile intelliges, de quo quaefitum eft. Chriftus enim pulverem de pavimento legere fe fingens, avocabat iudaeos ad ritum aquarum Zelotypicarum, et earum inefficaciam, fi adcufatores ipfi fint lurcones.

Pfal. L. David dicit; *Afperges me hyffopo et mundabor;* prius dixerat: *Amplius lava me* adludens utique ad legales lotiones: omnium autem ultima emundatio leprofi fiebat hyffopo; ad hanc igitur provocat David, atque dicere volens: o Deus! impende mihi ultimam et praeftantiffimam emundationem: *afperges me*, inquit, *hyffopo, et mundabor, lavabis me et fuper nivem dealbabor.* Iam vero cum fcientia et intellectione huius phrafis fubfiftere non poteft ignoratio ritus et confuetudinis hebraicae. Veftimenta iudaeorum fuerunt potiffimum alba: heinc lotio veftium quotidiana, fignum munditiae; heinc *candor confcientiae* pro confcientia munda:

rubra

rubra vestimenta signum inmunditiae, quia sanguis pro re inmunda, et quae contaminat, habitus est. Heinc Isaias dicit: *si peccata vestra fuerint ut coccinum, sicut nix dealbabuntur*; et in hoc psalmo: *super nivem dealbabuntur*, videlicet per peccatorum remissionem. Et in primitiva Ecclesia, qui baptisati sunt, incedebant in albis, quia emundati lavacro regenerationis remissionem peccatorum consequuti sunt.

Exemplum aliud Psalmi XVI. *Visitasti nocte*: perfecte et erudite non explicabis, si ritum ignores perquirendi fermentum ante pascha. *Visitare noctu* igitur est instituere exquisitam et adcuratam inquisitionem: quia quando iudaei praeparationes suas paschati praemiserunt, ad lumen nocturnum quaesiverunt fermentum; et si casu mus aliquid fermenti intulisset foramini, et illud extraxerunt: ergo diligenter aliquid inquirere, est inquirere noctu: ideo Salvator noster de muliere quaerente drachmam dicit, quod accenderit lucernam: et propheta ait: *scrutabor Ierusalem in lucernis.* Igitur scripturas cum ritibus coniunctas antequam explicare adgrediaris, ritum meditate excusseris; hunc si adsequutus es, interpretationem adtulisti.

Hebraismi Adfirmantes. Tam in libris metricis, quam historicis et propheticis reperiuntur interrogationes, quae habent vim absolutae adfirmationis. v. g. *Nunquid irascitur per singulos dies?* Interrogatio emphatica pro adfirmatione, h. e. Deus irascitur quotidie impiis, quum poenas statim non videant subsequi, putant secum benigne agi, quum tamen adsidue illis irascatur. Hebraicum הֲלֹא *nonne* plus centies in libris IV Regum occurrit; at ipsa interrogatio est gravis adfirmatio.

Eius-



Eiusdem naturae eſt כ *Caph*, quae, quamvis ſenſu plebeio adſimilativa ſit, ſaepius tamen *Caph* non adſimilat, ſed graviter adfirmat. Quod ita ſcitu neceſſarium eſt, ut abſque hac obſervatione textus etiam novi teſtamenti ἀκριβῶς explicare non poſſimus. v. g. *Et vidimus gloriam eius, gloriam eius quaſi unigeniti*: Chriſtus non poteſt dici *quaſi unigenitus*, ſed reſpondeo, illud *quaſi* reſpondere noſtro כ ſenſu helleniſtico, nempe non eſſe כ *quaſi* adſimilantis, ſed graviter adfirmantis, et idem exprimit, ac *certe*, *vere* cet. Qimhhi vocat recte כ iſtud *Caph veritatis*, ideoque ſaepe ab interpretibus negligitur. Sic Pſal. CXXI. 3. *Ieruſalem, quae aedificatur ut civitas* h. e. civitas. Matth. XIV. 5. *quia ſicut prophetam eum habebant* h. e. pro vero, magno propheta eum habebant. Rom. IX. 32. *Quare? quia non ex fide*, ſed ὡς *quaſi* ſeu *tanquam ex operibus* i. e. ex operibus iuſtificari voluerunt.

Eaedem particulae כ comparationis aut adſimilationis apud graecos ὡς, ὥσπερ, καθὼς, οὕτως non ſemper omnimodam ſimilitudinem aut aequalitatem denotant, ſed de aliqua interdum convenientia intelligendae ſunt. Sic Ioan. VII. 21. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipſi in nobis unum ſint.* et ỷ· 22. *Ut unum ſint ſicut et nos unum ſumus.* Non vult Chriſtus hac comparatione, ut fideles unum ſint inter ſe eadem ratione, qua et ipſe unum eſt cum patre; haec enim unitas patris cum filio in ὁμουσίᾳ *conſubſtantialitate* poſita eſt; fidelium vero in ὁμονοίᾳ *animorum conſenſu* Act. IV conſiſtit. Unitas inter Patrem et filium *eſſentialis* eſt Ioan. X. 30. Unitas autem fidelium inter ſe et cum Chriſto *ſpiritualis* eſt et *myſtica* Rom. XII. 21. Sic pariter Matth. V. 48. *Eſtote ergo perfecti, ſicut et*

Pater

Pater vester coelestis perfectus est. Non iniungitur a Christo perfectionis nostrae cum perfectione divina aequalitas, quae quidem impossibilis est, sed perfectionis eius, de qua loquitur, necessitas. Quemadmodum v. g. pater coelestis bonis et malis benefacit; ita et nos amicos et inimicos diligamus.

CAPVT III.

De Metaphoris

METAPHORA tropus est, quo vox a propria et genuina significatione ad aliam sed cognatam, propter similitudinem transfertur, et hoc ornatus seu elegantiae ergo. Heinc tropus ille, uti reliquorum omnium frequentissimus, ita etiam florentissimus est et iucundissimus, utpote qui miram stylo sacrarum literarum ενεργειαν et evidentiam conciliet. Ut autem ordo aliquis in hoc capite exponendo servetur, tropum istum considerabimus I. Quum ad Deum transferuntur, quae rebus *inanimatis* II *animatis* nempe bestiis, III et quae *homini* propria sunt, et vocatur *Anthropopathia*, sed removenda est omnis imperfectio: vocatur etiam συγκαταβασις *condescensio*; quia in sermone sacro Deus quasi *descendit* ad nos, et propter captus nostri imbecillitatem nobiscum veluti balbutire, et blandius humiliusque, quam Maiestati tantae convenit, colloqui non dedignatur.

§. I.



§. I.

Metaphorae a rebus inanimatis defumtae.

A Plantis defumuntur metaphorae quaedam in *genere* et in *fpecie*.

Germen, Virga, Surculus Meffias vocatur If. IV. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae fublimis.* Vide cap. XI. 1. Ierem. XXIII. 5 cet. Quae loca a Paraph. Chaldaeo de Meffia diferte explicantur. Denotant autem Meffiae ortum temporalem, ficut germen five furculus terream habet originem, et terram quafi matrem agnofcit.

Radix David, radix iesse idem Meffias, quibus divinitatem eius deducunt S. Bernardus in die pafchae ferm. I. *Radix David, non David radix eius, fed ipfe radix David: quia portat, non portatur. Merito, David fancte! filium tuum vocas Dominum tuum, quia non tu radicem portas, fed radix te. Radix* porro fignificat *primogenitum*, quo ficut per radicem planta, fic et familia patris crefcit et propagatur. Chriftus *radix* eft et fundamentum fpiritualis familiae Davidicae i. e. Ecclefiae; vocatur ideo *primogenitus ex multis fratribus* Rom. VIII. 29. Hanc explicationem probant ex If. XIV. 30. *Interire faciam in fame radicem tuam* h. e. filium tuum. Mal. III. 19. *Et inflammabit* impios *dies veniens . . . quae non derelinquet eis radicem* וְעָנָף *et ramum* Chald. *filium filii* five nepotem. Unde patet filium, maxime primogenitum effe quafi *radicem* familiae, qui autem ex eo nafcuntur, inftar ramorum fe habere.

In fpecie Meffias vocatur Cedrus inlustris Ezech. XVII. 22. Vitem fe vocat Chriftus Ioan. XV. 1. *Ego fum vitis*, qua metaphora innuitur praecipue arctiffima

Chri-

Chrifti cum credentibus coniunctio; ficut enim *vitis* et *palmites* eiusdem funt naturae, fic Chriftus fecundum naturam humanam credentibus, quos ipfe palmites adpellat, ὁμοούσιος eft. Denique ut vitis copiofum inbibit humorem, quem cum palmitibus communicat: ita de plenitudine Chrifti omnes accepimus Ioan. I.

Fasciculum myrrhae fponfum fuum Chriftum vocat Ecclefia Cant. I. 13. *Myrrha* enim amara eft quidem at fragrantiffima, et utilitate infigni in mundandis et fanandis vulneribus, expellendisque pravis ex corpore humoribus, fedandis doloribus, confortando corde, corporibus a putredine fervandis cet. confpicua: quae omnia ad Salvatoris paffionem, eiusque ac totius meriti facrofancti fructus et efficaciam pulchre omnimode adcomodantur.

Botrus Cypri Idem Meffias vocatur. Nomen *Cypri* (hebraice כפר) heic non eft nomen infignis infulae in mediterraneo mari, etiam *Cyprus* nuncupatae; fed arbufti cuiusdam, quod ad altitudinem mali punicae excrefcit, frondes habens oleae fimiles, candidum odoriferumque florem, fructus vero pendulos in ingentes racemos odoris admodum fuavis. Quum folia arida conteruntur, croceum pulverem reddunt, quo Aegyptii et Turcae ungues, mulieris vero etiam manus et capillorum, atque corporis partem inficiunt. Tale arbuftum etiam creviffe in vineis *Engaddi*, docemur ex Iofepho L. V. de bello. c. III. fignificat hifce verbis fponfa, fe omnes delicias in fponfo repofuiffe. Chriftus vere *botrus cypri* eft ob abundantiffimam coeleftium fructuum copiam.

Lux dicitur Deus I. Ioan. I. 5. *Quoniam Deus lux eft* rel. qua loquutione Dei Maieftas, fanctitas, perfectio

et



et beatitudo significatur; luce enim coelesti ad nos transmissa nihil pulchrius, purius nihil est, nihilque magis homines laetificat. Iacob. I. 17 dicitur *Pater luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, est omnimoda ratione inmutabilis; respicit S. Jacobus ad solem corporeum, qui dum se ad oppositum hemisphertum convertit, obumbratum et obscuratum relinquit hemisphertum a se derelictum, quae tenebrarum et lucis vicissitudo in Deum non cadit. Hebr. I. dicitur Christus ἀπαυγασμα *splendor gloriae Dei*, tum quia ab aeterno per ineffabilem generationem *lumen de lumine* a Deo Patre resplenduit; sicut enim splendor a sole non divellitur, eique coaevus est: sic a *Patre luminum* hoc ἀπαυγασμα, qui filius est, nunquam divellitur, eique coaeternus est. *Tum* ratione beneficiorum, quae hominibus per Eum largitus est Deus: nam quemadmodum splendor solis dimittitur in terram ad eam inlustrandam, fovendam, vegetandam rel. ita et Christus Dei Filius ab eo missus est in mundum, ut nos inluminaret, vivificaret cet.

Lux et Sol dicitur etiam Deus ratione inter homines operationis. Psal. XXVI. 1. *Dominus inluminatio mea et salus mea*; est metonymia effectus pro causa efficiente: Dominus causa lucis et salutis meae, veram et salutarem gratiae et salutis lucem mihi praestat. Unde ortae sunt phrases, quibus *lux*, *lumen* significat favorem, benevolentiam. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* To *vultus* lucidus et serenus et metonymia signi pro favore et benevolentia: pulchra ergo phrasi hebraei dicunt: *signatum esse super aliquem lumen vultus divini*, quando Deus ei eximie favet: est autem metaphora sumta a signis militaribus, quae expanduntur et elevantur; sic etiam divinus favor expanditur super nos,

ut

ut clare cernatur. Num. IV. *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te*, ſignificantur etiam per *lumen Dei* beneficia quaelibet, quibus ad veram beatitudinem pervenitur. Pſal. XXXV. *In lumine tuo videbimus lumen* h. cet. per gratiam tuam ad veram beatitudinem perveniemus. Porro *lucis* metaphora ſignificatur mentis informatio, qua tenebrae intellectus diſpelluntur, et peccata, quae tenebris comparantur, auferuntur, quae omnia Chriſtus eminentiſſime praeſtitit. Iſ. IX. 2. *Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis lux orta eſt*, ubi loquitur de converſione gentium ad praedicationem Evangelii, quod, ſicut *dux* viae, ita et *lux* eſt.

Ignis, quo innuitur ira divina, quae peccatores, velut ignis ſtipulas, conſumit. Deut. IV. 23. *Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* Ad ignem ſpectat *fumus*, quo pariter ira Dei ſignificatur. Vide Deut. XXIX. 20. *Lucerna* favorem et benevolentiam. Pſal. XVII. *Quoniam tu inluminas lucernam meam* i. felicitatis et ſalutis meae auctor es. Vide ſupra.

Ad Aeris elementum pertinet, quum Deo tribuitur *flatus* ſive *halitus*, quo innuitur divina eius gratia et refectio, ſicut frigidus aeſtivo aeſtu halitus ſive ventus hominem recreat. Iſ. LVII. 16. *Non enim in ſempiternum litigabo, neque usque in finem iraſcar; quia ſpiritus a facie mea* יַעֲטוֹף *operiet ſe* (Vulg. egredietur) *et flatus ego faciam* i. e. Spiritus S., quem contriſtatis et contritis mittam, iis quaſi ſe operiet, et in illis gratia ſua habitabit; atque ita adflictos et tentationum aeſtu deficientes, ſuavi velut adflatu et ſpiraculo recreabo. 2. Divinam iram et vindictam denotat; ſicut ventus validus quaevis obvia deiicit, ignemque excitat ac fovet.

Iſ. XXX. 33. *Nutrimenta eius* (Tophet) *ignis et ligna multa*, *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam* i. quemadmodum ventus ignem accendit; ſic flatus Dei non ſolus, ſed cum torrente ſulphuris coniunctus inferni (qui per *Tophet* ſignificatur) ignem accendit. Vel flatus Dei aeque inferni ignem accendet, ac ſi in eum torrens ſulphuris derivaretur.

Ad AQUAE elementum pertinet, quum Deus dicitur *fons aquarum viventium* i. e. omnis vitae et refectionis auctor. Chriſtus D. gratiam ſuam et beneficia vocat *aquam vivam* Ioan. IV. Ipſe enim eſt fons vitae abundantiſſimus, et inſtar aquae emundat, reficit, ſitim reſtinguit. Spiritus S. dona *flumen aquae vivae* dicuntur Ioan. VII. 38. Huc pertinet *effuſionis* vox, quae de eodem ſpiritu ſ. uſurpatur, quaeque donorum eius abundantiam denotat.

Ad TERRAM referuntur, quae in ea exiſtunt, et ad Deum metaphorice traducuntur, ſive naturaliter ea producta ſint, ſive arte ab hominibus confecta.

LAPIS vocatur Chriſtus Pſal. CXVII. 22 *lapidem, quem reprobaverunt aedificantes* (ſacerdotes et proceres iudaeorum, qui aedificare debebant, non deſtruere) *hic factus eſt in caput anguli*, ſive lapis angularis, cui innititur Eccleſia ex iudaeis et gentibus compoſita. Vocatus etiam *lapis offenſionis*, in quem increduli et improbi impingent et conlidentur. Item *lapis reſurrectionis et vitae*, ad quem lapidem, tanquam ad rupem et arcem munitiſſimam credentes et pii confugientes ſalvabuntur.

PETRA vocatur Deus Deut. XXXII. 31. כִּי לֹא כְצוּרֵנוּ צוּרָם *Quia non ſicut petra noſtra petra eorum* Vulg. *Non enim eſt Deus noſter, ut dii eorum;* hic relicta metaphora ſenſum naturalem reddicit. Hac autem loqutione certiſſi-

tiſſimum et invictiſſimum Dei auxilium notatur; reperiebantur enim his in locis petrae ob altitudinem inexpugnabiles.

LATIBULUM, *abſconſio*, *tegmen*, *tugurium*, *tabernaculum* rel. Deo tribuuntur, quibus ſingularis eius protectio innuitur. Iſ. IV. 6. *Et tabernaculum erit* (Deus) *in umbraculum diei ab aeſtu . . . et in abſconſionem a turbine et pluvia* i. e. in defenſionem, in protectionem. Pariter Zach. II. 5. *Murus* dicitur: *Et ego ero ei* (Ieruſalem) *ait Dominus, murus ignis in circuitu eius*, quo indicatur Deum fore Eccleſiae ſuae protectorem, ſimulque terribilem hoſtium eius ultorem, quos inſtar ignis conſumet. Item *Turris fortitudinis*, *turris ſalutis* rel.

VIA DOMINI eſt coeleſtis doctrina. Inde phraſes: *cuſtodire vias Domini* pro, vitam ſecundum verbum et praecepta Dei inſtituere. *Viam Domini parare* dicitur S. Ioannes Malach. III. 1. De adventu eius inſtante verbi praeconio et baptiſmi ſancto ritu inchoato, ſerio teſtari. Metaphora autem a Magnatibus ſumitur, quorum praenuntiatur adventus, et quibus honoris cauſa via ſterni ac complanari ſolet.

UMBRA vocatur Deus, qua ſingularis eius protectio innuitur. Pſal. CII. *Dominus* צִלְּךָ *umbra tua*. Duplicatur metaphorae huius emphaſis, quum dicitur *umbra alarum Dei*. Dicitur et *umbra manus Dei*, qua loquutione, protectionis divinae robur et potentia adverſus quosvis hoſtes ſignificatur. Mirae emphaſeos eſt, quod legitur Luc. I. *Spiritus S. ſuperveniet in te*, et virtus Altiſſimi ἐπισκιάσει σοι *obumbravit tibi*, h. e. ſingulariſſima, potentiſſima et occultiſſima, quod vox *obumbrabit* ſignificat, ſpiritus ſ. in te ſupervenientis et Altiſſimi operatione fiet iſtud, quod quaeris, o Virgo, quomodo

 con-



concipere possis. Divina haec *umbra* nos etiam a temeraria huius mysterii perscrutatione deterreat.

§. II.

De Metaphoris ab homine ad Deum translatis.

Quae ab homine ad Deum *ανθρωποπαθικως* desumuntur metaphorae, spectant tum hominis partes et membra, tum adfectus, tum actiones, tum adiuncta.

Anima Deo tribuitur, qua eius Essentia, voluntas, adeoque ipse Deus intelligitur. Lev. XXVI. 11. *Non abiiciet vos anima mea* i. e. ego. Jerem. LI. 14. *Iuravit Dominus . . . per animam suam* i. per semetipsum. Heinc phrasis: *ostendere animae suae bona* i. sibi. Psal. XXIII. 4 *qui non accepit in vanum* נַפְשִׁי (ut legendum docent Massorethae) *animam meam* h. e. qui non iuravit in vanum per me, ita ut loquens inducatur Deus. *Animam accipere* est intendere animum; et *vanum* seu *vanitas* per anchistiam significat fraudes, dolos, nequitias rel. ut ex variis locis patet: sic Iob ait: *si ambulavi in vanitate*: et apud prophetam: *ambulaverunt post vanitatem.*

Corpus ratione suae Essentiae incorporeae Deo nunquam tribuitur, at Christo Deo incarnato. *Corpus* opponitur figuris, umbris et typis V. T. et ipsa veritas seu complementum rerum per umbras illas praefiguratarum eo denotatur. *Coloss.* II. 17. *Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Versio Syriaca, *Christus* i. e. quorum veritas et complementum Christus est. Sic ℣. 9. *in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* i. e. vere, perfectissime, non typice et umbratiliter, ut in V. T. sese Deus manifestavit. Ecclesia dicitur

Cor-

Corpus Christi, quia ab eo regitur, ſenſumque, vitam ac ſpiritualem motum recipit, ut corpus hominis a capite habet, unde vivat, moveatur. Praeterea eo ſenſu Eccleſia complementum ſive plenitudo Chriſti dicitur, quod licet Chriſtus perfectiſſimus ſit, et noſtri non indigeat: tanto tamen amore Eccleſiam ſuam complectitur, ut ſine ea nolit eſſe, perinde ut corpus non eſt ſine membris ſuis.

Caput Chriſti dicitur Deus 1. Ratione humanae naturae, qua Chriſtus minor eſt Patre Ioan. XIV. 28. 2. Ratione officii mediatoris et Redemtoris; omnia enim a Chriſto peracta regimen ſuum a Deitate obtinent.

Vultus ſeu facies frequentiſſime de Deo dicitur, variasque obtinet ſignificationes. 1. ſignificat eius manifeſtationem in coelo. Pſal. XV. 11. *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo* h. e. manifeſtatione in coelo. vide Matth. XVIII. 18. 2. Eius manifeſtatio in terra, quum adſpectabilis eius praeſentia notatur per columnam nubis et ignis. Exod. XXXIII. 14. *facies mea praecedet te* i. e. columna nubiſcet. 3. *Facies Dei* denotat ipſum locum, in quo ſe hominibus ſalutariter et gratioſe patefacit. Gen. IV. 16. *Egreſſusque Cain a facie Domini* i. e. loco, in quo parentes eius cultum Deo praeſtabant, et ſingularem eius miſericordiam experiebantur. Ion. I. 3. *Et ſurrexit Ionas, ut fugeret in Tharſis a facie Domini* i. e. e terra Iſraelis; putabat enim extra terram ſanctam non eſſe divinis revelationibus locum, ac proinde ſperabat in peregrinis locis illis Deum ſibi moleſtum non amplius futurum. Huc pertinent *panes facierum* Vulg. *Propoſitionis*, qui in templo coram Domino ponebantu-. *Facies* ſumitur etiam pro tabernaculo ſeu templo Pſal. XCIX. 2. *Ingredimini ad facies eius cum cantu* i. e. ingredimini in ta-

bernaculum eius. Vulg. *introite in conspectu eius cum exultatione.* Phrasis frequens: *requirere faciem Dei* i. e. consulere Dominum. Per *faciem* etiam frequenter tum *ira Dei*, tum eius favor et benevolentia innuitur, prout quisque locus postulat. Psal. XX. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui* i. e. irae tuae. Psal. XXX. 21 *abscondes eos in abscondito faciei tuae:* abscondere pro defendere; absconditum est locus tutus: unde Iob: *a flagello linguae absconderis* i. e. tutus eris. *Absconditum faciei* i. e. gratiae et misericordiae.

Hinc istae phrases: *Elevare faciem*, *lucere facere faciem super aliquem*, idem est, quod gratiam et misericordiam ei exhibere: et *abscondere faciem ab aliquo*, ei gratiam denegare, et iratum se exhibere significat. *Faciem Domini requirere* i. e. gratiam eius expetere. *Ambulare ante faciem Dei* est vitam instituere secundum beneplacitum eius.

Oculi Deo tribuuntur, quibus intelligitur 1. adcuratissima eius scientia. Psal. X. 4. *Ecce oculi eius respiciunt, palpebrae eius interrogant filios hominum.* Interrogare pro scire, cognoscere, et exploratum aliquid habere. Sic: *conscientiae bonae interrogatio.* LXX ante verbum *respiciunt* addunt *εἰς τὸν πένητα in pauperem*, quod ab Origine obelo notatum est: at licet Origines tempore in hebraeo non iaceret, id tamen exstare potuerat LXX Interpretum aevo, ut scribit *Montfaucon;* aut τὸ in *pauperem* explicationis et sensus complendi gratia adiicere potuerunt, sicut et fecerunt Psal. *XXIII.* 4. addentes to *proximo suo.* 2. Providentia eius inter homines, idque vel *in bonum* vel *in malum*: si in bonum; tuncque gratia et benevolentia divina notatur. Deut. *XI.* 12. *Quam* (terram) *Dominus Deus tuus semper invisit*

visit, et oculi eius in ea sunt a principio anni usque ad finem illius h. e. quam terram curat, fovet ac fertilem reddit. Psal. *XXXI.* 8. *firmabo super te oculos meos*: q. d. oculo suo seu indicio oculorum ei consulet Deus, sicut solent amici, ne prolabatur denuo in novum malum, invigilando ei, eum protegendo. Inde phrases: *Oculum Dei parcere* i. e. Deum propitium fieri. *Proiici a facie* cura et favore eius privari. *Tanquam pupillam oculi Dei oculorum Dei* est *custodiri* peculiari eius gratia, protectione frui designat.

In *malum*, quo ira Dei, et poenae ab eo infligendae designantur. Amos *IX.* 4. *Ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum.* If. III. 8. *Oculos divinae Maiestatis provocari* est ad iram ipsum concitari.

Aures Deo tribuuntur, quibus significatur non in *genere* solum cognitio rerum omnium, quae in terris aguntur; sed in *specie* 1. precum, quae ipsi a fidelibus, ut par est, offeruntur. Psal. *IX.* 17 *desiderium pauperum exaudivit Dominus, praeparationem cordis eorum audivit auris tua.* Praeparatio cordis pro erectione et recreatione animi; petit enim, ut Deus erigat animos pauperum i. e. piorum exaudindo illos: hebr. habet: *praeparasti cor eorum, audiat auris tua,* vel ut alii: *praeparabis cor illorum, ut aurem tuam facias intentam;* habere autem aurem intentam est opem ferre, intentum esse alicuius orationi. 2. Gravissimorum peccatorum, quae ut *clamantia in coelum* alias proponi solent, cognitio. If. V. 9. *In auribus meis sunt haec, dicit Dominus exercituum.*

Nota phrasin Aures perforare, pro in servum fidelem adsciscere: est adlusio ad ceremoniam et legem Exod *XXI.* 7 ubi coram iudicibus servo, qui septimo

 anno



anno liber exire nolebat, ſed ſponte in ſervitute Domini ſui manere volebat, aures perforabantur in ſignum perpetuae ſervitutis. Apoſtolus id adtribuit Chriſto. Pſalm. *XXXIX.* 7. *ſacrificium et oblationem noluiſti, aures autem perforaſti mihi* q. d. in perpetuam ſervitutem me addixiſti: *) quare metaphora hac perfectiſſima obedientia Deo Patri a Filio incarnato praeſtita ſignificatur.

Nasus Deo tribuitur Deut. *XXXIII.* ℣. 10. *Ponent* (Levitae) *thymiama* בְּאַפֶּךָ *in naſo*, vel *ad naſum tuum* h. e. ut ſit odor gratiſſimus naribus tuis. *Naſus* meta-

*) Reſpondet hebraeum: *aures* כָּרִיתָ *praeparaſti mihi*, τὸ כרה praeter *fodere*. *perforare*, etiam ſignificat *praeparare* IV. Reg. VI. 23. atque hac ſignificatione quoque *Symm.* *κατεσκεύασας μοι inſtruxiſti, praeparaſti.* Quocumque modo interpreteris, idem erit ſenſus; aurium enim perforatio ſeu perfectio promtam ſignificat obedientiam: quum enim aures bene perforatae et perfectae ſint, exquiſitus eſt auditus, proindeque in mandatorum exequutione nulla, hac ex parte, interponitur mora. *Nota* quod in pleris codicibus graecis pro *ὠτία aures* aut *auriculas* legatur *σῶμα corpus*, quam lectionem imitatur Apoſtolus ad Hebr. X. 5. Omnino probabile eſt LXX priori modo legiſſe et tranſtuliſſe, ut liquet ex Cod. Coiſliano apud *Guarin:* idem exhibet Euſebius cum duobus Scholiis graecis apud *Nobilum* et *Calmet*, quorum unum ita habet: *aures autem perfeciſti mihi, beatus Apoſtolus in* Corpus *commutans dixit, non quod hebraeum ignoraret, ſed ad ſuum ſcopum uſus.* Ita porro S. *Hieronymi* aetate lectum eſſe ſuadet, quod, quum omnes etiam minutiſſimae inter graecum et latinum diſcrepantiae illi obiicerentur, de hoc loco taceatur. Unde veriſimile eſt τὸ σῶμα pro τὰ ὠτία a critico quodam ſed indocto ad normam loci Hebr. X. poſitum fuiſſe. Similia enim ab antiquis quandoque practicata fuiſſe, variis demonſtrari poteſt. Interim loquutio Apoſtoli in re differre non videtur; nam *corpus aptare* aut praeparare idem ſignificare poteſt, quod aliquem excitare ad curſum et promtum reddere ac in exequendis mandatis velocem.

metaphorice ſaepe ſumitur pro ira, metaphora deſumta ab iratis, qui ſolent flatum e naribus emittere: naſus etiam index irae eſt: Unde *LXX* habent: ἐν ὀργῇ σου Vulg. *in furore tuo* i. e. ad placandum furorem tuum, quum iratus fueris. Hebr. אַף *et naſum* et furorem ſignificatur.

Os Deo tribuitur, quo intelligitur *in genere* 1. Eius voluntas, ſententia, mandatum cet. Ioſ. *IX.* 14. *Os Domini non interrogaverunt* i. e. ſententiam Domini non requiſierunt. I. Reg. *XV.* 24. *Peccavi, quia transgreſſus ſum* פִּי יְהוָה *os Domini* i. *ſermonem Domini.* Notandus eſt locus Deut. VIII. 3. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni* (verbo) *quod egreditur de ore Dei*, i. e. in qualibet alia re, quam Deus ad ſuſtentandam hominis vitam ſtatuerit; *verbum* enim, quod hic ſubintelligitur, hebraeis idem eſt, ac τὸ πρᾶγμα Graecis, et *negotium* latinis. 2. *In ſpecie*, quando familiari et intima ratione ſe alicui benefacit. Num. *XII.* 8. *Ore enim ad os loquor ei* (Moſi.)

Brachium Deo tribuitur, quo robur eius et potentia innuitur; quia in hominibus corporis robur in labore, pugna cet. brachiis potiſſimum exſeritur. Pſal. *CXXXV.* 11 *in manu potenti et brachio* נְטוּיָה quod alii *extento*, S. Hieron. magna vi, et potentia et efficacia. Nota. Hebraei, quando volunt dicere rem factam eſſe cum plena libertate et palam abſque timore, dicunt rem factam fuiſſe libero et potenti brachio, non more ſervorum, qui abſcondite fugiunt: metaphora ſumta a pugnantibus, vel aliis vehementius labori alicui incumbentibus; illi enim brachium omni vi et impetu exſerere et levare ſolent, quandoque etiam denudare ad impe-

 dimen-



dimenta vestium removenda. Is. LII. 1. *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* qua loquutione significari volunt doctrinam Evangelii, *quae est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom. I. 16. Luc. I. 51. *Fecit* (Deus) *potentiam in brachio suo* h. e. maximam suam potentiam exseruit.

Manus significant etiam Dei potentiam in potentissima ac mira admodum operatione. Num. 11. 23. *Nunquid manus Domini invalida est?* i. e. potentia Domini. 2. In protectione singulari. Psal. *XXX.* 6. *In manus tuas commendo spiritum meum.* 3. In poenarum inflictione. Exod. *IX.* 3. *Ecce manus mea erit super agros tuos, et super equos et asinos . . . pestis valde gravis.* 4. Metonymice pro ipsa poena divinitus inflicta. Iob. *XXIII.* 2. *Manus mea adgravata est super gemitum meum* i. e. plaga mea, ut Chald. reddidit; vel *manus plagae meae*, ut Vulg. i. e. manus, quae mihi plagam inflixit.

Nota phrases: *Manum extendere*, pro poenas immittere. Exod. VII. 5. *Manum mittere*, eodem sensu, Iob I. 11. *Manum movere.* Is. *XIX.* 16. *Et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam* (Aegyptum) *Manum Dei gravari* vel *adgravari*, gravius ab eo castigari significat: instrumenti synecdoche manus pro plaga inflicta. Psal. *XXXI.* 4. *Manum Dei alleviari* vel *relevari* mitioribus poenis adfici, vel illis liberari denotat. I. Reg. VI. 5. *Si forte relevet* (Deus) *manum suam a vobis.* *Manum suam avertere* dicitur Deus, quum plagam seu poenam non infligit. Ezech. *XX.* 22 *averti autem manum meam.* i. e. poenam. Et contrario significatu, *manum convertere* est poenas repetere. Is. I. 25. *Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.* i. e. iterum poenis et ad-

adflictionibus eliquabo te. *Manum levare ad gentes* dicitur, quum eas advocat, If. XLIX. 22. *Manum extendere*, quum ad refipifcentiam mifericorditer vocat Prov. I. 24. *Manus complodere*, deteftari et averfari innuit, Ezech. XXI. 17. *Manus levare* feu *extollere*, eft iurare. Exod. VI. 8. Denique *Manus Domini* adflatum quemdam propheticum fignificat, quem fanctis fuis hominibus ad opera quaedam et effata indidit, III Reg. XVIII. 46. IV. Reg. III. 15, quibus in locis paraphr. Chald. phrafi *requiefcere fpiritum prophetiae* utitur.

Dextera Deo tribuitur, qua pariter divina eius potentia intelligitur. Pfal. LXXVI. 11. *Et dixi, nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelfi.* *) Hinc phrafis: *federe ad dexteram Dei* dicitur de Chrifto fecundum humanam naturam exaltato; Pfal. CIX. 1. *Sede a dextris meis.* Phrafis a modo agendi Regum defumta, qui eos, quibus proximum a fe honorem tribuunt, ad dexteram fuam collocant: *federe* hic fignificat tenere imperium, q. d.

*) Hebraeum ita habet: וָאֹמַר חַלּוֹתִי הִיא שְׁנוֹת יְמִין עֶלְיוֹן *Et dixi infirmari meum ipfum anni dexterae Excelfi*; ab חָלַל (unde et הֵחֵל *incepit*, quo fenfu LXX) et in infinitivo *Pihel* formae חֲנוֹת v. praeced. et שְׁמוֹת Ezech. XXX, 3. a שָׁמַם. Aquila; *infirmitas mea, haec mutatio dexterae Altiffimi.* Theodot. *dolores funt mutatio dexterae Altiffimi.* Symm. *Vulnus meum eft iteratio dexterae Altiffimi.* S. Hieron. *Imbecillitas, mea eft haec, commutatio dexterae Excelfi.* i. e. infirmitas, calamitas mea haec aliunde non eft, quam ex mutatione dexterae i. e. potentiae Excelfi, quae prius hoftes meos fubiiciebat mihi, nunc autem me ipfis fubiecit. Senfus Vulgatae eft: poft tantas igitur anxietates cogitavi, vidi et expertus fum, me incipere refpirare, dum ad orationem converfus, intellexi, hanc calamitatem meam effe ex mutatione dexterae Excelfi, quae prius cet. ut fupra.



q. d. pari mecum imperio, ſummaque poteſtate regna ſuper omnia.

Digitus Deo tribuitur, quo itidem potentia et virtus Eius operantis denotatur. Exod. VIII. 19. *Digitus Dei eſt hic* i. e. potentia divina. Item *Spiritus Sanctus*. Luc. XI. 20. *Si in digito Dei eiicio daemonia*; quod Matth. per *ſpiritum Dei* exprimit. c. XII. 28 et in hymno Pentecoſtes, *digitus paternae dexterae*.

Cor Deo tribuitur, quo 1. viva eius Eſſentia ſignificatur, quemadmodum in homine cor principium vitae cenſetur. Gen. VI. 6 *et doluit* (Deus) *in corde ſuo* i. e. in ſemetipſo. 2. Voluntas et decretum divinum. Gen. VIII. 21 *dixit Dominus in corde ſuo* i. e. ſtatuit, decrevit. Ierem. XIX. 5. *Quae nec praecepi nec loquutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum* i. e. nec cogitavi; cor enim ſecundum ſcripturam ſedes animae eſt, cuius eſt cogitare, velle, decernere. 3. beneplacitum et adprobatio Dei. I. Reg. XIII. 14. *Quaeſivit ſibi Dominus virum iuxta cor ſuum* i. ſecundum beneplacitum ſuum.

Viscera Deo adtributa exprimunt miſericordiam Eius, et ardentiſſimam dilectionem. Iſ. LXIII. 15. *Ubi eſt zelus et fortitudo tua, et multitudo viſcerum tuorum?* i. e. amoris tui ardentiſſimi.

Sinus Deo tribuitur in tribus ſcripturae locis 1. Pſal. *LXXIII.* 11. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio ſinu tuo perſice* vel *conſice* i. e. ne ſinito amplius dexteram tuam in ſinu tuo otioſam reſidere, ſed ex eo eductam exſere contra hoſtes tuos et perſice opera tua; vel conſice, conſume hoſtes tuos. Vulg. *de medio ſinu tuo in finem*, ut ſit adflictionum noſtrarum finis. 2. Iſ. XL. 11. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, et in ſinu ſuo levabit* vel *portabit*

tabit h. e. ſumma benignitate et miſericordia erga eos utetur. Metaphora ſumta eſt a paſtoribus, qui ſolent parvos et imbecilles agnos in ſinu molliter geſtare, ſicut oves grandiores in cervice aut tergo. 3. *Unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris* Ioan. I. 18 qua metaphora intima communio filii Dei cum Deo Patre innuitur, quae conſiſtit tum in aeterna generatione, tum in unitate Eſſentiae, tum ardentiſſima dilectione, tum denique in ſecretiſſimorum communicatione; ſolus enim filius novit, et perfecte videt Patrem; unde ſolus eum et myſteria eius coeleſtia patefacere poteſt; ad quod ultimum Ioannes potiſſimum reſpicit, ut ex ipſo contextu liquet.

Pedes Deo tribuuntur, quibus denotatur 1. Eius inmenſitas, ſive in quovis loco praeſentia. Iſ. LXVI. 1. *Coelum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* i. e. in coelis et in terra habito ſimul ſive praeſens ſum. 2. Eius operatio tum in hoſtibus ſubplantandis et conterendis. Pſal. CIX. 1. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Tum in Eccleſia ſalvanda et glorificanda. Iſ. *LX.* 13. *Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus ſimul . . . et locum pedum meorum glorificabo* i. e. Eccleſiam, quae pedibus meis adſidet, ut verba mea et doctrinam meam audiat; unde Deut. *XXXIII.* 3. legitur: *Omnes ſancti in manu illius ſunt, et qui adpropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.* Metaphora deſumitur a ritu diſcipulorum, qui magiſtrorum ſuorum pedibus adſident. Nahum I. 3. *Nebulae* dicuntur *pulvis pedum Dei* quo tropo maxima eius inter gradiendum celeritas indicatur. Ut enim homines, qui currnnt, ingentem pulverem excitant: ſic Deus, dum in coelis ambulat, nubes quaſi pulverem pedibus ſuis commovet.

§. III.



§. III.

Adfectus hominis Deo tributi.

Quum Deo adfectus humani tribuuntur, videndum est in primis, ut omnis imperfectio ab eis removeatur; longe enim aliter se habet Deus irascens v. g. et homo eodem adfectu correptus. *Ira hominis*, inquit *August.* l. II. ad Simplician. q. 2. *turbida est*, *et non sine cruciatu animi*: *ira vero Dei*, *de qua dicitur in Evangelio Ioan. III.* 36. sed ira Dei manet super eum; *et Apostolus Rom. I.* 18: revelabitur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem, *illo in tranquillitate iugiter manente*, *in creatura subdita exercet admirabili aequitate vindictam . . . ita Zelum humanum non sine peste livoris intelligimus*, *zelantem vero Deum non ita*, *sed eodem verbo*, *non eodem modo.* Quare theologis dicitur Deus irasci, odisse, poenitere cet. quod effectus adtinet, non quod adfectus. Quidam tamen distinguunt inter adfectus, quorum nonnulli ita Deo tribuuntur, ut vere in ipso sint, sed non ratione imperfecta, et per modum adcidentis, ut in homine: verum ratione longe puriori et eminentiori, adeoque per modum ipsius Essentiae seu substantiae, ut *charitas*, *misericordia*, *gaudium* cet. Is. *LXII.* 5. *Et gaudebit sponsus super sponsam*, *et gaudebit super te Deus tuus:* qua phrasi significatur gratuitus et propensissimus in suam Ecclesiam amor: q. d. sicut sponsus gaudet propter sponsam: sic gaudebit propter te Deus tuus o Ecclesia!

Quidam vero adfectus humani proprie loquendo in Deo non sunt, sed ad divinum quiddam significandum per similitudinem ad Eum referuntur. Huius generis sunt *Tristitia* et *dolor* sive adflictio animi, quibus gra-

gratiae divinae ſubtractio denotatur. Iſ. *LXIII.* 10. *Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt* וְעִצְּבוּ *et dolore adfecerunt* Vulg. *et adflixerunt ſpiritum ſanctitatis eius*, i. Spiritum Sanctum Eius; q. d. talia perpetrarunt, quibus ſpiritus ſ. gratia indignos ſeſe praeſtiterunt. Pſal. *LXXVII.* 40. *Quoties* . . . יַעֲצִיבוּהוּ *dolore adfecerunt eum in ſolitudine*, ſive *in inaquoſo.* Vulg. h. e. quoties ita ſe geſſerunt erga Deum, ut ſuam eis gratiam denegaverit, ac poenis adfecerit. Epheſ. VI. 30. *Et ne* λυπεῖτε *contriſtetis ſpiritum ſ.* Sic Gen. IV. 6. *Et doluit Deus in corde ſuo* i. e. malitia hominum ipſi valde diſplicuit, ac de poena inmittenda decretum tulit. Huc pertinet illud. Iud. X. 16 וַתִּקְצַר נַפְשׁוֹ *et abbreviata eſt manus eius* i. e. doluit ſuper miſeriis eorum, ut optime Chald. et Vulg. interpretantur; quo dolore commiſeratio divina hic ſignificatur. Vide eamdem loquutionem Zachar. *XI.* 8. Sed ibi de indignatione et averſatione divina uſurpatur.

Poenitentia Deo tribuitur, qua denotatur 1. divina diſplicentia adverſus peccata et poenarum inflictio Gen. VI. 6. *poenituit Eum* (Deum) *quod hominem feciſſet.* 2. Divina commiſeratio et poenarum ablatio, ſi agatur de hominibus ſeria poenitentia ad eum converſis. Exod. *XXXII.* 12. *Et poeniteat te* (o Deus) *ſuper nequitia populi tui* Vulg. *Et eſto placabilis.* ℣. 14. *Et poenituit Dominum, ne faceret malum.* Vulg. *placatusque eſt Dominus.* In eiusmodi loquutionibus anthropopathicis ſolus adtenditur effectus agentis; ſic Deus iratus dicitur, dum punit; poenitere, dum deſtitit a poena, quam infligere coeperat. Haec autem poenitentia Dei nullam in Eo mutationem arguit, ſed tantum in rebus, quas inmotus mutat; utrumque enim ab aeterno decrevit, et facere

ali-



aliquod opus, et illud rursus mutare propter peccata vel resipiscentiam hominum.

Ira, Ultio, Odium Deo tribuuntur, quibus iusta eius vindicta innuitur, teste August. l. *XIII.* de Trin. c. 16. *Ira Dei nihil aliud est, quam iusta vindicta; non enim sicut hominis animi perturbatio est ira Dei, sed illius ira est, cui dicit alio loco s. scriptura* (Sap. *XII.* 18) *Tu autem, Domine Deus virtutum cum tranquillitate iudicas.* Exod. *XV.* 8. *In spiritu furoris tui congregatae sunt aquae.* Sumta est metaphora ab iratis hominibus, qui in vehementi irae commotione spiritum e naribus fortius emittunt. Unde quidam volunt אַף primario *nasum* significare, secundario vero et metaphorice *iram*, quod ea in naribus potissimum adpareat. Sed falluntur; huius enim nominis radix אָנַף pro *irasci*, *succensere* cet. ubique adcipitur; et אַף ab ipso etiam Aquila (*contentioso interprete, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est,* ut scribit S. Hieron. ep. *XXXIII.* ad Pammachium) redditur θυμὸς *ira* Psal. VI. 1.

Laetitia sive gaudium Deo punienti tributum, celeritatem eius in suppliciis infligendis denotat. Deut. *XXVIII.* 63. *Sic laetabitur* (Dominus) *disperdens vos atque subvertens* i. e. cum celeritate disperdet vos.

Consolationem accipere dicitur Deus, quum ab hostibus suis ultionem sumit, quemadmodum iratis hominibus vindicta solet esse suavissima. Is. I. 24. *Consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.*

Onus, defatigatio, labor Deo tribuuntur, quibus odium eius significatur. Is. *I.* 14. *Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea, fuerunt mihi oneri, laboravi sustinens.*

Zelus

Zelus seu Zelotypia Deo tribuuntur, quibus significatur ardentissima eius dilectio erga credentes, coniuncta cum indignatione adversus hostes eorum. Is. *IX.* 7. *Multiplicabitur Eius* (Messiae) *imperium* . . . *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* 2. Vehemens ira adversus improbos. Exod. *XX.* 5. *Ego sum Dominus Deus tuus, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios.* Sic in hiphil quum dicuntur homines *zelare Deum facere*, seu ad zelum, sive zelotypiam provocare, idololatria et peccatis aliis.

§. IV.

Actiones humanae Deo tributae.

Ex actionibus humanis aliae sunt, quae ad facultatem animae *intelligentem* sive rationalem pertinent; aliae, quae ad *sentientem* sive animalem. Actiones quae ad intelligentiam spectant, sunt vel *internae* vel *externae.*

Actiones internae Deo tributae.

Cognitio, non in genere; ea siquidem Deo propriissime et perfectissime omniscio competit; sed quasi experimentalis, et speciali quodam actu novo acquisita. Gen. *XVIII.* 21. *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Hic more hominum loquitur Deus, qui, ut rem sciant et cognoscant, ad locum, ubi facta est, se conferunt, et oculorum inspectione, aliisque mediis, de ea certi fiunt. Ibid. c. *XXII.* 12. *Nunc cognovi, quod times Deum,* i. nunc manifesto et externo indicio comperta est mihi cordis tui fiducia et obedientia, quam antea ex infinita scientia mea cognoscebam. Innuitur insuper divina facti huius adprobatio; nam scientia Dei duplici ratione

 con-



consideratur, et ut notitia futuri, et ut adprobatio facti. Huc etiam referri potest Philip. *IV. 6.* Ubi Philippenses hortatur Apostolus, *ut petitiones eorum innotescant apud Deum* h. e. ipsi gratae sint ac probatae.

Ignorantia Deo tribuitur, qua innuitur ipsius displicentia, odium, ira et aversio: sicut e contrario *noscere* pro *amare* sumitur: familiare enim est iudaeis, transferre verba intellectus ad voluntatem: quae figura vocatur *Anchistia*, de qua infra. Unde illud: *nescio vos* i. e. non curo, non amo vos. *I. Cor. XIV.* 38. *Qui ignorat, ignorabitur* i. e. improbabitur. *Is. XL.* 27. *Quare dicis, Jacob, et loqueris Israel: abscondita est via mea a Domino*: h. e. odio habemur et negligimur a Domino, nec is curat res nostras. Huc referuntur interrogationes quaedam a Deo institutae tanquam ignorante, quum revera ipsum nihil lateat, nec ulla opus habeat interrogatione. Sic Gen. *III.* 9. *Adam . . . ubi es?* S. Ambros. de Paradis. c. *XIV. Interrogatio non est, inquit, sed increpatio: de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti?* S. Aug. cont. Faustum l. *XII.* c. 10 inquit: *interrogat Deus Cain, non tanquam ignarus eum, a quo discat; sed tanquam iudex, reum, quem puniat.* Sic etiam in Evangelio Matth. *XXII.* 20 *cuius est imago haec?* huiusmodi quaestiones instituebat Christus, non quod ignoraret, quod quaereret; sed ut inde occasionem haberet docendi vel increpandi, quos sic interrogabat.

Quum Deus dicitur *scrutari corda et renes*, quasi ea, quae scrutatur, sibi cognita prius non essent: Hac itaque loquutione adcuratissima eius scientia exprimitur; ut apud homines sine scrutinio et indagatione locum vix habere potest certissima rerum notitia.

Re-

Recordatio ſive Reminiscentia Deo tribuitur vel in *bonam* vel in *malam* partem. *In bonam*, quando hominibus opitulatur poſt aliquas calamitates, in quibus eorum oblitus fuiſſe videbatur. Gen. *VIII.* 1. *Recordatus autem Deus Noe* cet. In genere recordatio divina donotat benevolum eius adfectum, gratiam, beneficium erga homines. Sic *recordatio foederis*, cuius intuitu Deus hominibus benefacit. Gen. *IX.* 15. *recordatio verbi* Pſ. CXVIII. 49. *Memor esto verbi tui* i. e. promiſſionum tuarum de iuvandis piis. *In malam partem*, quum peccata hominum punit. Pſal. XXIV. 7. *Delicta iuventutis meae . . . ne memineris Domine.*

Oblivio Deo tribuitur, *quando*, inquit S. Aug. in Pſ. CVIII. *tardare videtur adiutorium vel promiſſum, vel non retribuere digna peccantibus, vel ſiquid huiusmodi, tanquam eius memoriae elapſum, quod ſperatur, ſive timetur, et non fit.* XII. 1. *Usque quo, Domine, obliviſceris me in finem.* P. Scmits vult hic eſſe *apoſiopeſin* (eſt figura rhetorica, qua aliquid reticetur; et hic particula interrogationis) frequentem in τῳ *usquequo*, ut Pſ. VI. 4. ut ſit: *usquequo Domine? obliviſceris me in finem?* idem eſt. Pſ. LXXVIII. 5. Sic enim vitabitur ſpecies contradictionis inter *usquequo*, quod ſignificat, ſe ignorare terminum ad quem, et *in finem*, quod ſi exponatur in *aeternum*, ut oportet, adfirmat terminum ad quem. Inconcinna videtur loquutio: *usquequo obliviſceris me in craſtinum?* Interim נֶצַח, quod LXX ordinarie per *in finem* explicant, etiam ſaepe ſignificat *tandem*, *abſolute*, *ſemper*, *ſine interruptione*, *plane*: quum ergo dicit: *obliviſceris me in finem*, queritur, quaſi Deus penitus et plane oblivisci videatur.

Cogitatio Deo tribuitur, qua voluntas, ſententia et decretum eius ſignificatur. Gen. L. 20. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus cogitavit illud in bonum* h. e. decrevit, ſive *vertit*, ut optime interpretatur Vulg. Pſ. XCI. 6. *nimis profundae factae ſunt cogitationes tuae* i. e. inſcrutabilia ſunt iudicia tua. Deſcendit hic Pſaltes ad Providentiam, praeſertim in articulo de felicitate impiorum, ita ut cogitationes adcipiantur pro providentiis, quae certe ſunt imperſcrutabiles, dum Deus permittit impios omni felicitate abundare, et probos miſeriis vix non conſumi.

Actiones externae Deo tributae.

I. *Oris actiones.* Sibilatio tum in bonum Zach. X. 8. tum in malum Iſ. V. 26.

Sufflatio, qua ira Dei ſignificatur, metaphora deſumta ab iratis hominibus, qui fortius ſpirant. Ezech. XXI. 31 *igne furoris mei ſufflabo in te.*

Risus et subsannatio Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς; ſolent enim viri prudentes eos, qui immenſa et ἀδυνατα peragenda ſuſcipiunt, irridere. Pſal. II. 4 *qui habitat in coelis, irridebit eos, et Dominus ſubſannabit eos.*

Osculatio Deo tribuitur, quum de filio eius incarnando ſermo eſt. Cant. I. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ſic loquitur Eccleſia Chriſti ſponſa. *Quousque mihi ſponſus meus mittit oſcula per Moſen, mittit oſcula per prophetas? iam ipſius cupio ora contingere, ipſe veniat.* Orig. hom. I. in cant. Et de oſculo dando filio Dei Pſal. II. 12. *Oſculamini filium, ne quando iraſcatur* cet. i. e. ſubditi eſtote illi filio, de quo dicitur v. 7, *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Per oſculum antiquitus homagium

prae-

praeſtabatur novis Regibus: invitantur nationes, ut idem praeſtent novo Regi Meſſiae.

Loquutio ſive sermo ſaepiſſime Deo tribuitur: et tam *immediate*, quam *mediate* per prophetas ſuos Deus nobis loquutus eſt, in quorum ſcriptis frequentius nihil occurrit quam hoc: *Haec dicit Dominus.* Per *loquutionem* ſaepe efficax voluntatis divinae decretum exprimitur. Pſal. CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis* i. decrevit, ſimulque effecit Deus omnipotens, ut Dominus meus Meſſias ſive Chriſtus a dextris eius ſedeat. Gen. I. 3. et VIII. 21.

Increpatio ad loquutionem pertinet, qua realis vel *effectio* vel *perditio* notatur. *Effectio* Pſal. XVII. 16. *Et adparuerunt fontes aquarum, et revelata ſunt fundamenta orbis terrarum* ℣. 17. *ab increpatione tua Domine.* i. e. increpatio tua effecit, ut adparerent fontes aquarum. Sic Chriſtus Luc. VIII. 24. *Increpavit ventum et tempeſtatem aquae et ceſſavit, et facta eſt tranquillitas.* Quotiescumque Deus aliquid miri operari, dicitur increpare: ſic *increpuit mare rubrum.* Sic dicitur *increpare gentes*, et plura huiusmodi, quae omnia ſignificant ſupremam potentiam etiam ſupra naturae leges. Pſal. IX. 6. *Increpaſti gentes et periit impius.* Ubi perditio innuitur. Pſal. LXVII. 31. *Increpa feras* vide ſupra.

Praeceptio ſeu mandatum, quo Dei in creatura etiam rationis experte, ad certum opus peragendum vel omittendum directio innuitur. Iſ. V. 6. *Et nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem* i. ita nubes diſponam. Porro ex eo, quod Deus ſtellis imperare dicatur, quidam concludebant, eas eſſe rationis participes, quos erudite confutat S. Hieron. comm. in h. l. *Non recordantur*, inquit, *quod in Iona* (c. IV. vv. 7. 8.) *ſcriptum ſit:*

 prae-

praecepit Dominus ſpiritui comburenti: *et rurſum*: Praecepit vermi matutino: *et quod in Evangelio Salvator ventos et mare increpaverit, in quibus ſenſum et rationem non eſſe perſpicuum eſt.* Immerito S. Doctor reprehenditur a Glaſſio, *quaſi exempla incongrua* retulerit, propterea quod in Hebraeo non ſit וַיְצַו *praecepit*, ſed וַיְמַן *praeparavit* non enim textum hebraeum laudat S. Doctor, ſed LXX verſionem, qui habent: *καὶ προσέταξεν ὁ θεὸς σκώληκι, ἑωθινῇ et praecepit Dominus vermi matutino* v. 8. *καὶ προσέταξεν ὁ θεὸς πνεύματι καύσωνι συγκαίοντι et praecepit Dominus ſpiritui comburenti.*

Responsio, quum ad preces hominum reſpondere dicitur Deus i. e. quum eas exaudit. I. Reg. VII. 9. Econtrario *ſilere* dicitur, quum eas non exaudit, quo ſilentio mora eius in conſolando et adiuvando innuitur. Pſal. XXVII. 1. *Ad te Domine clamabo, ne ſileas a me: ne quando taceas a me*: auxilium et conſolationem tuam diutius ne protrahas.

Numeratio Deo adfingitur, qua 1. maxima Dei cura ac providentia ſignificatur; quae enim diligenter curamus, ea in numerato habere ſolemus. Pſal. LV. 9. נֹדִי סָפַרְתָּה *migrationem meam* vel *motionem meam numeraſti* i. e. motus meos, viam meam curaſti, vagationes aut fugas meas cuſtodiviſti. *) Matth. X. 30. *Veſtri*

autem

*) Differunt antiqui a moderno textu hebraeo; accipe totum verſum: נֹדִי סָפַרְתָּה אָתָּה שִׂימָה דִמְעָתִי בְנֹאדֶךָ הֲלֹא בְּסִפְרָתֶךָ *motionem meam numeraſti tu, pone lacbrymam meam in utre tuo: nonne in libro tuo?* Nota paronomaſiam in hebr. in to נֹדִי *vagari meum*, et to בְנֹאדֶךָ *in utre tuo.* Symm. τὰ ἔνδον μου ἐξηρίθμησας, S. Hieron. *Secretiora mea enumeraſti* pro נֹדִי videntur legiſſe סֹדִי *Secretum meum*, vel in plurali סֹדַי *Secreta mea.* LXX. τὴν ζωήν μου ἐξήγγειλά σοι Vulg. *vitam meam ad-*

num-

autem capilli capitis omnes numerati sunt. 2. Rerum nobis innumerabilium adcurata scientia Psal. CXLVI. *Qui numerat multitudinem stellarum* i. e. exactam habet scientiam stellarum dispersarum. Huc etiam pertinet

Emtio et Venditio, quae Sermone contractuum indice, fieri solet. Et *venditione* quidem traditio in potestatem hostium notatur; quare verbum מָכַר *vendidit* in quibusdam locis per vocem *tradidit* a Vulg. redditur. Deut. XXXII. 30. *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?* vide Iud. II. 14. Psal. XLIII. 13. *Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum:* et inhaerendo literae: *multitudo* subaudi pretii seu pecuniae, et *commutatio* pro venditione, species pro specie: sensus naturalis est: et pauci aderant, dum vendebantur, dum publicae venditioni exponerentur, vix aderant mercatores: nihili enim aestimabantur. Servi olim non vendebantur, nisi crebra licitatione, aucto pretio: at illos primo licitanti concessisti, quovis oblato pretio etiam vilissimo: ac si pretii momentive nullius essent, eos vendi fecisti.

nuntiavi tibi, to נֵדִי aut sumserunt pro *vita*, sensus duntaxat habentes: est enim vita nostra iugis quaedam vagatio, et peregrinatio: vide Gen. XLIV. 9. Aut legerunt נֵרִי *lucernam meam*, et metaphorice *vitam meam*: et pro סָפַרְתָּה *numerasti* legerunt סִפַּרְתִּךָ *recensui tibi*, contracte pro סִפַּרְתִּי לְךָ; et pro בְנֹאדֶךָ legerunt בְּנֶגְדֶּךָ *in conspectu tuo*: et pro שִׂימָה cum Symm. acceperunt pro praeterito: sic to תְּנָה *pone* pro *posuisti* Psal. VIII. 2. Tandem pro סִפְרָתֶה, unde בְּסִפְרָתֶךָ recte et conformiter ad radicem סָפַר per ἐπαγγελίαν *promissionem, denuntiationem* reddiderunt ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ σου, legendo cum כ pro ב *sicut et in promissione tua.*



II. *Manuum actiones.* Actiones, quae manibus ut plurimum peragi ab hominibus folent, quaeque Deo *ἀνθρωποπαθῶς* tribuuntur, dividi poffunt in *generales* et *fpeciales.* Generales funt

Labor tum in opere creationis. Iob X, 8. *Manus tuae* עִצְּבוּנִי *elaboraverunt me* Vulg. *fecerunt me.* At verbum hebraeum proprie fignificat magno labore, arte et diligentia aliquid formare. Vide etiam Pfal. CXXXVIII. 15. ubi Deus hominem *acu pingere* dicitur, ob mirabilem venarum, arteriarum, offium cet. quafi contexturam. *Tum* in opere redemtionis. vide If. LIII. 11. quae de moleftia, et anxietate Chrifti in paffione dicuntur.

Quies vel cessatio labori opponitur. Gen. II. 2. *Et requievit die feptimo ab univerfo opere, quod patrarat.* i. e. prout exponit S. Chryf. hom. X. in Gen. *fubftitit*, ceffavit a formandis producendisque ex nihilo rebus.

Speciales hominum actiones quam plurimae Deo tribuuntur, quibus varia ipfius opera tum iuftitiae et irae defignantur.

Lavare vel abluere dicitur Deus fordes et peccata, quum ex gratia fua remittit. Pfal. L. 4. *Amplius lava me* i. e. conformiter ad hebr. *multiplica*, iterum iterumque lava me. Adludit ad lotiones legales, quibus mundabantur certae immunditiae externae; dicit autem, ut magis et melius et perfectius ipfe lavetur a peccato, quam per illas fiat lotiones: unde ℣. 8. fubdit: *afperges me hyffopo*: in mundatione leproforum ultima expiatio fiebat hyffopo; et hic afperfio hyffopi fignificat ultimam et perfectam abfolutionem feu mundationem.

Aedi-

Aedificare pro creando producere. Gen. II. 22. *Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adamo, in mulierem.* Item pro benefacere, benedicere Psalm. XXVII. 5. *Destrues illos, et non aedificabis eos;* i. e. non benedices, non benefacies eis. Aedificare domum est aliquem donare domo, ut habeat et liberos et familiam et omnes commoditates: pro Davide saepe dicitur, quod Deus velit ei aedificare domum. Hinc intelliges, quid significetur, dum dicitur de obstetricibus Exod. c. I. 21 *et aedificavit* (Dominus) *eis domus.*

Adprehendere manum alicuius dicitur Deus, quum eum confirmat, ducit, ac prospero successu donat. If. XLV. 1. *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius adprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes.*

Concludere sub peccato dicitur, quum homines peccato obnoxios ac aeternae damnationis reos declarat. Rom. XI. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.*

Conflare more metallorum et aurifabrorum 1. quum pios adflictionibus probat et purificat. Psal. XVI. 3. *Igne me conflasti* (Vulg. *examinasti*) *et non est inventa in me iniquitas*, quoad causam usurpati regni, quod Davidi obiectum ab inimicis, quasi non a Deo electus, invasisset regnum Saulis, ut patex ex ℣. seq. *)

2. Quum doctrinam salutis et morum repurgat. Mal. III. 2. *Ipse enim* (Christus) *quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.* ℣. 3. *Et sedebit conflans, et emundabit argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum*

 et

*) In hebraico habetur זִמֹּתִי *cogitationes meas*, prout legit S. Hieron. *et non invenisti cogitationes meas transire os meum.* LXX vero saepissime hanc vocem priori significatione per to *iniquitas* reddunt: et legerunt pro זַמֹּתִי, prout modo punctitur, זַמֹּתִי

et quasi argentum, *et erunt Domino sacrificia offerentes in iustitia.* 3. Quum improbos plane exscindit. Ezech. *XXII.* ℣. 18. 19. 20 cet. ubi elegans metaphora continuatur.

Cribrare, quum suos calamitatibus explorat, et tamen conservat. Amos *IX.* 9. *concutiam in omnibus gentibus domum Israel*, *sicut concutitur triticum in cribro*, *et non cadet lapillus super terram.* Et econtrario, quum impios disiicit et perdit. If. *XXX.* 28. *Ad agitandas gentes in cribro vanitatis*, i. e. ita ut in vanitatem seu in nihilum abeant. Vulg. sensum optime reddidit: *ad perdendas gentes in nihilum.*

Decalvare caput, quum ornamentis spoliat, significat captivitatis miserias. If. III. 17. *Decalvabit Dominus verticem filiorum Sion*, *et Dominus crinem earum nudabit.* Captivis olim caput radebatur, atque tondebatur: quod futurum praedicit mulieribus in Ierusalem ob earum in vestibus luxum: auditum sane nunquam, neque visum, virgines et mulieres in partibus Orientalibus discooperto capite incedere: et quum insuper decalvatas incedere praedicitur, maximae servitutis notam innuit propheta, eoquod maximus mulierum ornatus in capillis consistat.

Delere ex libro viventium, quum inter salvandos non censet; ita plerumque exponunt illud Exod. *XXXII.* 32. *Aut si non hoc facis*, *dele me de libro tuo*, *quem scripsisti*, h. e. e numero salvandorum. Eodem in sensu sumunt illa Davidis Psal. *LXVIII.* 29. *Deleantur de libro viventium*, *et cum iustis non scribantur.* *)

De-

*) Tirinus ex S. Thoma duplicem ponit iustorum album sive librum: unus est eorum omnium, qui pro praesenti tempore iusti sunt, et quibus ratione praesentis iustitiae debetur vita aeterna

Deglutire, devorare, absorbere dicitur Deus quum penitus perdit. Exod. XV. 7. *Misisti iram tuam*, *et*

na; licet per peccatum possint ab hac iustitia et vita excedere. Alter est eorum, qui pro aeternitate praenoscuntur a Deo iusti futuri, et vita aeterna reapse potituri. Hi sunt soli praedestinati, qui nunquam eradi possunt. De utrovis libro, pergit, potest hic Moses intelligi, non quidem absolute et efficaciter (id enim impium esset vel impossibile) sed solum hypothetice, casu quo citra culpam ullam illud posset utile medium esse ad veniam populo obtinendam.

Sententia haec ut ut communior et Patrum authoritate roborata sit, sensum tamen arbitror naturaliorem, temporisque illius circumstantiis, ac carnalitati populi adcomodatiorem, si librum illum de temporalis vitae, seu hic viventium catalogo accipiamus: aut quod in idem redit, de memoria, de cura et favore temporali, quem hominibus, in hac vita degentibus, impendit Deus. Hebraei, utpote toti carnales et praesentibus inhiantes, Deum sibi effinxerunt velut Regem et principem, qui exactum in commentariis suis subditorum servat catalogum: vide Ps. CXXXVIII. 16. et Ps. LV. 9. Quemadmodum hae, similesque anthropopatciae eo spectant, ut Dei notitiam, curam, providentiamque, quam habet ac viventibus impendit, delineent: ita sensu naturali deleri de dicto libro, est veluti extra divinam notitiam et curam velut collocari, patet ex Psal. LXXXVII. 6. ubi propheta, se mortuis et sepultis, *quorum*, inquit, *non es memor amplius*, et *qui de manu tua repulsi sunt*, a Deo comparari queritur. Quae quidem ad solum naturalem mortuorum statum spectant, in quo certe non illo sensibili gaudent opitulationis, curae et protectionis beneficio, quo fruuntur viventes. Imperator milites suos recensens, quos vivos reperit, retentis, mortuos de libro expungit, eorumque deinceps non recordatur, aut curam habet. En emblema, quod hic hebraeis objicitur.

Liber vitae, prout illum accipimus, nobis aperte sistitur a Propheta Ps. cit. LXVIII. 29 *deleantur de libro viventium*. De quibus *hic*



et devoravit eos. Is. XV. 8. בִּלַּע *absorpsit mortem in sempiternum.* Vulg. *praecipitabit*, ex Aquila, qui interpretatus

hic agit propheta? certo de hominibus impiis, et suis iniquis persequutoribus. At hi in libro vitae aeternae, ut primo modo a Tirino adcipitur, non recensebantur, quum pro praesenti tempore iusti non essent. Neque de iis loquitur, qui sunt numerati in libro aeternae praedestinationis: quis enim credat, mansuetissimum Davidem adeo vindicta hic abreptum ac saevientem, ut etiam aeternae vitae iacturam inimicis suis imprecaretur? Et sit, id genus dicta, iuxta Patres, vaticinia potius, et minas, quam ultionis vota habenda esse: sed an rem impossibilem prophetam comminatum aut vaticinatum dicemus? res autem impossibilis est, de praedestinatorum albo expungi. Simplex igitur loci sensus est: viventibus probis intereant impii, nec Israelitarum (qui passim *sanctorum* ac *iustorum* nomine in psalterio exprimuntur) consortio fruantur.

Spectatis itaque circumstantiis, nempe ruditate et carnalitate populi liber vitae hoc sensu accipiendus est: Mosi certe aliis verbis opus fuisset, ut populo, cui scribebat, aliisque sensis et ideis imbuto, illum aeternae vitae librum expanderet. Adde nullam secus fuisse analogiam ea inter, quae intentabat Deus, et ea, quae in reconciliationis et redemtionis pretium offerebat Moses. Minas enim omnes temporale quidpiam in V. T. solum respexisse constat. Quum autem inter caetera corporis bona vita longe praestet, maximique semper, potissimum a populo illo carnali, sit habita, patet, neminem hucusque Mosaica maiorem charitatem habuisse, quum primus legatur, qui animam i. e. vitam suam posuit pro amicis suis.

S. Hieron. Pauli votum cum illo Mosis conferens ad Algasiam scribit; *si consideremus Mosis vocem, rogantis Deum pro populo, atque dicentis*; si dimittis eis peccatum suum, dimitte: si non vis, dele me de libro tuo, quem scripsisti; *perspiciemus, eumdem et Mosis et Pauli erga creditum sibi gregem adfectum: Pastor enim bonus ponit animam suam pro ovibus suis: mercenarius autem . . fugit*

tatus eſt *καταπεντίσει τον θάνατον εἰς νῖκος praecipitabit mortem in victoriam* ſeu *in finem*. Symm. *καταποθῆναι ποιήσει τον θάνατον εἰς τέλος abſorberi faciet mortem in finem*. Theod. *κατέποθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος abſorpta eſt mors in victoria.* LXX ſenſu prophetae contrario *κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας devoravit mors praevalens*. S. Paul. I. Cor. XV. 54 et Theod. qui interpretantur *κατεπόθη* in paſſiva voce *abſorpta eſt* legebant בֻּלַּע pro בִּלַּע vel ſi in activa voce legerunt, per paſſivam reddiderunt eodem ſenſu: ſive enim dicas *abſorpſit* (Deus) *mortem in victoria*, vel *mors abſorpta eſt*, ſenſus idem eſt.

Dilatare, quum ſolatur et ex anguſtiis liberat. Pſ. IV. 2. *In tribulatione dilataſti mihi* ſupple *cor*. Dilatari cor eſt pro exhilarari: cor enim in adverſis coarctatur; unde etiam pericula et adflictiones per anguſtias denotantur Iob XX. 22. contra vero in proſperis ampliatur et expanditur: metaphora ab iis deſumta, qui e loco anguſto et arcto, ubi vix reſpirare licet, in apertum campum deducuntur.

Di-

fugit. Et hoc ipſum eſt dicere: optabam anathema eſſe a Chriſto; *et* dele me de libro tuo. *Qui enim delentur de libro viventium, et cum iuſtis non ſcribuntur, anathema ſiunt a Domino.*

Simulque cerne Apoſtolum, quantae charitatis in Chriſtum ſit; ut pro illo cupiat mori, et ſolus perire; dummodo omne in illum credat humanum genus. Perire autem, non in perpetuum, ſed impraeſentiarum . . . Vult ergo Apoſtolus perire in carne, ut alii ſalventur in ſpiritu; ſuum ſanguinem fundere, ut multorum animae conſerventur. Quod autem Anathema *interdum occiſionem ſonet, multis veteris inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt.*

Dirigere seu complanare viam, quando conatus hominum secundat, et felices reddit. Psalm V. 9. *Dirige in conspectu tuo viam meam* *)

Discingere seu dissolvere lumbos, quum inermes et imbelles homines efficit. Is. XLV. 1. *Ut subiiciam ante faciem eius gentes, et* מָתְנֵי מְלָכִים אֲפַתֵּחַ *discindam* seu *dissolvam lumbos Regum* cet. i. e. ut LXX interpretantur, *καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω et fortitudinem Regum distringam.* Vulg. sensum, non verba sequutus interpretatur: *et dorsa regum vertam.*

Effundere iram sive *furorem* dicitur Deus, quum poenas gravissimas immittit. Psal. LXXVIII. 6. *effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt.* Effundit Deus spiritum suum, quum eius dona largiter concedit. Joel. III. 1.

Evacuare consilium, quum illud irritum facit. Ierem. *XIX.* 7. וּבַקֹּתִי *et evacuabo consilium Iuda* i. e. irritum faciam, sive *dissipabo.* Vulg. *Evacuare benedictionem* quum copiose benefacit. Malach. III. 10. *Si non aperuero vobis cataractas coeli* וַהֲרִקֹתִי *et evacuavero vobis benedictionem,* עַד־בְּלִי־דָי *usque dum non sufficiant,* supple va-

sa

*) Aliter hebraeum: הַיְשַׁר לְפָנַי דַּרְכֶּךָ ק״ *dirige in conspectu meo viam tuam* et sic legit Aq. Sym. et Theodot. teste S. Hieron. epist. ad Sun. et Fretel. *pro quo in Graeco κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου dirige in conspectu tuo viam meam, quod nec LXX habent* (in editione nempe Hexaplari) *nec Aquila: nec Symm. nec Theodotio, sed sola κοινὴ editio* (i. e. editio LXX, quae omnium manibus terebatur, quamque emendavit Origenes in Hexaplis) ergo lectio hebraica praeferenda; dirigit vero Deus viam suam, quando ostendit se recte agere; et hoc petit hic David, ut ostendat hostibus rectam et legitimam fuisse electionem ad regnum a Deo factam.

ſa ad continenda bona, quae vobis largiturus ſum. LXX *καὶ ἐκχεῶ εὐλογίαν μȣ ὑμῖν ἕως τȣ̃ ἱκανωθῆναι* Vulg. *et effudero vobis benedictionem meam usque ad abundantiam.*

Excidere vel dolare per prophetas, quum crebris monitis minisque homines perterret. Oſ. VI. 5. *Propter hoc dolavi in prophetis, et occidi eos in verbis oris mei.* Ubi et occiſio ſpiritualis memoratur. Vel *occidi* i. e. fore, ut occiderentur, ut praedixi, minatus ſum, niſi reſipiſcerent.

Extendere lineam ſive mensuram desolationis et lapidem ſive perpendiculum vacuitatis, quum regna et regiones per hoſtes deſolandos curat. Iſ. XXXIV. 11. וְנָטָה עָלֶיהָ קַו־תֹהוּ וְאַבְנֵי־בֹהוּ *Et extendet ſuper eam* (Idumaeam) *lineam deſolationis et lapides vacuitatis.* Vulg. *Et extendetur ſuper eam menſura, ut redigatur ad nihilum et perpendiculum ad deſolationem.* Ducta eſt iſthaec metaphora ab architectis, qui inter aedificandum, lineis, perpendiculis, et funiculis utuntur: qui mos Deo hic per antiphraſin tribuitur, ut ſignificetur, quod aedificaturus non ſit, ſed e contrario deſtructurus.

Frangere caput dicitur Deus, quum in ira ſua perdit impios. Pſal. CIX. 6. *Franget* ſeu *conquaſſabit capita in terra multa. LXX multorum* i. e. populorum.

Funda animam proiicere, quum violenter eam eripit. I. Reg. XXV. 29. *Et animam inimicorum tuorum funda iaciet, in medio curvaturae* ſive *ſedis fundae poſitam.* LXX verbum in ſecunda perſona interpretantur, ac de Davide intelligunt. *καὶ ψυχὴν ἐχθρῶν σȣ σφενδονήσεις ἐν μέσῳ τῆς σφενδόνης et animam inimicorum tuorum funda projicies in medio fundae.* Sed librariorum error videtur, in hebr. enim eſt tertia perſona יְקַלְּעֶנָּה *funda projiciet eam.*

Vulg.



Vulg. *Porro inimicorum tuorum anima rotabitur*, *quasi in impetu et circulo fundae.* Verbum activum *impersonaliter* accepit. Econtrario *animam ligare in fasciculo vitae* sive *viventium*, significat eam curare, ab hostibus defendere, atque adeo securam praestare, ut avelli a quopiam nequeat. Ibidem, *erit anima Domini mei* צְרוּרָה *ligata*, *LXX* ἐνδεδεμένη *illigata*, Vulg. *custodita quasi in fasciculo viventium* vel *vitae*, ut *LXX.* חַיִּים enim et *vitam* et *viventes* significat. Vulgat. *custodita* interpretatus est, vel sensum respexit, vel aliam radicem, nempe נָצַר *custodivit.* Verba enim imperfecta non formam solum, sed et significatum inter se non raro commutant.

Librare seu ponderare viam ad iram suam, quum iniustam impiorum contumaciam, iustis suis iudiciis et suppliciis compensat. Psal. *LXXVII.* hebr. *LXXVIII.* 50. יְפַלֵּס נָתִיב לְאַפּוֹ *et libravit semitam ad iram suam* vel *irae suae.* Vulg. *viam fecit semitae irae suae* S. Hieron. *Munivit semitam furori suo*, ut sine mora et impedimento impios exagitaret.

Librare seu ponderare *in statera montes* et *colles in bilancibus* dicitur Deus, qua phrasi maxima eius potentia et sustentationis divinae in toto hoc universo facilitas innuitur. Is. *XL.* 12. *Quis mensus est pugillo aquas et coelos palmo ponderavit*? quis adpendit tribus digitis molem terrae et libravit in פֶּלֶס *LXX.* σταθμῷ *statera* Vulg. *pondere montes et colles* in מֹאזְנַיִם *LXX* ζυγῷ *lancibus* Vulg. *statera*. Manifestum est פֶּלֶס et מֹאזְנַיִם esse nomina imposita instrumentis, quae ad ponderabilia elevanda facta sunt.

Pon-

Ponderare Spiritus, quum adcuratissime corda hominum explorata habere innuitur. Prov. 16. ℣. 2. *Omnes viae hominis patent oculis eius, et spirituum ponderator est Dominus.* Huc pertinet cap. 21. ℣. 2 *adpendit autem corda Dominus* cet. Metaphora desumta est a rebus, quae ponderantur, ut quanti sint pretii, cognoscantur.

Ponere hamum sive *circulum in naribus*, et *frenum in labiis*, quum furorem hostium inhibet, et contumeliose tractat. Ducta metaphora ab equis, in quorum maxillis imponitur camus, et in ore frenum, ut ad nutum equitis huc illuc flectantur. IV. Reg. XIX. 28. *Ponam itaque* חַחִי *circulum vel hamum meum in naribus tuis* et מִתְגִּי *frenum meum* Vulg. *camum in labiis tuis.* Vulg. pronomina possessiva neglexit, quia spectavit (ִ) ut antiquam vocalem e, cui nunc respondet (ֵ) subintellectum sub ח et ג.

Ponere lacrymas piorum in utre suo, quum non patitur inaniter eas profundi, sed earum quasi memoriam servans, postea in gaudia aeterna convertit. Psal. LV. hebr. LVI. 9. *Pone lacrymas meas* בְנֹאדֶךָ *in utre tuo* LXX. et Sym. neglecta metaphora, et solo sensu reddito ἔθȣ τὰ δάκρυά μȣ ἐνώπιόν σȣ *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Vel pro בְנֹאדֶךָ legebant בְנֶגְדֶּךָ LXX et Sym. imperativum שִׂימָה reddiderunt per praeteritum, qui Modus pro illo Tempore nonnunquam usurpatur.

Nota elegantem paranomasiam in hoc versu contentam in נֹדִי *et* בְנֹאדֶךָ.

Portare dicitur Deus, quum defendit, et clementer gubernat. Exod. XIX. 4 *vos ipsi vidistis, quae fece-*

 rim



rim Aegyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas ventorum. 2. Quum ea, quae creavit, ſuſtentat, ac potenter conſervat. Hebr. I. 3. *portansque omnia verbo virtutis ſuae.* Peculiari autem ratione Chriſtus dicitur portaſſe noſtra peccata, quum ea in ſe ſuſcepit expianda.

Proiicere post tergum suum peccata, quum ea condonat, et poenas eorum aufert. Illa e contrario ante ſe ponere dicitur, quum ea vindicat. Pſ. LXXXVI. 8. *Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo*; adludit ad peccata occulta, quae eorum Deo ſunt luminoſa: et haec impunita non manebunt.

Radere caput et pilos pedum cet. quum terram vaſtari curat, ex eaque homines tam ſummos, quam infimos perdit. Iſ. VII. 20. *In die illa radet Dominus in novacula conducta . . . caput et pilos pedum:* i. e. Aſſyrios praedae aviditate omnia diligentius ſpoliaturos eſſe atque abrepturos; et ſicut novacula penitus omnes etiam tenuiſſimi abraduntur pili; ita hoſtes omnes etiam parvulos exterminabunt.

Sagittis petere dicitur, quum iudicia ſua velociſſime in impios exſerit. Pſal. LXIII. hebr. LXIV. 8. וַיֹּרֵם אֱלֹהִים חֵץ פִּתְאוֹם הָיוּ מַכּוֹתָם *Et iaculatus eſt eos Deus ſubito, fuerunt percuſſiones* ſeu *plagae eorum.* Optime expreſſit S. Hieron. *ſagittabit ergo illos Deus iaculo repentino; inferentur plagae eorum* h. e. eis; nam מַכּוֹתָם contractum eſt pro מַכּוֹת לָהֶם *) i. e. Deus feriet, puniet et diſperdet conſilia eorum.

Scri-

*) LXX aliter legerunt ſic interpretantes. *καὶ ὑψωθήσεται ὁ θεός, βέλος νηπίων ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν.* Vulg. Lat. *Et exaltabitur Deus: Sagitta* Lat. *Sagittae parvulorum factae sunt plagae*

Scribere, qua metaphora eius ſcientia vel providentia innuitur *tum* reſpectu gratiae et benignitatis, ut quum pios ſcribere dicitur in libro ſuo. Iſ. IV. 3. *tum* reſpectu irae et poenarum Job. XIII. 36 *ſcribis contra me amaritudines* i. e. decernis, ſumta metaphora ex uſu forenſi. Vide etiam Iſ. LXV. 6.

In terra ſcribi, e coelo extorrem eſſe ſignificat. Ier. XVII. 13. *Recedentes a te, in terra ſcribentur.*

Scrutari Ierusalem lucernis, quum quaevis peccata latentia in apertum producit, et punit. Sophon. I. 12. *Et erit in tempore illo: ſcrutabor Ieruſalem in lucernis, et viſitabo ſuper viros defixos in foecibus ſuis.* Caeterum vide dicta ſuperius *de hebraismis convivialibus.*

Sculpere ſculpturam, quum Chriſtum vulneribus, vibicibusque pertuſum in paſſione effecit. Zach. III. 9. *Super*

plagae eorum. Qui in verſus diſtinxit biblia noſtra ſenſus rationem vix habuit, ſed modernam maſſorethicam diſtinctionem plerumque ſequutus eſt: aptius ergo ſenſu LXX et Vulg. hoc: *et exaltabitur Deus*, necteretur ſub verſu priori. Pro וַיֹּרֵם *et ſagittabit eos* legerunt יָרוּם *et exaltabitur.* Et pro פִּתְאֹם ſubito legerunt quaſi eſſet פְּתָאִם *parvulorum.* to *eorum* eſt genitivus cauſae ut Pſ. *III.* 9. q. d. quas ipſi inferunt; nempe plagae, quas iniqui inferunt iuſtis, nullius ſunt momenti, et veluti illae, quas debiles infantes ſagittis ſuis inferunt. En totam v. v. cohaerentiam v. 7. Varias nocendi vias et artes, quibus iuſtum perderent, iniqui perſcrutati ſunt, usque adeo, ut ſe, aranearum more, dum pro capiendis muſcis telas texunt, quaſi eviſceraverint, et ſcrutationibus iſtis conſumſerint. Solet quidem homo impius cordis ſui profundum ingredi, atque alta mentis evolutione doloſa, probisque nociva indagare, v. 8. At elevat ſe Deus, potentiam ſuam oſtendendo, et eorum conatus inutiles reddendo: factum namque eſt, ut plagae, quas inferebant, nullius momenti fuerint, cet.

Super lapidem unum (i. e. Chriſtum) *ſeptem oculi ſunt*) h. e. ad eum tanquam ad mediatorem et ſalutis aucto rem reſpiciunt omnes gentes; omnium oculi in eum ſunt intenti, adeo ut numerus finitus pro indefinito ponatur) *ecce ego caelabo ſculpturam eius* (i. vulneribus perforabo eum) *et auferam iniquitatem terrae illius in una die*, nempe paſſionis, qua ſanguis Chriſti ad omnium peccatorum emundationem effuſus eſt.

Sepem ponere ſeu sepire dicitur Deus, quum protegit, beneficiis et gratiis quemquam adficit. Job. I. 10. *Nonne tu* שַׂכְתָּ *ſepiviſti eum* Vulg. *Vallaſti eum* nempe Iobum. Econtrario

Sepem removere dicitur, quum auxilium ſuum ſubtrahit, et beneficia denegat. Iſ. V. 5. *Auferam ſepem eius* (vineae) *et erit in direptionem.* Item *ſepire* vel *concludere viam lapide exciſo* vel *quadrato*, quum poenis et calamitatibus undique conſtringit. Thren. II. 9. *Sepſit* Vulg. *concluſit vias meas lapidibus quadratis.* Denique *ſepire vias ſpinis* dicitur, quum adflictionibus et alia quavis ratione a pravo propoſito avertit. Oſe. II. 6. *propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, et ſepiam eam maceria* cet. Maceria eſt murus aut congeries lapidum in unum coniectorum ſine intrita aut alio genere fertuminis, eoque vineae claudi ſolent: unde in bonum ſumi poteſt pro exigentia materiae ſubſtratae; et in malum; Sic Pſal. LXXXVIII. 41. *Dirupiſti omnes macerias eius.*

Signare, Sigillo munire, quum praeſtantiae et auctoritatis conceſſae argumenta prodit. Ioan. VI. 27. *Hunc enim* (Filium hominis) *ſignavit Deus* Pater, h. e. illi divinitatis et potentiae ſuae ſigillum impreſſit, ut ei auctoritatem conciliaret et fidem; quomodo Reges ſigillo literis impreſſo ſolent, aut legatorum auctoritatem ob-

obſignato diplomate ſanciunt. Cant. IV. 12. Sponſa dicitur *fons ſignatus* i. e. praeſtantiſſimus, ex quo libare nulli permiſſum eſt. 2. Quum ſigillo veluti impreſſo promiſſiones ſuas confirmat Deus, dando futurae haereditatis pignus, nempe gratiam, qua nos unxit et ſignavit in filios Dei, diſcrevitque a filiis Diaboli, quod ſigillum Deo plane certum eſt, nobis vero non item. II. Cor. I. 22. *Qui* (Deus) *et ſignavit nos, et dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* In Sacramento autem confirmationis ſignamur, ungimur, et Spiritu S. confirmamur: ſumta metaphora a conſuetudine Orientalium, qui, ut ſervos ſuos agnoſcerent, ſignum quoddam vel in fronte, vel in alia corporis parte imprimebant.

Ventilabro ventilare, quum impios diſpergit ac diſperdit. Ierem. XV. 7. *Et ventilabo eos ventilabro in portas* (i. e. extremitates) *terrae; Interfeci et diſperdidi populum meum.* Vulg. *Et diſpergam eos ventilabro.* Chriſtus Matth. III. 12. *Ventilabro aream ſuam permundare* dicitur Chriſtus, id eſt, pios ab impiis ſegregare, quemadmodum ventilabro palea a frumento ſecernitur.

Verrere Scopis, quum terram aliquam deſolari, et incolis ſpoliari curat. Iſ. XIV. 23. *Et ponam eam* (Babylonem) *in poſſeſſionem ericii, et in paludes aquarum, et ſcopabo eam in ſcopa.* cet.

Vindemiare Spiritum, quum vitam momento eripit. Pſal. LXXV. hebr. LXXVI. 13. *Et ei, qui* יִבְצֹר *vindemiat.* Vulg. *aufert ſpiritum principum*: ubi anima cum botris, corpus vero cum palmitibus contenditur.

Ungere, quum animam erigit, ſolatur, laetificat et confortat. Pſal. XXII. 5. *Unxiſti* Vulg. *impinguaſti in oleo caput meum.* Vide ſupra cap. IV. de hebraiſmis ab oleis derivatis.

§. V.



§. V.

De aliis humanis actionibus Deo adtributis.

I. *Actiones pedum.* Gen. III. 13. *Inimicitias ponam inter te et mulierem et ſemen tuum et ſemen illius,* הוא *ipſum*(ſemen) vel *ipſe* (Chriſtus, unde LXX interpretantur αὐτὸς) *conteret caput tuum*, pedibus ſcil. ſequitur enim: *et tu inſidiaberis calcaneo eius* nempe fidelibus eius. Huc reſpexit S. Paulus Rom. XVI. 20. *Deus autem pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Iſ. LXIII. 3. *Torcular calcavi ſolus*, ubi per torcular intelliguntur hoſtes, quos Chriſtus in paſſione ſua calcavit.

II. Actiones sensuum plurimae Deo tribuuntur, de quibus ſpecialiores adducam.

Auditus Deo tribuitur, quo ſignificatur eius benevolentia, gratia, miſericordia cet. dum fidelium optatis precibus, ſuſpiriis cet. adnuit. Gen. XVI. 11. *eoquod audierit Dominus adflictionem tuam* h. e. eoquod miſertus fuerit tui Dominus. *Exaudire coelum* dicitur Deus, quum benefacit de coelo, dans pluvias et tempora frugifera. Oſe. II. 21. *Exaudiam coelos, et illi exaudient terram* ỷ. 22. *Et terra exaudiet triticum et vinum et oleum, et haec exaudient Iezrael*, i. e. ſemen Dei ſive populum ipſi acceptum.

Adtendere etiam dicitur, quo maior ipſius miſerationis vis ſignificatur. Pſ. CXXX *fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.* Contrarium eſt huic *obſtruere* (aures) orationi. Thren. III. 8. *Sed et cum clamavero* שָׂתַם תְּפִלָּתִי *obſtruxit* (aures) *orationi meae.* Sic ỷ. 44. *Obpoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio.*

Odo-

Odoratus Deo tribuitur, quo eius *εὐδοκία complacentia* et gratia denotatur. Gen. VIII. 21. *Odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis* i. e. ut explicat Chald. *Et accepit Deus in beneplacito ſacrificium eius.* Haec phraſis: *odor ſuavitatis*, ſaepe in ſcriptura ſacrificiis Deo oblatis tribuitur, quia in his omnibus ad Meſſiae ſacrificium, cuius typi fuerunt veteris Teſtamenti ſacrificia, reſpectus habebatur: vide Eph. V. 2. Neque enim odor, quem edebant holocauſta pecorum, bonae erat fragrantiae, imo gravis erat et moleſtus. Sic Apoſtolus II. Cor. II. 15. Se aliosque Evangelii miniſtros *bonum Chriſti odorem* dicit non tantum Deo, ſed iis etiam, qui ſalvantur et qui pereunt: ſed diverſa ratione; nam idem odor, qui credentes recreat, ſalvatque, incredulos interficit et damnat. *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis, qui ſalvi fiunt, et in iis, qui pereunt* ℣. 16 *aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitae in vitam.*

Tactus Pſ. CIII. 32 *qui tangit montes et fumigant* q. d. ſolo tactu res ſummas et firmiſſimas perdit. Eſt inſuper ſignum maximi timoris.

Senſuum exteriorum adfectiones ſunt *ſomnus*, *vigilia.* Utrumque Deo tribuitur: ac ſomno quidem auxilii dilatio: vigilia autem potentiae contra hoſtes, et gratiae erga Eccleſiam exhibitio innuitur. Pſal. XLIII. 23. *Exſurge*, *quare obdormis Domine* i. e. quare auxilium tuum protrahis? exſere nunc potentiam tuam in hoſtes meos. Pſ. LXXVII. 65. *Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus*, *tanquam crapulatus potens a vino*: ſicut miles fortis, qui epoto vino clamat et ad iram adcenditur: *vina parant animos.* Eſt inſignis anthropopathia ad deſignandam Dei alacritatem, animoſitatem et ſtrenuitatem, qua in Philiſtaeos advertit: vide I Reg. V. 6. Sen-

ſus eſt, Deus, qui antea gravi ſopore et vino ſepultus veluti iacebat, quaſi vir quidam ſtrenuus expergefactus eſt ad faciendam ultionem in inimicos.

III. Actiones locomotivae. *Adventus* Dei in bonum et malum accipitur: *in bonum*, quando gratiae et beneficentiae exhibitio ſignificatur. vide Exod. XX. 24 *in malum*, quando punit, et iudicium exercet, poenamque infligit. Pariter *ambulatio in populo ſuo* in bonum et malum. Lev. XXVI. 28. *Et ego ambulabo adverſus vos in furore contrario, et corripiam vos ſeptem plagis* i. e. plurimis plagis.

Equitatio, qua innuitur glorioſa Dei operatio in coelis, tempeſtatibus. Vide Deut. XXXIII. 26. Pſal. LXVII. 34. Dein in exequendis ſuis iudiciis celeritas. Pſal. XVII. 11 et *equitavit* Vulg. *et aſcendit ſuper cherubim et volavit.* Hic poetica hypotypoſi narrat minas et inuſitatas ac ſupra naturam ſibi conceſſas liberationes: ſubin conſternationem hoſtium, quam explicat per terrae motum, fumum, ignem, carbones, caliginem, quae omnia pertinent ad ſaevas et horrendas tempeſtates, quas Deus in hoſtes inmiſit, et deſcribuntur, tanquam ſi ipſe Deus deſcendiſſet pugnaturus: ventos item procelloſos cum grandine, fulmine et tonitru, ubi inter alia Deum inducit equitantem ſuper כְּרוּב nam apud Iudaeos erat quaedam doctrina myſtagogica, quae ſolium Dei et quadrigam eius ex cherubinis componebat, et ſic inducitur Deus quaſi equitans et inſidens illi quadrigae.

Occursus, quo *vel* Dei manifeſtatio denotatur, Num. XXIII. 4. *Quumque abiiſſet* (Balaam) *velociter* (al. *in clivum*) *occurrit illi Dominus* h. e. illi ſe ipſum manifeſtavit *vel* gratia et beneficentia. Iſ. LXIV. 5. *Occurriſti*

lae-

laetanti et facienti iuſtitiam h. e. favore tuo proſequutus es.

Reversio in locum ſuum, qua innuitur auxilii divini ſubtractio Oſ. V. 15. *Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis.* 2. in altum, qua in ſolium iudiciarium conſcenſus ſeu ipſum Dei iudicium indicatur. Pſal. VII. 8. *congregatio populorum circumdabit te: et propter hanc in altum regredere* i. e. in ſolium, ſuggeſtum. Metaphorica loquutio: nam quum Deus, inquit Kimhhi, diſſimulat peccata, videtur deſcendere e loco ſuae potentiae et ſede iudicii; at quum idem animadvertit in ſcelera, et poenas improbis debitas iudicio exigit, videtur ſurgere et elevare ſe et redire in locum iudicii: quo ſenſu, ubi agitur de Pharaone ſubmerſo, dicitur: *Cantate Domino, quoniam extollendo extulit ſe.*

Surrectio, qua divinum de magnis operibus exequendis propoſitum innuitur, quum enim res vulgares perficit Deus, ſedere; quum vero magnas et inſolitas efficit, ſurgere dicitur. Num. X. 35. *Surge, Domine, et diſſipentur inimici tui.*

Supervenire hominem Spiritus S. dicitur, quum ſingulari et mirabili ratione in eo, et per eum operatur, Luc. I. 35. *Spiritus S. ſuperveniet in te, et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi:* eadem phraſi dicitur, *indui virtute ex alto* vide ſupra cap. VII.

Transitio, qua vel poena divinitus inflicta ſignificatur, Exod. XII. 12. Vel econtrario diſſimulatio, qua non punit, Amos VII. 8. Non adiiciam ultra עֲבֹר לוֹ LXX παρελθεῖν αὐτὸν *pertranſire eum*, populum Iſraeliticum.

Visitatio, qua innuitur gratia et beneficium exhibitum. Gen. XXI. 1. *Viſitavit autem Dominus Saram* cet.



Pſal. LXIV. 10 *viſitaſti terram*, i. e. benedixiſti terrae, ut fructum ferret. 2. ira et ſupplicium inflictum Exod. XXXIV. 7. פָּקַד *viſitans iniquitatem patrum in filios* Pſal. XVI. 3. *Viſitaſti nocte*, id *de nocte* refertur ad exquiſitam et adcuratam inquiſitionem; quia hebraei, quando adcurate in aliquid inquirebant, id facere ſoliti erant ad lumen nocturnum v. g. in perquiſitione fermenti ante paſcha, ſi caſu mus in aliquod foramen fermentum intuliſſet.

IV. *Adiuncta humana tum* PRIVATIVA *tum* POSITIVA Deo adſcribuntur. *Privativa*, quando impotentia efficiendi aliquid Deo tribuitur. Vide Gen. XIX. 22. Iſ. I. 13. *Non poſſum* (ferre) *iniquitatem et coetum* h. e. iniquitatem coetus veſtri, idque ob ſanctitatem meam, cui veſtra adverſatur iniquitas. Huc referendum eſt Exod. 32. 10 *dimitte me*, *ut iraſcatur furor meus contra eos* cet. Verba ſunt Dei ad Moſen, quaſi fide et precibus illius veluti adligatus et conſtrictus populum delere non poſſet. Tantae virtutis eſt deprecatio iuſti apud Deum. Pſal. CV. 23. *Et dixit*, *ut diſperderet eos*: *ſi non Moſes electus eius ſtetiſſet in confractione*, (i. e. in ruptura) *in conſpectu eius*: niſi Moſes furori Dei ſe fortiter obieciſſet, ac Deum veluti repuliſſet. Metaphora a murorum ruptura, ab hoſtibus civitatem obpugnantibus facta, quam ſtrenui milites obiectis corporibus claudunt, ne hoſtis irrumpat. S. Hieron. *ſtetit medius*: ſtare itaque in confractione ſignificat intercedere pro aliquo.

Adiuncta poſitiva plura ſunt, eaque tum *interna*, tum *externa*. Interna ſunt, reſpectus et ſtatus hominum diverſi, qui Deo adſinguntur: unde dicitur *Agricola*, ſynecdochice *Vinitor* Ioan. XV. 1. *Artifex* Prov. VIII. 30. *Bellator* Exod. XV. 3. *Conſiliarius* Iſ. IX. 6 vocatur

Chri-

Chriſtus, *tum* ob ſapientiſſimum ſalutis noſtrae reparandae decretum ſive propoſitum, quod in Chriſto Ieſu ante tempora ſaecularia diſpoſitum eſt II. Tim. I. 9 *tum* ob ſanctiſſimum officium in voluntatis divinae ad ſalutem patefactione et obedientia Patri praeſtita cet. *tum* denique, quod nobis conſilia et praecepta, ſimulque et media ad aeternam ſalutem obtinendam neceſſaria dederit. *Paſtor* vocatur Pſal. XXII. 1. *Dominus* hebr. רֹעִי *paſtor meus*. *Primogenitus* vocatur Chriſtus, qua voce maxima eius potentia, dignitas, praeſtantia cet. ſignificatur; deſumta enim eſt iſta loquutio ex nobilitate et praeſtantia iuris primogeniturae.

Adiuncta *externa* ſunt vel *ſeparabilia*, vel *inſeparabilia* inſeparabilia ſunt *locus, tempus*. Utrumque Deo *illocali* et aeterno ἀνθρωποπαθῶς tribuitur. Sic *Sedes*, *Solium*, ſeu *thronus* Deo tribuitur, quo maieſtas ſublimitas, et auctoritas eius excellentiſſima ſignificatur. Pſal. XLIV. 7. *Sedes tua, Deus, in ſaeculum ſaeculi*. Eſt brachilogia: ſedes tua, eſt ſedes Dei ſeu divina; nam ut ſupra dictum, res eximiae in ſuo genere adcipiunt cognomen a Deo; in ſenſu ſublimi aeternitas regni Meſſiae indicatur.

Scabellum *pedum* eſt 1. terra, Iſ. LXVI. 1. 2. Arca foederis, in qua ſpeciali revelatione ſuam ſe praeſentiam declaraturum promiſit Deus. I. Paral. XXVIII. 2. Deus enim cherubinorum alis inſidere; et pedes ſuos in arcae operculo velut in ſcabello figere vulgo dicebatur. Pſal. CIX. 2. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, qua phraſi innuitur Dei operatio in hoſtibus ſupplantandis et conterendis, atque omnimodo hoſtium Chriſti ſubiectio denotatur.

Non ſolum autem *locus* Deo tribuitur, verum etiam *locatio* ſive ſitus localis. Heinc dicitur *ſtare e longinquo*

vel



vel *longe recedere*, quo indicatur divini auxilii dilatio: quum enim Deus opem fert, propius adcedere videtur; quum non fert, longius recedere aut ſtare. Metaphora ab homine, qui, dum longe abeſt, auxiliari nequit. Pſ. IX. 22. hebr. X. 1. *Ut quid Domine* תַּעֲמֹד בְּרָחוֹק *ſtas in* vel *e longinquo*. *Stare ad dexteram* eſt ope ac favore potenter defendere. Pſal. XV. 8. *Quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear*.

SEDERE dicitur Deus, quo eius imperium, iudiciique divini exercitium in peculiaribus actis ſignificantur. Pſal. XXVIII. 10. *Et ſedebit Dominus in aeternum* i. e. his omnibus portentoſis effectibus nempe tempeſtatis et tonitrui praeſidet Deus. *Sedere ſuper orbem* vel *gyrum terrae* ob maieſtatem et gloriam terrena omnia longiſſime ſuperantem.

HABITARE dicitur Deus *in Excelſis, in Sion, in Eccleſia, in contritis cordibus* cet. qua loquutione gratioſae eius praeſentiae manifeſtatio, actio, defenſio, inluminatio, conſolatio, ſalvatio cet. intelligitur. Emphaticum valde eſt illud Apoſtoli II Cor. XII. 9. ἵνα ἐπισκηνώσῃ *ut inhabitet in me virtus Chriſti* h. e. ut in me ceu in tabernaculo, habitet virtus ſeu gratia Chriſti. Huc referendum iſtud, quum *Spiritus S. requieſcere ſuper aliquo* dicitur, quo donorum eius largitio et operatio innuitur. Si de Chriſto agatur, ut Iſ. XI. 1. et LXI. 1. tota Spiritus S. ac donorum eius plenitudo intelligitur, quae illi ſecundum humanitatem communicata fuit.

Adiuncta *ſeparabilia* varia ſunt: ſic ARMA Deo tribuuntur, quibus irae eius et vindictae operatio innuitur. Specialia armorum inſtrumenta ſunt *arcus*, *nervi*, *ſagittae*, *gladius*, *framea* cet. quae omnia ſunt irae et vindictae divinae index et ſymbolum. Vide ſupra. *Scutum*,

Cly-

Clypeus insinuat, quando Deus homines protegit, omnesque hostium impetus instar clypei excipit, et avertit. Gen. XV. 1. *Noli timere Abram, ego sum* מָגֵן לָךְ *clypeus tuus* i. e. *protector tuus*. Psal. LXXXIII. hebr. LXXXIV 12. כִּי שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יְהוָה אֱלֹהִים Aq. ὅτι ἥλιος καὶ θυρεὸς κύριος ὁ θεὸς, S. Hieron. *quia sol et scutum Dominus Deus*. LXX et Theod. ὅτι ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος ὁ θεὸς, *quia misericordiam et veritatem diligit Dominus Deus.* Hic librarii mendum est, qui pro ἥλιον, ut interpretantur Aq. Symm. V. Edit. et ipse etiam Theod. in quibusdam MSS, scripsit ἔλεον: quumque librarius alter animadverteret voces ἔλεον et θυρεὸν non bene inter se cohaerere, pro ultima dictione θυρεὸν, reposuit ἀλήθειαν, et verbum ἀγαπᾷ ad sensum pleniorem, ut ipsi videbatur, efficiendum, adiecit; sicque nata est phrasis: ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος ὁ θεὸς *misericordiam et veritatem diligit Dominus Deus.* Pro priori שֶׁמֶשׁ verosimiliter legerunt שֶׁמֶן *oleum*, quod est misericordiae symbolum.

Currus Deo tribuuntur, quibus declaratur divina eius potentia. Habac. III. 8. 2. Ministrantium Angelorum myriades denotantur. Psal. hebr. LXVIII. 18. *Currus Dei duae myriades, millia iterationis* i. e. iterata sive duplicata; numerus finitus pro infinito. LXX. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium.* Dicuntur ergo Angeli *currus Dei*, quia Deo subditi sunt, iisque velut curribus falcatis, quorum potissimus illis temporibus erat usus, utatur. vide IV. Reg. VI. 17.

Orbitae etiam Deo tribuuntur, quibus nubes significantur. Psal. hebr. LXV. 12. *Et orbitae tuae stillabunt pinguedinem* i. e. nubes, quae sunt currus tui orbitae, stillabunt pluviam, quae terram foecundabit. LXX

sen-



ſenſum duntaxat reddiderunt *καὶ τὰ πεδία σου πλησθήσονται πιότητος* *et campi tui replebuntur ubertate*, i. e. pinguedine metonymice ſicut dicimus pluere pecuniam.

Haereditas Deo tribuitur, dum de populo et terra Iſrael dicitur, quod ſit *haereditas Domini*; eaque loquutione amor ipſius, et ſingularis cura ac providentia exprimitur. Deut. *XXXII.* 9. *Pars autem Domini populus eius; Iacob funiculus haereditatis eius.* Hebr. I. 2. Chriſtus dicitur *haeres univerſorum*, quia omnia ipſi a Patre ſuo tradita ſunt.

Liber Deo tribuitur, quo adcuratiſſima eius ſcientia ac providentia denotatur. *De libro vitae deleri* vide ſupra.

Oleum Deo tribuitur, quo Spiritus S. cum ſuis donis intelligitur. Pſal. XLIV. 8. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae conſortibus tuis* i. e. Spiritus S. donis, quae animam laetificant, cumulavit te. Nota. de hac particula *propterea* videtur eſſe difficultas. Hic *propterea*, inquit Muiſius, non praemium iuſte adminiſtrati regni, ſed cauſam finalem ſignificat: q. d. *propterea unxit te*, ut diligeres iuſtitiam.

Sigillum ſive annulus signatorius tribuitur Deo, quo ſingularis eius amor et cura ſignificatur. Ierem. XXII. 24. *Quia ſi fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum* h. e. tametſi mihi chariſſimus fuerit, tamen abiiciam illum ob eius facinora. Agg. II. 24. *ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi* i. e. curabo te, amore in te conquieſcam, te quaſi in manibus, oculisque ſemper feram. Hebr. I. 3. Chriſtus dicitur *character ſubſtantiae Dei*, quia Pater totam ſuam ſubſtantiam ſeu eſſentiam et maieſtatem Filio, quem ab aeterno genuit, intime quaſi inſculpſit, et ſe

ipſum

ipſum in eo, ut ſit ſubſtantialis imago eius, quaſi effigiavit.

Thesauri Deo tribuuntur idque tum in *bonum*, tum *in malum*, prout ex contextu et ſubſtrata materia colligitur. *Producere ventos de theſauris ſuis* dicitur Deus Pſal. CXXXIV. 7. quo loquendi modo non ſolum occulto ventorum origo declaratur, verum etiam, quod Deus eos in poteſtate habeat, atque ubi, et quando vult, pro beneplacito ſuo laxet. Vide etiam Iob. *XXXVIII.* 22.

Vestitus Deo tribuitur, de quo vide ſupra cap. VII. Phraſes ductae ſunt a veſtimentis Orientalium; quum enim veſtimenta Orientalium ſint oblongae, ſinuoſae, et ad talos usque defluentes, niſi quis ſe praecingat, impedimento ſunt ad res agendas; unde hebraei illud vocant cingulum, zonam, baltheum, quod bene adhaeret, et rei bene gerendae inſervit: ideo per *indutum decore*, *praecinctum eſſe fortitudine*, hebraei explicant id, quod nos dicimus per adiectiva: *inſignis*, *praeditus*, *pollens* cet. *Chriſtus indui* dicitur a credentibus, quum per fidem in eorum cordibus habitat. Rom. XIII. 14 *ſed intuimini Dominum I. C.* h. e. habitet in cordibus veſtris Dominus Ieſus.

Virtute ex alto indui dicuntur Apoſtoli Luc. IV. 49 quando accipiunt virtutem Spiritus S. in eos ſupervenientes, ut explicatur act. I. 8. Et loquutione contraria, *induere hominem* Spiritus Dei dicitur, quum potenter in eo et per eum loquitur et operatur. Iud. VI. 34. *Spiritus autem Domini induit Gedeonem.*

Virga et baculus Deo et Chriſto tribuitur; vide cap. I. quibus exprimitur Verbum Evangelicum, quo regnum et Eccleſiam ſuam regit Chriſtus. Pſal. XLIV. 7. *Virga directionis*, *virga* ſive *ſceptrum regni tui.* 2.

Ca-



Castigatio et poena. Iob. IX. 34. *auferat a me* (Dominus) *virgam suam* h. e. poenam, seu plagam, ut vertit Paraphrastes Chaldaeus. Ist. X. 5. Assur dicitur *virga furoris Dei*, quia per eum, tanquam per virgam, populum suum castigaturus erat.

§. VI.

De Metaphoris, quibus ut personae proponuntur, quae non sunt.

Hoc loquendi genus *προσωποποιΐαν* vocant, qua metaphora res quaelibet, quae persona non est, ut persona proponitur: sive ut Aristoteles loquitur, *quum res inanimae inducuntur agentes, tanquam anima et sensu praeditae.* Tropus ille, cuius mira est sublimitas et *ἐνέργεια*, non solum apud profanos Authores frequens occurrit, ut apud Virgilium l. VIII. Aeneid. *pontem indignatus Araxes*, verum etiam apud scriptores sacros. Sic

I. *Membris quibusdam humani corporis tribuitur, quod ipsius hominis est.* Genes. *XLVIII* 14. *Qui* (Iacob) *extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat;* (atque ita) שִׂכֵּל יָדָיו *intelligere fecit manus suas*, i. e. scite, consulto direxit manus suas. Vulg. sensum, non vim metaphorae expressit. Sic Ps. *XXXIV.* 10. et Ps. L. 10 *ossa* ponuntur pro homine. Ps. *LXVII.* 32. *Aethiopia* תָּרִיץ *currere faciet* Vulg. *praeveniet manus eius Deo* i. e. celeriter extendet manus suas ad orandum Deum, ut Chald. interpretatur, nam adorationis signum est manuum extensio: vel *manus* per metonymiam pro *dono, munere*; *praeveniet* i. e. cito transmittet munera sua. Psal. *LXXII.* 9. *posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum*

rum transivit in terra: i. impune in Deum et sanctos eius blasphemias eructant, ac in homines iniurias, omnes adloquuntur contemtim. To *transivit* est verbum detractoribus aptum, quia perpetuo huc et illuc obambulant, quum explorandi, tum deferendi gratia. Psal. CXXXVI. 5. *Si oblitus fuero tui Ierusalem*, תִּשְׁכַּח *oblivifcatur dextera mea*: Iuramentum: prius nequeam uti dextera mea, qua adtentavero pulsare fides, protinus obstupescat, quam ut illa utar hic iussu hostium Dei. Iuxta hebraeum *oblivifcatur dextera mea artis psallendi seu pulsandi. LXX* ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου. Vulg. *oblivioni detur dextera mea*, pro תִּשְׁכַּח in voce activa, legerunt תִּשָּׁכַח in passiva. Prov. X. 32. *Labia iusti* יֵדְעוּן *sciunt* Vulg. *considerant placita, et os impiorum perversa* h. e. labia iusti prudenter loquuntur, quasi scientia pollerent. Vide etiam Matth. VI. 3.

Huc pertinet, quum oculis tribuitur 1. *concupiscentia* sive desiderium. III Reg. *XX. 6. omne desiderium oculorum tuorum ponent in manibus suis et auferant*, i. e. quidquid tibi placet. Heinc dicitur *cor sequi*, vel *abire post oculos*, h. e. sequi desideria et cupiditates, quas oculi externis obiectis moti, excitare solent in corde. 2. *Offensiones* sive abominationes. Ezech. *XX.* 7. Et dixi ad eos: unusquisque offensiones vel abominationes *oculorum suorum abiiciat*: h. e. unusquisque abiiciat idola, in quae continuo offendunt oculi eius. 3. *Adulterium.* II. Pet. II. 14. *oculos habentes plenos adulterii.*

II. *Quae homini propria sunt, brutis et rebus inanimatis adtribuuntur;* sic sermo Iob. *XII.* 7. *Interroga iumenta, et docebunt te; et volatilia coeli, et indicabunt tibi:* et seq. Huc pertinet vox *filius*, de qua infra. Vide Exod. *XXIX.* 1. Gen. *XLIX.* 11. Zach. *IX.* 9. ubi *filius*, de bestiis usurpatur, et pullum seu foetum animalis significat. Psal.

XVIII. ℣. 2. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat ſcientiam.* Nota ſynonyma: *eructare verbum, et indicare ſcientiam* pro docere, argumenta praebere: inter caetera argumenta divinae exiſtentiae et Providentiae eſt ille perpetuus dierum noctiumque ordo; ideo poetico quaſi artificio fingit propheta, unum diem peracto curſu et praedicatione ſua tradere diei ſequenti verbum praedicationis, et noctem quoque peracto curſu, et quaſi hymno cantato, tradere nocti ſequenti munus canendi.

III. *Naſcentibus ex terra per proſopopoeian tribuuntur, quae hominibus tantum competunt.* Sic Lev. XIX. 23. arboribus praeputium tribuitur: *Et quum ingreſſi fueritis terram hanc, et plantaveritis omnem arborem cibi, praeputiabitis praeputium eius*, (nempe) *fructum eius*: *tribus annis erunt vobis praeputiatae* (illae arbores) *non comedetur* (ex eis fructus) tribus ergo annis arbores iſtae inmundae quaſi fuerunt, et ab earum eſu abſtinere debuerunt hebraei. Iisdem arboribus tribuitur *ſpes*, *ſenectus*, *mors*, *odoratus aquarum* Iob. XIV. 7. 8. 9. Terrae naſcentia *occidi* et *mori* dicuntur Pſal. LXXVII. 47. Econtrario I. Cor. XV. 36. Semini in terram proiecto *vivificatio* adſignatur. Pſal. LVII. 10. *Priusquam intelligerent*, vel *intelligant ſpinae veſtrae rhamnum: ſicut viventem*, LXX *viventes*; *ſic* (in) *ira abſorbet eos:* in Iudaea eſt quoddam genus ſpinae, quod producit grana nigra, quando ſunt matura, ſicut noſtri iuniperi: conſiſtit autem metaphora in hoc: ut iſti homines, qui ſunt verae ſpinae, evellantur, antequam producant grana, i. e. antequam poſſint maturare ſuam impietatem, et bonis nocere.

Mortui ſaepe, quaſi viverent, inducuntur loquentes: ſanguis Abel Gen. IV. Rachel plorans filios ſuos

Ierem.

Ierem. XXXI. ob populum in captivitatem abductum. Quae prophetia ad exprimendum infanticidium Herodianum, ob convenientiam tum loci, tum facti a Matth. II. adlegatur.

IV. *Aliis rebus inanimatis adfinguntur, quae animatis competunt.* Sic

Anima, Os inferno ſeu ſepulchro Iſ. V. 14. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, et aperuit os ſuum absque termino.* S. Hieron. in h. l. ait: *Infernus animam habere dicitur, non quod animal ſit, iuxta errorem quorumdam, ſed quod verbis humanae conſuetudinis, rerum inſenſibilium exprimamus adfectum: quod inſatiabilis ſit, et nunquam mortuorum multitudine impleatur.*

Auditus lapidi. Ioſ. XXIV. 27. *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quae loquutus eſt vobis.* Oſe. II. coelo, terrae, tritico et oleo exaudiendi facultas tribuitur. *Et erit in die illa: exaudiam, dicit Dominus, exaudiam coelos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum et vinum et oleum, et haec exaudient Iezrael.* Praeter gratioſam Dei benedictionem, cauſae primae, et ſecundarum connexio hac proſopopoeia pulchre innuitur. *Iezrael* (h. e. ſemen Dei, coetus piorum) invocat ſive exſpectat abundantiam frumenti, vini et olei: haec invocant terram, ut ſuccum et vigorem ab ea accipiant. Terra inclamat coelum, calorem, rorem, pluviam cet. expetens: et coelum quaſi Deum invocat, ſine quo nihil cauſae ſecundae efficere poſſunt, et quo volente et puniente *coelum ſit aeneum et terra ferrea*: exaudit autem Deus coelum, vim ei conferens, ut ex collectis vaporibus nubes conficere poſſit: et *coelum exaudit terram*, dando pluviam, aliaque ad fructus producendos neceſſaria: *terra exaudit triticum,*

 dum

dum a coelo irrigata ſuccum et vigorem tribuit: et *baec* denique *exaudiunt Iezrael*, i. e. votis piorum reſpondent.

Cantus Iob. XXXVIII. 7. ־בְּרָן *quum cantarent ſimul aſtra matutina* i. e. ſtellae iam recenter creatae, adquae etſi inanimatae Deum laudare dicuntur, quia admirabili ſuo ſplendore et pulchritudine gloriam factoris ſui velut canunt et praedicant: qua loquutione ſingularis Dei potentia commendatur. Ierem. LI. 48. וְרִנְּנוּ *et cantabunt* Vulg. *laudabunt ſuper Babylonem coeli et terra, et omnia, quae in eis ſunt*, qua proſopopoeia hyperbolica innuitur laetitiae inmenſitas ob regnum Babylonicum deſtructum, et liberatum populum Iſraeliticum Vide Iſ. LV. 12.

Clamor Iob. XXXI. 38. *Si adverſum me terra mea clamat, et cum ipſa ſulci eius deflent* i. e. ſi non iure poſſideo terram, quam occupo; ſed adverſum me alium dominum clamet: et ſi coegi agricolas arare terram ſine iuſta mercede, prout ſequitur ℣. 39. *Si fructus eius comedi absque pecunia* i. e. iuſta mercede aut pretio agricolis non reddito: eſt metonymia.

Cogitatio tribuitur navi Ion. I. 4. *Et facta eſt tempeſtas magna in mari*, et navis חִשְּׁבָה *cogitabat frangi* Vulg. *periclitabatur conteri* h. e. minabatur iacturam, parum aberat, quin frangeretur.

Cognitio Pſal. CII. 16 quoniam ſpiritus tranſibit in illo, et non ſubſiſtet, et non יַכִּירֶנּוּ *cognoſcet eum* (hominem) *amplius* מְקוֹמוֹ *locus eius* h. e. non exiſtet amplius homo in loco ſuo, imo et memoria eius peribit. *Spiritus* hic eſt ventus; comparavit enim hominem cum herba et cum flore, qui vento orientali aduſtus ſtatim

flac-

flaccescit; sic cum homine agitur, qui morbo facile corripitur et extinguitur. Psal. CIII. 19. *Sol cognovit occasum suum* i. e. recta et absque ullo errore, quasi viam nosceret, statis temporibus ad occasum pergit. Soli etiam tribuitur aspectus Cant. I. 5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia* שֶׁזְּפַתְנִי *aspexit me sol* h. e. *decoloravit me*, ut optime Vulg. Aq. *adussit me.*

Dolor tribuitur agro IV. Reg. III. 19. *omnem agrum egregium* תַּכְאִיבוּ *dolore adficietis lapidibus* illuc comportatis. Vulg. optime sensum reddidit: *operietis lapidibus LXX* ἀχρειώσετε *inutilem reddetis*, sensum, non verbum expressere.

Exsultatio Psal. LXIV. 13. *exsultatione colles accingentur; induta sunt* כָרִים *pascua ovibus, et valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent.* Hac metaphora significatur abundantia singularis, quae ex Dei benedictione provenit. Supra iam memini: accingi aliqua re, idem est, ac praeditum esse: sic latine vocamus laetos colles, prata rident: sensus ergo est: frugum amoenitate et florum oculos oblectabunt. Pro *induta sunt pascua ovibus* LXX verterunt: ἐνεδύσαντο οἱ κριοὶ τῶν προβάτων Vulg. *induti sunt arietes ovium*: campi videntur induti ovibus, i. e. lanarum copia, ex quibus conficiuntur vestes: erant nempe plurimae oves, quae operiebant campos.

Luctus tribuitur terrae Is. XXIV. 4. *luxit et defluxit terra et infirmata est.* Hic de terra vastata et desolata, uti de homine aegroto et lugente, loquitur Vates. Thren. I. 4. *Viae Sion lugent eo, quod non sint, qui veniant ad solemnitatem;* qua prosopopoeia cultus Dei desertissimus innuitur. Is. III. 26. *Et moerebunt atque lugebunt portae eius, et desolata in terra sedebit.* Quae me-

 tapho-



taphora desumta est ab usu lugentium, qui solebant in terra sedere.

Nuditas, qua loca infirmiora, non munita significantur. Gen. XLII. 12. *Nuditatem terrae considerare venistis.* Optime Vulg. *immunita terrae huius.*

Os terrae Gen. IV. 11 *nunc igitur maledictus eris super terram, quae aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui.* Hac metaphora scelus Caini exaggeratur, quasi diceret Deus: terra ipsa scelus tuum execrata, ore aperto sanguinem fratris tuis suscepit, ne cum horrore aspectui hominum pateret: quapropter eam ubique infensam tibi experieris.

Palpebrae aurorae, quibus intelliguntur radii diluculi, seu primus splendor radiorum ab exorituro sole adsurgentium. Sumta est metaphora vel ab homine, qui, quum expergiscitur, palpebras adtollit; vel a celeri motu et vibratione palpebrarum; quia radii diluculi iugiter et tremulo quasi motu moventur, donec ad extrema orbis diffundantur. Iob. III. 9. *Expectet lucem* (nox illa) *et non* (veniat) *et non videat* בְעַפְעַפֵּי־שָׁחַר *palpebras aurorae.* Vulg. *expectet lucem et non videat, nec ortum surgentis aurorae.* Vide etiam c. XLI. 9. ubi eaedem voces עַפְעַפֵּי־ שָׁחַר a Vulg. redduntur *palpebrae aurorae.*

Plausus manuum tribuitur fluminibus Ps. XCVII. 8. *flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit iudicare terram.* Haec per prosopopoeiam inanimatis creaturis adfinguntur, ad excitandum in hominibus advenientis Domini desiderium. Is. LV. 12. *Montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu.* Hac metaphora laetitia spiritualis in regno Christi figuratur.

Pugna

Pugna ſtellis Iud. V. 20. *De coelo pugnatum eſt, ſtellae* מִמְּסִלּוֹתָם. *ex elevationibus ſuis pugnaverunt.* Translata eſt haec metaphora a militibus ex editiore loco pugnantibus. Vulg. *In ordine et curſu ſuo manentes pugnaverunt cum Siſara*, i. e. adverſus Siſaram. Stellae autem eo loci pugnaſſe dicuntur, quia grandinum et procellarum demiſſarum (his enim uſum fuiſſe Deum ſcribit Ioſephus l. V. antiqq. cap. VI.) inſtrumenta fuere.

Visio et timor aquis. Pſal. *LXXVI.* 17. *Viderunt te aquae, Deus: viderunt te aquae et timuerunt;* qua proſopopoeia innuitur maxima Dei potentia. *Viderunt*, i. e. expertae ſunt potentiam tuam, quum ſcil. vento valido et urente ſciſſae ſunt, et fundum maris nudum oſtenderunt: *timuerunt* vero, quum ad nutum tuum, trepidantium inſtar, de loco ſuo fugerunt, et praeter naturam ſuam inſtar muri hinc inde conſtiterunt. Vide Exod. *XIV.*

Dicitur etiam terra *evomere habitatores ſuos*, quo eorumdem ex ea propter ſceleratam vitam, expulſio a Deo facta intelligitur. Lev. *XVIII.* 25. *Cuius ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos.*

IV. Sunt etiam quaedam nomina et verba, quae per proſopopoeiam inanimatis tribuuntur. Qualia ſunt *Filius*, *filia*, de quibus vide infra in hebraiſmis periphraſticis. *Lingua* ob ſimilitudinem quamdam tribuitur *igni*, unde etiam ignis combuſtionis materiam dicitur *lambere*, *comedere*, *devorare.* Porro *lingua* etiam mari tribuitur, qua ſignificatur ſinus eiusdem in terram excurrens. *Matris* vox viae tribuitur, eaque bivium ſignificatur, q. d. principium, ex quo duae viae naſcuntur. Ezech. *XXI.* 26. *Stetit enim Rex Babylonis* אֶל־אֵם הַדֶּרֶךְ *ad ma-*



trem vel *in matre viae.* Vulg. optime, *in bivio*; ſequitur enim *in capite duarum viarum.*

Abire dicitur panis I Reg. IX. 7 *panis abiit de vaſis noſtris* h. e. ut eleganter interpretatur Vulg. *defecit.*

Clamare dicuntur Civitas, lapis. Iſ. *XIV.* 31. *Ulula porta, clama civitas*; ibi metonymia continentis pro contento, ſive *urbis* pro eius civibus, *portae*, pro iudicibus, qui ad ferenda iudicia in portis convenire ſolent. Iacob. V. 4. *Ecce merces operariorum . . . quae fraudata eſt, clamat.* Qua metaphora gravitas vel peccati vel poenae innuitur.

Comedere ſeu devorare tribuitur igni Lev. *X.* 2. Gladio *II Reg. II.* 26. Nunquid usque in finem תֹּאכַל *comedet gladius.* Vulg. *Num usque ad internecionem tuus mucro deſaeviet.* Terrae ſeu regioni. Num. *XIII.* 33. *Terra, quam luſtravimus, comedit,* Vulg. *devorat habitatores ſuos*, idque vel ſoli conditione, q. d. terra illa duriſſima eſt, ita ut in ea colenda hominum vires conſumantur: vel aeris et loci intemperie, ita ut ſenſus ſit: etſi fertilis terra illa ſit, tamen eſt inſalubris.

Curare, medicari, vivificare dicitur 1. de aedificio I Paral. 11. 8. *Ioab* autem reliqua urbis יְחַיֶּה *vivificavit* Vulg. *exſtruxit.* 2. lapidibus. Nehem. *III.* 34. *Nunquid* יְחַיּוּ *vivificabunt lapides de acervis pulveris?* Vulg. *aedificare poterunt?* Hac loquutione inſtauratio vel aedificatio nova intelligitur.

Sanare dicitur Deus terram, quum benedictionem ipſi, poſt inflictam poenam, iterum impertit. *II* Paral. *VII.* 14. *Et ego exaudiam de coelo, et ſanabo terram eorum. Pſal. LIX.* 4. *commoviſti terram . . . ſana contritiones eius.* Terrae commotio, contritio, ſeditiones et bel-

la

la tum inteſtina, tum ab exteris inlata ſignificat: ubi etiam eſt metonymia continens pro contento i. e. terrae pro eius incolis: et Synecdoche totius pro parte; non enim univerſa terra commota eſt, ſed iudaea ſolum. Sanat Deus contritiones terrae, dum pacem impertit, et bella relegat. Aquas etiam ſanat Deus, dum eas ſalubres reddit. IV. Reg. II. 21.

V. *De regnis, provinciis et civitatibus, ut de ſingulis hominibus, ſcriptura interdum loquitur.* Proſopopoeiae huius ratio eſt, quod homines ſimul conſociati, unum veluti corpus efficiant. Sic de toto populo, ut de homine in genere, i. e. ſive ſit maſculus ſive foemina, in Ss. ſcripturis quandoque ſit ſermo. Iſ. I. 5. *Super quo percutiemini ultra . . . omne caput languidum, et omne cor moerens* ℣. 6 *a planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Hic populi iudaici inſtar unius hominis ad mortem usque percuſſi et lethaliter vulnerati, aegrotantisque, curatione inſuper, et medicamentis deſtituti, caſtigationes enarrantur. Explicatio ℣. ℣. ſeq. ſubiungitur.

De toto populo in ſpecie, ut de viro loquitur ſcriptura, ſed rarius Thren. III. 1. *Ego vir videns paupertatem meam*, vel *adflictionem meam, in virga indignationis eius.* Totus populus hic et in ſeqq. in ſpecie unius viri, calamitates ſuas et perpeſſiones enumerat. Iſ. VII. 20. *In die illa radet Dominus . . . caput et pilos pedum, et barbam univerſam.* Per *caput* principes et magnates; per pedes vero, plebeii homines intelliguntur. Praeterea S. Hieron. comm. in h. l. recte monet, raſione barbae, quae viri decor eſt, et virilitatis indicium, ſignificari, nihil in Iudaea forte et pulchrum remanſu-

 rum



rum; ſed eam effeminatis hominibus, imo ignominioſis mulieribus comparandam.

De toto populo, ut de foemina, ſcriptura ſermonem inſtituit Iſ. XXXII. 9. *Mulieres opulentae ſurgite . . . filiae confidentes percipite auribus, eloquium meum.* Hic per *mulieres*, maiores urbes; per *filias* autem, minores intelliguntur, prout interpretatur Chald. Paraphr. Item Iſ. cit. ℣ 11. *Pavor, tremor, denudatio, cinctura ſuper lumbos* civitatibus tribuitur ob fugam, abductionem et deportationem in captivitatem, ubi rurſus civitates inſtar mulierum proponuntur. Huc pertinet, quum populus iudaicus ut mulier perfida et adultera deſcribitur. Ierem. III. 1. 3. 4. IV. 30. Ezech. VI. et XXIII. cet. Deus enim rempublicam iudaicam quaſi in uxorem ſibi acceperat; quare quum ab Eo receſſit, ut idola coleret, adulterae nomine donata eſt; adulteria enim et ſcortationes ſpirituales, quas per prophetas ſuos tam ſaepe reprehendit, et deteſtatur Deus, idololatria ſunt, et graviora peccata.

Matris nomen civitati primariae tribuitur, ex qua aliae quaſi natae et productae ſunt, quaeque idcirco בָּנוֹת *filiae* eius adpellantur. II. Reg. XX. 19. *Et tu quaeris ſubvertere civitatem, et evertere matrem in Iſrael.* i. e. metropolim. Eodem *matris* nomine inſignitur respublica iudaica Iſ. L. 1. *Haec dicit Dominus: quis eſt hic liber repudii matris veſtrae, quo dimiſi eam.* Huc pertinet Ezech. XXIII. 2. *Fili hominis, duae mulieres* (Iſrael et Iuda) *filiae matris unius* (reipublicae iudaicae) *fuerunt.* ℣ 3. *et fornicatae ſunt in Aegypto* cet. Hic respublica iudaica dicitur mater ratione duorum regnorum Iſraelis et Iudae, quae cum filiabus comparantur.

Filiae

Filiae et Virginis nomen non raro toti populo vel civitati *diviſim* vel *coniunctim* tribuitur. Pſ. CXXXIV. 8. *Filia Babylonis miſera*, i. e. populus ſive regnum Babylonicum. *Filia Sion*, *Filia Iudae*, *Filia Ieruſalem* frequenter occurrunt, et innuunt populum iudaicum. Pſal. XLIV. 13. *Filiae Tyri*, Tyrii cum ſuis urbibus et caſtellis. Pſal. IX. 15. *In portis filiae Sion*, filia Sion eſt Ieruſalem, quae eſt ſubiecta arci Sion: portae vero filiae Sion ſunt non ſolum ipſa civitas per ſynecdochen partis, ſed totum imperium Ieroſolymitanum. Ducta eſt metaphora ab urbium portis, in quibus iudicia et conſultationes exercebantur, ad quae frequens erat populorum concurſus. Portae igitur ſumuntur pro magiſtratu, ſeu portis iudicii: ut eſt illud: *nobilis in portis vir eius*. Sic *portae inferi*, regnum diaboli, *porta ottomannica* turcarum regnum.

Quur populus Iſraeliticus adpelletur *virgo?* varias adferunt rationes, quae minus ſolidae videntur Eruditis. Quod enim ait S. Hieron. comm. in cap. XXXVII. Iſ. Sion et Ieruſalem ideo virginem et filiam adpellari, quod *cunctis gentibus ſimulacra adorantibus hominum mortuorum*, *haec ſola conſervet caſtitatem religionis Dei*, *et unius divinitatis cultum*, illud non videtur ſtare cum Amos V. 2. et Ierem. XVIII. 13. ubi Iſrael adpellatur *Virgo*, quum idola coleret. Praeterea Babylon et Aegyptus Iſ. XLVII. 1. Ierem. XLVI. 11 *virgines* vocantur, quae tamen plenae erant idololatria, et impietate. Druſius lib. XVI. obſerv. cap. 5. putat *virginem* dici populum Iſraeliticum ante captivitatem, qui virgo eſſe deſierit, quum iam exterorum iugum ſubiiſſet: at expoſitionem illam peſſumdat locus Thren. II. 13. ubi idem ille populus *virgo filia Sion* poſt babylonicam devaſtationem adpellatur.

Vox



Vox itaque *Virginis* pro coetu hominum, quacunque ratione se habeat, per prosopopoeiam accipienda est: unde Chald his in locis vel *coetum*, vel *populum*, vel *regnum* interpretatur. Ea autem usurpata videtur ob pulchritudinem, ornatum cet. maxime si de urbe, aut regno praestanti sit sermo. Quod aut בַּת *filia* et בְּתוּלַת *virgo* in regimine ponantur, id fit vel enallage status constructi pro absoluto positi: itaque *filia Israelis* est pro *filia Israel*; vel quum adiicitur nomen loci, ut *filia Sionis*, *filia Ierusalem*, *filia Tyri* cet. Vox *filia* populum vel incolas significat.

§. VII.

Hebraismi seu Phrases a coelo, stellis, luce derivatae.

Sol et luna indesinenter splendentes aeternam beatitudinem in coelis denotant. Is. LX. 20. *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non deficiet:* sequitur explicatio *quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam* cet. Econtrario solis occasus et obscuratio, calamitates, moerorem et aerumnas significat. Ierem. XV. 9. *Infirmata est, quae peperit septem* (i. e. multos) *defecit anima eius, occidit ei sol, quum adhuc esset dies* Amos VIII. 9. *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis:* i. e. plagis et calamitatibus repentinis obruam.

Stellarum nomine significantur 1. Viri inlustres et praecipui. Dan. *VIII.* 10. *Et magnificatum est* (cornu illud parvum, nempe Antiochus) *usque ad exercitum coeli*, Vulg. *fortitudinem coeli.* (i. e. populum iudaicum) *et deiecit in terram de fortitudine, et de stellis* (i. e. principibus, virisque inter caeteros inlustrioribus) *et con-*

cul-

culcavit eas. 2. Doctores et Ecclesiarum Praesides. Apocal. I. 16. *Et habebat* (Christus) *in dextera sua stellas septem.* Sequitur explicatio ℣. 20. Sicut enim stellas posuit Deus in firmamento coeli, ut lucerent super terram: ita posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Stellarum, sicut solis et lunae, obscuratione interdum calamitates significantur. Il. *XIII.* 10. *Quoniam stellae coeli, et splendor earum, non expandent lumen suum obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Hoc in cap. agitur de ingenti Babyloniorum per Medos vastatione. Il. XIV. 12. Rex Babylonis, cuius repentinus casus et ruina describitur, *lucifer* sive stella matutina, ob pristinum eius splendorem adpellatur. *Quomodo cecidisti de coelo lucifer, fili aurorae,* vel ut Vulg. interpretatur, *qui mane oriebaris.*

Lux in genere accipitur pro ipsa vita. Iob. III. 20. *quare misero data est lux* i. e. vita. Unde phrases: *videre lucem, ambulare in luce viventium,* quae *vivere* significant. 2. Pro quavis prosperitate. Esth. VIII. 16. *Iudaeis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium.* Hac synonymorum congerie prosperitatis et laetitiae iudaeorum abundantia significatur.

3. Pro gratia et benevolentia. Prov. XVI. 15. בְּאוֹר *in luce vultus regis vita est;* sequitur explicatio: *et benevolentia eius veluti nubes serotinae pluviae.* Metonymia signati: Est vitae nuncius; confert spem vitae, potissimum ei, cui irascebatur; et quemadmodum *imber serotinus* seu autumnalis, qui post magnos calores decidit, et maturandae messi vindemiaeque aptissimus est, dat refocillationem. Huc pertinet illud. Psal. XII. 4. *Illumina oculos meos:* haec phrasis sumta est a languentibus et morituris, quorum obtenebrantur oculi; uti est historia

ſtoria de Ionatha I Reg, *XIV.* ubi comeſto melle inluminati ſunt oculi Ionathae, i. e. levata eſt fames et deficientia: ita hic: *inlumina oculos meos* i. e. leva animam meam moerore et languore, refocilla me auxilio: ſicut ergo caecitas pro maximo corporis malo habetur, atque inde ad denotandam maximam calamitatem transfertur Thren. V. 17. ita propheta rogat ſe a maximis calamitatibus liberari.

Luci opponitur Umbra, qua ſignificatur praeſidium contra omnis generis adverſa, ſicut umbra contra ſolis aeſtum tuetur. Iſ. XXX. 2. *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Aegypti.* ℣. 3. *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, et fiducia umbrae Aegypti in ignominiam.* Pſaltes volens exprimere amplitudinem et robur populi Iſraelitici, hac emphatica utitur loquutione Pſ. *LXXIX.* 11 *operti ſunt montes umbra eius* (vitis, populi Iſrael) ſignat adeo excreviſſe vitem hanc (populum) ut montes operirentur; quatenus maximas gentes gloria ſua et potentia obſcuravit, et ſuper eas excelluit. *Umbra mortis* ſignificat in ſcriptura locum tenebricoſum et periculoſum, ſicut eſt mors ipſa, et ſignificatur ſummum periculum. Alias etiam in bonum ſumitur umbra: ſic: *ſub umbra alarum tuarum* i. e. divinae tuae protectionis, *ſperabo.*

Tenebrae et caligo, quae cum rerum omnium pulchritudinem et nitorem occultent, nonniſi mali notitiam et ſignificationem in ſ. ſcriptura offerunt. Sic 1. mors ſimpliciter Job. XX. 21 *ad terram caliginis.* 2. quaevis mala, et exinde orta maeſtitia, luctus, moeror. Job XV. 22. *Non credit* (impius) *quod reverti poſſit de tenebris ad lucem* i. e. de adverſa fortuna ad proſperam. 3. Occultum, ſecretum, incognitum. Job. *XII.* 22. *Qui reve-*

revelat profunda de tenebris h. e. de occultis abditissima quaeque conspicua reddit: seu homines, qui despecti iacuerant, extrahit ad lucem, seu statum splendidum.

4. Errores, mendacia, et perversitates doctrinae. Is. V. 20. *Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras in lucem, et lucem in tenebras*, i. e. quibus error pro veritate, et veritas pro errore habetur. 5. Infidelitas et peccatorum studium, quae ex erroribus cet. oriuntur. Psal. LXXXI. 5. *Nescierunt, neque intellexerunt in tenebris* (infidelitatis vel peccatorum) *ambulant.* 6. Denique mors aeterna sive damnatio. Matth. *VIII.* 12. *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Haec tenebrarum exteriorum metaphora desumitur ex aula, in qua veteres vespere convivia agitare solebant, quamque multis facibus adcensis inluminabant. Quare, qui ex ea eiiciebantur, in tenebras exteriores proiici dicebantur. Heinc diabolus, quum sit omnium horumce malorum auctor, vocatur *potestas tenebrarum* Luc. *XXII.* 53.

§. VIII.

Hebraismi a tempore derivati.

I. Dies adcipitur pro tempore opportuno. *I* Reg. XXV. 8. *Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis; in die enim bona venimus*, i. e. commode, opportune. 2. Pro cognitione Dei et tempore gratiae. Rom. *XIII.* 12. *Nox praecessit* (i. e. infidelitas, peccatum) *dies autem adpropinquavit* h. e. fides et gratia. *II.* Petri *I.* 19. *Donec illucescat dies, et Lucifer oriatur in cordibus vestris.* h. e. donec Christus mentes vestras plenissima luce conlustret. 3. Pro vita. Psal. *LIV.* 24. *Non dimidiabunt*

dies

dies suos i. e. inmatura morte morientur. Obscurus adparet locus Ps. LV. 4. *Ab altitudine diei timebo.* Est hic hebraismus interpunctionis: nam illud *ab altitudine* spectat ad priorem versum, sic: *multi bellantes adversum me ab altitudine* i. e. ab alto seu coelo: hic autem bene nota, quod verbum *bellandi* in hebr. constructum cum ל significet bellare *pro*, non *contra*. Dein incipit novus versus: *diei timebo*, i. e. quacumque die timuero, Deum invocabo. Insistendo autem interpunctioni vulgatae ita exponunt: tot mihi struuntur insidiae, ut etiam ab altitudine diei i. e. clara luce mihi timeam seu etiam in meridie.

Partes diei sunt tempus *matutinum*, *meridianum* et *vespertinum.* To *mane* semper adtentionem et diligentiam importat; quae enim nobis curae sunt, ea diluculo surgentes peragimus. Ps. V. 3. *mane exaudies vocem meam*: ad res gerendas opportunissimum censetur tempus matutinum; et latini tempestivum vocant, quod opportunum est, quo circa *mane* pro tempestivo; alias sequeretur Deum neque vesperi orandum esse nec vespere audire, quando dicit: *adiuvabat eam Deus mane diluculo.* Psaltes per to *mane* et *vespere* totum vitae humanae spatium complectitur Ps. *LXXXIX. 6 mane* significat iuventutem et adolescentiam: vespera innuit inminentem senectutem. Psal. *LXXII.* 14. *Et castigatio mea in matutinis* i. e. quotidie, quovis mane. Per *matutinum* Patres communiter intelligunt futuram resurrectionem Psal. *XLVIII.* 15. *Et dominabuntur iusti eorum in matutino*: sicut enim mane oriente sole totus mundus quasi renovatur, et ad vitam redit: sic et in resurrectione futura. Psal. *LIV.* 9. *Exitus matutini et vespere delectabis*: i. e. totius vitae actiones delectabis: sic *exitus* et *introitus* pro omnibus hominis actionibus. *II* Reg. *II.* 25. Videtur hoc loco esse elli-

psis

psis ex voce contraria eruenda: *Egressus matutini* supple temporis, *et* (ingressus) *vespere* i. e. vespertinos *delectabis*: i. e. homines mane egredientes ad laborem, et vespere domum ingredientes seu regredientes ad quietem delectabis.

Aurora, qua significatur 1. subitaneus rei cuiuslibet ortus; sol enim in aurora primum oriens, radiorum quasi primitias puncto temporis emittit. Is. XLVII. 11. *Et veniet super te malum, et nescies auroram eius.* Vulg. *ortum eius* i. e. adventum eius repentinum non cognosces: vide seq. ẏ. 2. Gratia divina, ob exortae lucis pulchritudinem et suavitatem. Is. VIII. 20. *Ad legem et testimonium* (recurrendum, non ad Pythones et divinos) *si non dixerint* (faciendum) *secundum verbum hoc*, אֵין־לוֹ שָׁחַר *non erit illi* (unicuique illorum) *aurora* i. e. gratia, et quod ex ea sequitur, solatium. In hac expositione negligitur vox אֲשֶׁר quam etiam omisit Vulg. nec male; interdum enim abundat. Alii hunc locum ita explicant: *Ad legem magis et ad testimonium* (recurrendum, quam ad Pythones) *sin minus* (i. si aliter sentiant improbi, et ad Pythones recurrendum contendant) *loquantur*, h. e. agant (concessio ironica cum indignatione coniuncta) *secundum verbum hoc* (Pythonum) *cui non est aurora*, i. e. solatium; sed calamitas, miseria cet ut sequitur ẏẏ. 21. 22.

Meridies significat 1. res evidentissimas. Deut. XXVIII. 28. *Percutiat te Dominus amentia et coecitate et furore mentis.* 20 *et palpes in meridie, sicut palpare solet coecus in tenebris.* 2. *felicitatem. Iob. XI.* 27. וּמִצָּהֳרַיִם יָקוּם חָלֶד תָּעֻפָה כַּבֹּקֶר תִּהְיֶה *et prae meridie surget tempus, splendebis et sicut mane eris.* Meridies non raro pro prosper-

P rimo



rimo rerum ſtatu eſt. Maxima felicitate *maior adhuc tibi obtinget.* Vulg. eundem ſenſum reddidit, ſed *παραφραστικῶς et quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam, et quum te conſumtum putaveris, orieris ut Lucifer.* Aut חֶלֶד *cāligo* ſeu *occidens* (prout ea vox ſumitur a S. Hieron. Aq. et Symm.) i. e. veſpera vitae tuae, nempe ſenium tuum prae meridie inluminabitur, maxime proſperabitur. תָּעֻפָה *obſcuraberis*, in miſeriis maximis poſitus eris *ſicut mane*; ſumme adflicto ſtatim aderit felicitas. Pſal. XXXVI. 6. *Educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, et iudicium tuum quaſi meridiem* i. quum inique fueris oppreſſus aut accuſatus, faciet, ut omnibus innoteſcat iuſtitia tua.

Vespera matutino tempori opponitur, quum de viciſſitudine calamitatum et conſolationum agitur. Pſal. XXIX. 6. *Ad veſperam demorábitur fletus, et ad matutinum laetitia*: h. e. in calamitatibus et miſeriis fletus eſt; ſed ſtatim ſuccedit proſperitas, quae adfert laetitiam.

Nox, quae diei opponitur, eodem fere modo adcipitur, quo tenebrae, ſignificat calamitates, miſerias. Iob. XVII. 12. לַיְלָה לְיוֹם יָשִׂימוּ אוֹר קָרוֹב מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ *noctem pro die poſuerunt* (mihi ſocii mei, vel cogitationes meae, h. e. fecerunt ut dies, qua mihi quietem et a malis relaxationem pollicebar, verteretur in noctem h. e. ut calamitas pro felicitate mihi contingeret, quod in ſequenti hemiſtichio aliis et inverſis verbis repetitur) *lucem propinquam a facie tenebrarum*, repete ex praecedenti hemiſtichio *poſuerunt*, h. e. fecerunt, ut lux propinqua ſeu vicina eſſet tenebris, i. e. ut lucem ſtatim ſequerentur tenebrae, atque ita calamitas calamitati continuo ſuccederet. P. Smitſius in hoc verſiculo vult eſſe mimeſin, qua figura in ſcriptura vix ulla frequentior,



tior, et fupplendum verbum *dico*, ut fenfus fit: *dico de nocte*: *lux adfit potius*, *quam tenebrae*. Graviter adflictis et infomnibus dies prae nocte tolerabilior eft. Pfal. LIV. 6. *et contexerunt me tenebrae*, graviffima mortis pericula me circumdant. Pfal. CXI. 4. *Exortum eft in tenebris lumen rectis*: tenebrae ficut calamitatem, ita lumen notat levamen, iuxta illud Ieremiae: *me minavit et adduxit in tenebras et non in lucem*: lumen porro illud, quod iuftis inter miferiae et adflictionum tenebras oritur, eft Deus mifericors, atque inter calamitates confolatio et auxilium. Per *tenebras* Pfaltes etiam captivitatem exprimit Pfal. CVI. 10. *Sedentes in tenebris et umbra mortis*, *in mendicitate et ferro* i. e. in carcere ad mortem vincti: *in mendicitate* i. e. mifere. Hac allegoria propheta miferias fuas exprimit, defumta ab iis, qui carceris fqualore, inedia, dirisque vinculis et laboribus exprimuntur.

§. IX.

Metaphorae ab igne derivatae.

Ignis ob claritatem, puritatem, fplendorem et alia eius adtributa varia fignificat. 1. Verbum Evangelicum Luc. XII. 49. *Ignem veni mittere in terram* i. e. verbum Evangelii, ut interpretatur Theophilactus, quod mentes inluminat, et corda adcendit: unde Spiritus S. in ignis fymbolo adparet Act. II. 3. incredulos abfumit, perdit.

2. *Ignis* Symbolum eft punitionis et excidii hoftibus Dei, aut populo, regibusque Iudae impiis praeparati. Pfal. XLIX. 3. *ignis in confpectu eius exardefcet.* Vide Pf. XCVI. 3. Ignis tribuitur etiam aliis, quae terrorem, incommoda, necemque inferunt. Abd. ℣. 18.

Et erit domus Iacob ignis, et domus Iofeph flamma, et domus Efau ftipula: i. e. domus Efau, nempe pofteri Efau ab Ifraelitis devaftabitur, ficut ignis confumit ftipulam.

Phrafis *laborare pro igne*, occurrit Ierem. LI. 58. Significat fruftra omnino laborare, oleum et operam perdere.

3. Ad quaevis adverfa, calamitates, et adflictiones ignis transfertur. Pfal. LXV. 12. *Tranfivimus per ignem et aquam, et eduxifti nos in refrigerium* i. e. varias calamitates experti fumus, quibus nos liberafti. Pfal. XVI. 3. *igne nos examinafti*, metaphora fumta a metallis, quorum certiffima exploratio fit per ignem: calamitatibus enim credentes, ut aurum per ignem, Deus faepe probat et emundat. Aliam fignificationem infinuat nomen *ignis* Pfal. XXXVIII. 3. *In meditatione mea exardefcit ignis*: dicit propheta, fe valde uri hac cogitatione et torqueri, dum videt felicem impiorum ftatum: hunc confiderans tacite dolore et quadam quafi indignatione adficiebatur. Ignis etiam fumitur pro detractione, calumnia. Prov. XVI. 27. *Vir impius fodit malum, et in labiis eius ignis ardefcit*: i. e. data opera machinatur impius, nullumque, ut inveniat nocendi occafiones, laborem recufat, quemadmodum ille, qui aurum effodere ftudet: detractione, calumniis, velut ignis, pacem, famam cet. confumit.

Flamma graviffimas poenas a Deo inflictas fignificat. If. XLVII. 14. *Non liberabunt* (augures) *animam fuam de manu flammae*, i. e. de poenarum violentia, quas fuftinebunt. Flammam ibi metaphorice, non proprie adcipi, probare videntur fequentia: *non funt prunae, quibus calefiant, nec focus, ut fedeant ad eum.* Varius

huius

huius vocis usus in scriptura occurrit. Is. XIII. 8. Babyloniis tribuuntur *facies flammarum* Vulg. *combustae* i. e. rubore maximo suffusae ob cruciatus et dolores, quorum descriptio praecedit. Iud. III. 22. *Tam valide* (sicam in ventrem Eglonis infixit Aod.) *ut capulus sequeretur flammam* h. e. laminam sive *ferrum*, ut interpretatur Vulg. Vid. I. Reg. XVII. 7.

De LUCERNA, CANDELA, LAMPADE plura dicta sunt supra *de hebraismis convivialibus*. Lucernae extinctio ingruentium calamitatum nota est. *Lucernae inluminatio* significat prosperitatem, felicem successum, maxime regni felicitatem, atque regiae dignitatis conservationem. vide II. Reg. XXI. 17. III Reg. XI. 36. Psal. CXXXI. 17. *Paravi lucernam Christo meo*, i. e. filium, successorem: in filiis namque parentes vivunt et lucent; usitatus hebraismus; volentes enim dicere felicitatem, dicunt aliquem habere lucernam adcensam, praesertim loquendo de successione, dicunt non extinguendam lucernam seu gloriam alicuius domus: hoc autem loco ad Christum filium Davidis secundum carnem respicitur. Ioannes Baptista vocatur lucerna *ardens et lucens*, quia *non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*, nempe Christo, qui *erat lux vera*, Ioan. I. 8. 9. Ioannes itaque Christum praecessit, ut lucerna solem aut diem. Quemadmodum autem lucente, vel sole exorto, lampas extinguitur; ita Ioannes, Christo hominibus manifestato, occiditur.

CARBONES IGNITI sive *prunae*, quibus denotantur. 1. graves poenae a Deo inflictae. Psal. CXXXIX. 11. *Cadent super eos* (peccatores) *carbones, in ignem deiiciet eos*; sequitur explicatio: בְּמַהֲמֹרוֹת בַּל־יָקוּמוּ *in foveis non subsistent*. LXX. ἐν ταλαιπωρίαις ὀ μὴ ὑποστῶσιν Vulg.

 lat.



lat. *in miseriis non subsistent:* optime; nam *foveae* eo loci nihil aliud significant, quam miserias.*) 2. *Fulgura*, Ps. XVII. 9. *Carbones succensi sunt ab eo*, i. e. fulgura. 3. *Sagittae*, quae instar ignis penetrant. Psal. LXXV. 4. *Ibi confregit* רִשְׁפֵי־קָשֶׁת *prunas* sive *scintillas arcus*, i. sagittas, sive *potentias*, ut interpretantur LXX et Vulg. lat. Alii *scintillas arcus* hypallagen esse volunt, pro *arcum scintillarum* i. prae nitore scintillantem. 4. *Pestis*, ut quibusdam placet, seu morbus instar carbonis igniti ardens et urens. Deut. XXXII. 24. *Consumti* (erunt) *fame et exesi* רֶשֶׁף *carbone* sive peste, quae saepius cum fame coniungitur. Vulg. *consumentur fame*, *et devorabunt eos aves*. Vox hebraica רֶשֶׁף *avem* etiam significat, prout interpretantur LXX. et Chald. Paraphrastes, qui רֶשֶׁף transtulit עוֹף *avem*. Habacuc III. 5. *Et egredietur* רֶשֶׁף *ante pedes eius*. S. Hieron. *Diabolus*, ubi comm. in h. l. ait: רֶשֶׁף Hebraeis vocari diabolum, qui principatum teneat inter alios. Metaphorice autem eo loci est *pestis*, vel quodlibet exitium. Psal. CXIX. 4. *Sagittae potentis acutae cum carbonibus* רְתָמִים *desolatoriis* per *sagittas* praeter calamitates improvisas, denotantur etiam hic mala linguae dolosae. רְתָמִים Aq. et S. Hieron. hic et

Iob.

*) Vetus interpres graecus vocem hebraicam בְּמַהֲמֹרוֹת reddidit *ἐσπευσμένως festinanter;* alius *μετα πολλου του τάχους cum multa festinatione*. Eam deducebant a verbo מָהַר in Piel *festinavit* Praeterea LXX. Aq. Theod. V. et VI. Edit. nec non S. Hieron. יַפִּילֵם in secunda persona interpretantur; *καταβαλεῖς αὐτούς: deiicies eos*, Aquil. vero *πτωματίσῃς αὐτὸς cadere facies eos:* legerunt תַּפִּילֵם Vel tertiam personam in secundam mutarunt: quod hac enallage sensum commodiorem effici crediderunt.

Iob XXX. 4. vertit *Iuniperorum*, atque ita plerique RR. quia carbones iuniperi diutiſſime durant: per *carbones deſolatorias* ſeu vaſtantes ſimiliter mala graviſſima a Deo aut ab ipſa lingua doloſa provenientia exprimuntur: carbones Iuniperi vehementiſſime perurunt: et ſic etiam lingua doloſa.

5. *Filius unicus* II. Reg. XIV. 7. *Quaerunt extinguere* אֶת־גַּחַלְתִּי *prunam meam*, vel ut Vulg. *ſcintillam meam*, *quae relicta eſt*, h. e. filium meum ſuperſtitem. Sicut enim prunae reconduntur in cinere, ut ſint ſemen ignis: ita unicus iſte filius poterat propagare eius familiae poſteritatem, ne extingueretur: unde ſequitur: *ut non ſit viro meo nomen*, *et reliquiae ſuper terram.*

6. *Beneficentia* hoſti praeſtita. Prov. XXV. 21. *Si eſurierit inimicus tuus*, *ciba illum* . . . *prunas enim congregabis ſuper caput eius*. h. e. ita eum adficies, movebis, et ures, ut eadem celeritate odium in te conceptum deponat, qua prunas in caput eius congeſtas excuteret.

7. *Amor ferventiſſimus.* Cant. VIII. 6. *Prunae eius*(amoris) *prunae ignis flammae vehementiſſimae*. Vulg. *lampades eius lampades ignis*, *atque flammarum*: *) comparatur aemulatio et zelus ſponſi *lampadibus* i. e. facibus (nam to *lampas* in vulgari ſignificatione in nullo perito ſcriptore cernitur) ſuccenſis, et valde ardentibus. Qui intenſius ali-

 quid

*) Pro eo in hebraeo eſt שַׁלְהֶבֶתְיָה q. d. *qui* (ſcil. *ignis*) eſt *flamma Dei*, i. e. maxima flamma: nam hac loquendi ratione hebraei ſaepius ſuperlativum exprimunt; ſic *montes Dei* i. e. altiſſimi, *fluvius Dei* i. e. velociſſimus, maximus. Exemplaria alia habent שַׁלְהֲבֹתֶיהָ atque ita quoad literas legerunt LXX reddentes: λαμπάδες αὐτῆς *lampades eius.* Veteres hic nomen Dei *Iah* non agnoverunt.

quid profequuntur, faepius igni comparantur, *incendi*, *exardefcere* dicuntur: fic de Elia dicitur, quod furrexerit *quafi ignis*, *et verbum eius quafi facula* arderet, i. e. zelo et fervore plenum effet. Oculi quoque apud antiquos *lampades* adpellantur, ut apud Hefychium. Heinc Dan. X. 6. *oculi eius*, *ut lampas ardens*, quod et fpeciem perdite amantis et zelotypi refert. Suum ergo amorem erga fponfam heic magis magisque exagerat fponfus.

Titio, Torrens adhibetur ad exprimendum contemtum, ob ignis lucisque privationem. If. VII. 4. *Noli timere* (Achaz) . . . *a duabus caudis titionum fumigantium iftorum*, Rafin fcil. Regis Syriae, et Phacee Regis Ifrael, qui non modo *titiones* vocantur, fed *caudae titionum*, h. e. titiones ad caudas et extremitates usque confumti, quique nonnifi fumum cito defiturum emittunt. Aliam rationem huius metaphorae hiftoricam adfert S. Hieron. comm. in h. l. *Nimirum*, *quod in illis finitum fit regnum Syriae i. e. Damafci*, *et regnum Samariae*, *i. e. decem tribuum*, *quae alio nomine vocantur Ephraim*. 2. Significatur divina liberatio ex malis, quafi ex igne Zach. III. 2. *Nunquid non ifte* (Iefus magnus Sacerdos) *torris eft erutus* de *igne* h. e. captivitate Babylonica, ex qua velut ex incendio femiuftus exivit. Iob. XII. 5. Iuftus dicitur *lampas contemta apud cogitationes divitum*, i. e. fax, feu taeda (ea enim propria illius nominis fignificatio eft, ut fupra dixi) quae extincta feu exufta, nec amplius lucens, tanquam inutilis aeftimatur. Aut taeda, quae fubobfcure duntaxat lucet; vel quae, dum luce orbatur, fumigat, et foetorem creat. Sic fane Chriftus If. XLII. 3. *linum* five ellychnium *fumigans*, aut *obfcurum* vel *tenebrofum*, ut alii reddunt, non extinctu-

rus

rus dicitur, quia *pauperes*, ait Chald. *qui sunt. quasi linum obscurum non extinguet*, i. e. pauperes, infirmos, peccatores cet. recipiet, consolabitur et salvabit.

Fumus excrementum ignis, et eius argumentum, metaphorice pro poenis a Deo inflictis et calamitatibus accipitur, quia celeriter invadit, penetrat omnia. Is. XIV. 31. *Prostrata est Philisthaea omnis; ab Aquilone enim veniet fumus, et non est, qui effugiet agmen eius* S. Hieron. comm. in h. l. per fumum illum intelligit Sennacherib regem Assyriorum, qui regnante Ezechia venit, et inter caeteras nationes vastavit Philisthaeos. Aliis est Ozias II Paral. XXVI. 6. 7. Ignis irae Dei adcensus fumos huiusmodi excitat et impellit. Confer Psal. XXXVI. hebr. XXXVII. 20. Is. XLIV. 10. Joel *III.* 3. quibus in locis fumus est irae Dei, poenarumque ab eo inflictarum symbolum.

Incalescere, pro ira in genere; ea siquidem instar ignis cor inflammat. Deut. *XIX.* 6. *Ne forte proximus eius, cuius effusus est sanguis,* כִּי יֵחַם לְבָבוֹ *eoquod*, vel *quum incaluerit cor eius, persequatur* homicidam. Unde etiam *ira* hebraeis dicitur חֵמָה quae vox ardorem significat. 2. pro ira ex zelo divino profecta inflammari, ut et πυρέσθαι usurpatur *II* Cor. *XI.* 29. *Quis scandalizatur, καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι et ego non uror?* 3. Pro pravo libidinis adfectu *I.* Cor. *VII.* 9. *praestat enim nubere, quam uri.* 4. Pro idololatria, quae spiritualis fornicatio est. Is. *LVII.* 5. הַנֵּחָמִים *incalescentes*, Pagninus, *coeuntes cum Diis subter omne lignum frondosum.* Qua metaphora propensissimus iudaeorum ad idololatriam animus significatur, quod similis esset ardori libidinis, quo

adultera in adulterum incalefcit. *) Tela Diaboli πεπυρωμένα *ignita* dicuntur, quibus tentationes tum internae, tum externae fignificantur. *II.* Tim. *I.* 6 monetur Timotheus ἀναζωπυρεῖν *ut refufcitet gratiam*, quae ipfi conlata erat per impofitionem manuum Apoftoli; h. e. ut curet, ne extinguatur, fed ut magis magisque flammam concipiat charitatis; gratia enim divina, viva quaedam flamma eft in cordibus noftris adcenfa, quam caro et diabolus extinguere nituntur: quod fi contingat, tunc *refrigefcit charitas.* Huc pertinet eiusdem Apoftoli monitum *I* Teff. V. 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβεννύετε *Spiritum* (fanctum) *nolite extinguere.*

Conflare (צָרַף) quod proprie metallis convenit, quae igne conflantur, excoquuntur, repurgantur et probantur. Eleganti metaphora ad piorum, per cruces et calamitates purgationem et probationem transfertur: certiffima metallorum exploratio fit per ignem: fic etiam calamitatibus credentes Deus faepe probat et emundat. vide Pfal. *LXV.* 10. Heinc כּוּר *catinus* five *fornax* pro adflictionibus adcipitur. Deut. *IV.* 20. *Vos autem tulit Dominus et eduxit de catino*, Vulg. *fornace ferrea Aegypti*, et alibi, quibus in locis *ferrei* epitheton ad fervitutis et tribulationum duritiem innuendam adiicitur. Ff. *XLVIII.* 10. *Ecce excoxi te, fed non quafi argentum* (i. e. moderate, ita ut magis imbecillitatis, quam iniquitatis tuae rationem habuerim) *et elegi te* (h. e. electum et probatum effeci) *in camino adflictionis* Vulg.

pau-

*) LXX. παρακαλοῦντες εἴδωλα ὑπὸ δενδραδασέα *qui confolamini idola fub arboribus frondofis.* Vulg. *qui confolamini in Diis fubter omne lignum frondofum* vocem hebraicam הַנֵּחָמִים referebant ad uerbum נִחַם *folatus eft*, non ad יָחַם *incaluit.*

paupertatis. Idem officium Chriſto tribuitur Malach. *III.* 2. *Ipſe enim* (Chriſtus) *quaſi ignis conflans, et quaſi herba fullonum* ÿ. 3. *Et ſedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi.*

§. X.

Metaphorae ab Aëre etc. deſumtae.

Aere, Vento, Aura (hebraice רוּחַ) ſignificatur 1. Vanitas, quia in vento nihil ſolidum ac ſubſiſtens. Job. *XV.* 2. *Nunquid ſapiens reſpondebit* דַּעַת רוּחַ *ſcientiam venti.* Vulg. *quaſi in ventum loquens* (i. e. quae nullo nititur fundamento, verba vana, iactatoria, inflata) *Et implebit* קָדִים *Euro ſtomachum ſuum?* Vulg. *Ardore.* Vox hebraica et *Eurum* ſive ventum Orientalem, et *ardorem* ſignificat: ventus ille valde urens eſt, et exſiccans et valde vehemens: quo vehemens hominis ira denotatur: ſenſus eſt: *implebit Euro ſtomachum ſuum*, ut nil niſi iracunda et vehementia eructet et effutiat. Huc pertinent phraſes Apoſtoli: *aerem verberare I.* Cor. *IX.* 26. h. e. inanem operam inſumere. Sumta eſt metaphora ab athletis, qui, dum ictu aberrant, vires in ventum effundunt. *In aerem loqui* i. e. fruſtra, in vanum.

2. Inſtabilitas, mentisque inconſtantia. Epheſ. *IV.* 14. *Ut iam non ſimus fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae:* quae metaphora a navi fluctibus et ventis circumacta deſumitur.

3. Venti adpellatione ſignificantur hoſtes; vent enim violenti noxam inferre ſolent, praeſertim Eurus, qui exurit ſegetes, facitque, ne ad maturitatem perveniant, vel maturas ſternit et diſſipat. Pſal. LV. hebr. LVI.



LVI. 9. אָחִישָׁה מִפְלָט לִי מֵרוּחַ סֹעָה מִסָּעַר *adcelerabo* vel *adcelerarem liberationem mihi* vel *meam a vento excitato a turbine* h. e. ab hoſtibus meis, qui inſtar turbinis arbores eradicantis, e medio tollere me conantur.

4. *Mutatio ſtatus*, de uno in alium. Iob. XXX, 22. hebr. *Elevaſti me, ſuper ventum equitare me feciſti, et diſſolviſti me in fortitudine*; ſubintellecto ב *beth*. Quidam ſubintelligunt *mem*, *a*, redduntque *a ſubſtantia*, q. d. ita, ut mihi amplius non ſit ſubſtantia. Senſus eſt: Elevaſti me in ſublime, aſt ſimul ſuper ventum, qui velociſſime tranſit, me poſuiſti, ſubito me transferens de uno ſtatu in alium, eo validius, quo amplius ſublimatus eram, me in imum deieciſti.

Hunc pertinent *meteora*, quae in aere gignuntur. Sic Vapor ſignificat calamitates, exitium, interitum; quae enim ſolvuntur in vaporem, ea in nihilum quaſi abeunt et pereunt. Vide Deut. XXXII. 35. et alibi.

Nubes ob diverſa adtributa, diverſa quoque ſignificat. 1. calamitates et exitium, quod nubes ſolis et firmamenti ſplendorem, quo innuitur proſperitas, hominibus eripiat. Thren. II. 1. *Quomodo obnubilavit*, Vulg. *obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion.* Heinc *dies nubis* ſive *nubium.* Hac metaphora utitur etiam Ovidius l. I. Triſt. Eleg. VIII. 6. *Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.*

2. Multitudo et copia; quod in tempeſtate ingens nubium denſarum copia adpareat; vel quia ex multis vaporibus nubes componuntur. Hebr. XII. 1. *ideoque et nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium* i. e. tantam copiam et multitudinem. Sic Homerus Iliad. δ. *ſimul autem ſequebatur nubes peditum.* Sic Livius, *peditum equitumque nubes.* S. Hieron. *nubes locuſtarum.*

3.



3. Vanitas et inconſtantia; ſunt enim quaedam nubes, quae pluviam promittunt, ſed a ventis fugatae, eam non demittunt. II. Petr. II. 17. *Hi ſunt fontes ſine aqua, et nebulae turbinibus agitatae*: loquitur S. Petrus de falſis doctoribus, qui in doctrina et in fide ſua fluctuant, nec ſalutaris doctrinae et conſolationis pluviam praebent. Vide epiſt. S. Judae ℣. 12, ubi eiusmodi homines dicuntur *nubes ἄνυδροι ſine aqua.*

4. Celeritas; nubes enim impetu ventorum raptae, citiſſime ſub coelo feruntur. Iſ. XIX. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, et ingredietur Aegyptum.* Pſal. CIII. 3. *Qui ponis nubem aſcenſum ſuum*, i. e. currum, ita ut nubes Deo pro curru ſint, et venti quaſi curſores ante currum.

Tempestas, Turbo, Procella, quae vel *Deo*, vel *hominibus* tribuitur. Si *Deo*; iram ipſius, et poenas peccatoribus inflictas ſignificat. Job. IX. 17. *In tempeſtate conteret me.* Si *hominibus* tribuatur, mentis conturbationem et violentam invaſionem ſignificat. IV. Reg. VI. 11. וַיִּסָּעֵר *et procellis agitatum et cor regis Syriae.* Vulg. *et conturbatum eſt*; ſicut aer turbinibus et tempeſtatibus turbatur. Dan. XI. 40. *Et* יִשְׂתָּעֵר *quaſi tempeſtas veniet contra illum*, i. e. ſubito invadet.

Tonitru, quod ſoli Deo in ſcripturis tributum, ob vim creaturas terrendi, denotat Dei maieſtatem et gloriam. *Abſconditum tonitrui* Vulg. *tempeſtatis* Pſal. LXXX. 8. ponitur pro loco coeleſti ubi Deus habitare concipitur: in nubibus enim equitare dicitur. 2. Iram eius et poenas inflictas. I. Reg. II. ℣. 10. *Dominum formidabunt omnes adverſarii eius, et ſuper ipſos in coelis tonabit* i. e. de coelis puniet eos. Tonitru ipſum non ra-

ro



ro קול *vox* dicitur Exod. IX. 23. *et Dominus* dedit קולות *voces*. Vulg. *tonitrua*, *et grandinem*. Et interdum *vox Domini* Pſal. XXVIII. 3. Unde בת קול *filiam vocis* veteres iudaei vocabant vocem Dei cum tonitru adlatam: Hanc uſitatam fuiſſe tempore ſecundi templi, poſtquam ceſſarunt prophetiae: huiusmodi vox erat illa Matth. III. 17. *Et ecce! vox de coelis dicens:* quae vero a Rabbinis de *filia vocis* traduntur, plures critici partim fabulis iudaicis, partim diaboli praeſtigiis adcenſent. Iacobus quoque et Ioannes a Chriſto *βοανεργεῖς* cognominantur Marc. III. 17. i. e. *filii tonitrui*, a tonitru verbi Evangelici, cuius praecones extitere.

Fulgur, quod metaphorice ſumtum denotat laminam lanceae vel gladii micantem, quae fulguris inſtar ſplendet, et terrorem iniicit: vide Ezech. XXI. 10. Heinc Deo, ad iram eius ſignificandam, tribuitur, *gladius fulgurans*, Deut. XXXV. 41. *haſta coruſcans* vide ſupra cap. VI. Denique ſine addita voce *gladii* בָּרָק *coruſcantem gladium* ſignificat Job. XX. 25. *Eductus et egrediens de vagina ſua*, *et fulgur in amaritudine ſua* h. e. fulgurans et coruſcans gladius in amaritudine ſua veniet ſuper impium.

Grando, qua ultio divina et poenae graviſſimae a Deo inflictae ſignificantur. Iſ. *XXVIII.* 17. *Et grando ſubvertet refugium* (Vulg. *ſpem*) *mendacii*, *et latibulum* (Vulg. *protectionem*) *aquae inundabunt*. h. e. ultio ventura refugium veſtrum ſubvertet, perinde ac ſi grando et aquae inundantes tuguriolum deiicerent. Vide etiam cap. *XXXII.* 19. ubi per *ſaltum* intelliguntur loca inculta per *civitatem* vero, loca habitata, idque per ſynecdochen.

Pluvia

Pluvia, quae maximam terrae utilitatem adfert, si temperata fuerit et tempestiva; ingens vero detrimentum, quum immodica et intempestiva decidit: unde et *in bonum* et *in malum* adcipitur. 1. In bonum pro solatio in adflictionibus, consolatione, Ezech. *XXII.* 24. *Tu es terra immunda, et non pluvia eius in die furoris* Vulg. *non compluta* h. e. nihil solatii in poenis divinitus inflictis percipies. 2. *In malum.* Eccles. XII. 2. *Antequam . . . revertantur nubes post pluviam.* i. e. calamitates calamitatibus succedant. Notum proverbium. *Nubes post imbrem*, de malis sibi cito succedentibus et contra: *post nubila phoebus*, de gaudio tristitiam sequente usurpatum. Vide supra cap. V.

Nix vide supra c. *I.* §. *VII.*

§. XI.

Metaphorae ab aqua &c. petitae.

Metaphorae ab aquis desumtae spectant vel ipsam aquarum adpellationem, vel ipsarum subiecta sive continentia; vel adiuncta seu qualitates, vel earum operationes, vel denique hominis in iis occupati actiones. Quum vero aquae interdum utiles, interdum noxiae sint, ita *in bonum* et *malum* adcipiuntur.

In bonum. Aquis significatur posteritas. Num. *XXIV.* 7. *fluet aqua e situla eius* (Jacobi, i. e. numerosa posteritas, quae ex eo quasi ex fonte profluet) *et semen illius erit in aquas multas* h. e. multos populos excrescet. Deut. *XXXIII.* 28. *Habitat Israel confidenter*, et solus עֵין יַעֲקֹב *fons Iacob* (i. e. posteritas Iacobi) *in terra frumenti et vini* habitabit. Vulg. *Habitabit Iacob confidenter, et solus; oculus Iacob in terra frumenti et vini* supple erit.

Vox

Vox עין *oculum* et *fontem* ſignificat. Pſal. *LXVII.* 27. *In Eccleſiis* (i. e. coniunctim per choros) *benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael*: h. e. vos omnes, qui eſtis de fontibus Iſrael, nempe omnes Iſraelitae.

In malum. Aquae ſignificant populum fortem ac numeroſum, qui terram aliquam hoſtiliter invadit, in eaque graſſatur. Iſ. VIII. 7. *Propter hoc, ecce Dominus adducet ſuper eos* (Iſraelitas) *aquas fluminis fortes et multas*, ſequitur explicatio: *regem Aſſyriorum, et omnem gloriam eius; et aſcendet* (flumen) *ſuper omnes rivos eius, et fluet ſuper omnes ripas eius.* ℣. 8. *Et ibit per Iudam inundans, et tranſiens usque ad collum veniet* h. e. usque ad Ieruſalem, quae regni caput erat. Eſt etiam hic proſopopoeia, qua regnum cum humano corpore comparatur. vide Apocal. *XVII.* 1. 15. ubi *aquae multae* populos et gentes et linguas ſignificant. 2. Aquae ſignificant calamitates et tribulationes. Eiusmodi phraſes frequentiſſimae ſunt. II. Reg. *XXII.* 17. *Et extraxit me de aquis multis* i. e. de multis calamitatibus. In prophetis ſaepe dicuntur aquae inundare terram, i. e. tribulationes et ruinae. Pſal. *XXXI.* 6 *verum tamen* (profecto, ſane) *in diluvio aquarum multarum, ad eum non adpropinquabunt.* i. e. etſi totum orbem inundent calamitates, ad eum non pertingent. Pſal. *LXVIII.* *Intraverunt aquae usque ad animam meam* i. e. usque ad vitae excidium, ut iam de vita mea pericliter.

Mare, quo propter aquarum copiam, fluctuumque et procellarum impetus multitudo populorum hoſtilium denotatur. Jerem *LI.* 42. *Aſcendit ſuper Babylonem mare, multitudine fluctuum eius operta eſt.* h. e. Rex Medorum cum omnibus copiis ſuis Babylonem aſcendit.

dit. etc. 2. maximas calamitates. Pſal. LXVIII. 3. deſcribit calamitates captivitatis. *Infiſus ſum in limo profundi* (pro carceribus coenoſis) *et non eſt ſubſtantia* i. e. ſubſiſtentia, nempe ſolidus fundus, ſemper profundius mergor. *Veni in altitudinem maris*, i. e. in maximam et calamitoſiſſimam captivitatem. Pſal. XLI. 8. *omnia excelſa tua, et fluctus ſuper me tranſierunt.* vide Pſal. LXXXVII. 8. Mich. VII. 19. *In profundum maris omnia peccata noſtra proiicere* dicitur Deus, quum ea condonat, et oblivione ſempiterna ſepelit.

Per fluctus maris etiam denotantur homines inquieti, qui Eccleſiam doctrina, vitaque impia conturbant. Jud. ℣. 13. *κύματα ἄγρια θαλάσσης fluctus feri maris.* confer Iſ. LVII. 20. 21. *fluctuare* etiam dicuntur, qui in fide inſtabiles ſunt. vide ſupra.

Torrens, quod ex procellis ſubito excreſcens, terrorem una cum damno et hominibus et animalibus adfert, ingentes adflictiones, terrores, et pericula ſignificat. Pſal. CXXIII. 5. *Torrentem pertranſivit anima noſtra.* Eſt inverſio agentis h. e. torrens pertranſivit animam noſtram: *forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* i. e. certe graviorum calamitatum voragine fuiſſemus abſorpti, niſi Deus, eiusque ſingularis providentia nos ſervaſſet. τὸ עָבַר non ſignificat pertranſire quomodocumque, ſed quia eſt conſtructum cum עַל ſignificat cooperire, involvere. Pſal. XVII. 5. *circumdederunt me dolores mortis, et torrentes Belial* (Vulg.) *iniquitatis conturbaverunt me:* nomen ſubſtantivum ſecundi caſus ſupplet vicem adiectivi: dolores mortales, torrentes iniqui; quia vero torrens non poteſt eſſe iniquus, ſed homo, ideo reſolvenda propoſitio cum Chaldaeo: *coe-*



tus obpreſſorum, aut homines impii et iniqui. De Chriſto Pſal. CIX. 7. dicitur: *de torrente in via bibet:* i. e. multis et acerbis calamitatibus adfligetur. Interdum tamen *torrens* in bonum accipitur propter aquarum abundantiam, quae ad bonorum copiam transferuntur. Vel quia in aridis regionibus torrentes obportune et utiliter inundant. Job. XX. 17. *Non videat* (impius) *torrentes mellis et butyri* i. e. rerum ſecundarum, ſuavium cet. adfluentia privetur.

Flumen in bonum et in malum adcipitur. *In bonum*, Dei beneficentiam denotat. Iſ. XLI. 18. *Aperiam in locis editis* (Vulg. *in ſupinis Collibus*) *flumina, et medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagnum aquarum, et terram inviam in rivos aquarum;* quibus verbis regni Meſſichiani felicitas deſcribitur. Joan. VII. 38. *qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*, h. e. copioſa Spiritus ſ. dona et operationes, ut explicatur ỷ. ſeq. Pſal. XLV. 4. *fluminis impetus laetificat civitatem Dei:* antea comparaverat Pſaltes hoſtiles inſultus tempeſtati marinae; nunc ait, civitati Dei ſeu populo, qui eſt civis verae Eccleſiae nihil eſſe timendum, eoquod in mediis tempeſtatibus perfruitura ſit pace, inſtar rivorum Gihonis, qui per Jeruſalem derivabantur et leniter fluebant.

In malum, flumen hoſtiles exercitus ſignificat. Iſ. XVIII. 2. *Ite angeli veloces ad gentem . . . cuius diripuerunt* (praeteritum pro futuro *diripient*) *flumina terram eius* h. e. cuius terram diripient hoſtium exercitus, quibus veluti rapidiſſimis fluminibus reſiſti non poterit. Vide etiam c. VIII. 1. ubi metaphora explicatur.

Puteus in bonam et malam partem adcipitur. Prov. V. 15. *bibe aquam de ciſterna tua, et fluenta putei tui*,

tui, quod σεμνως et honestatis ergo dicitur, pro, rem habe cum uxore tua, non cum aliena. ℣. 16. *deriventur vel derivabuntur fontes tui, et in plateis aquas tuas divide*, hebr. *in plateis divisiones aquarum* sparge; fac ut uxore tua contentus, tibi proles multiplices, eorumque abundantia, veluti aquae et rivi in plateis, pateat mundo. Confer Job. XXI. 11. ubi prolium abundantia gregibus comparatur; hic aquis et fontibus. ℣. 17. *habeto eas solus, nec sint alieni participes tui;* solus filiorum tuorum pater sis, et cave ne meretrix incertos tibi obtrudat. ℣. 18. *Sit* vel *erit vena tua benedicta et laetare eum muliere adolescentiae tuae*, da operam, ut caste vivendo cum oxore tua, Deus eidem benedicat, et malta prole beet, ut laetari queas cum uxore, quam iuvenis duxisti. ℣. 19. *haec cerva charissima, et gratissimus hinnulus* supple erit, i. e. illam efflictim amabis. Veteres maxime his animalibus delectati sunt: proinde olim in more fuit, cervos et hinnulos non solum alere summo studio, sed et lavare et pectere, sertisque ornare, aut torquibus et monilibus. hoc itaque loquendi modo tenerrimum amorem exprimit.

In malam partem puteus adceptus maxima pericula et perniciem significat. Psal. LIV. 24. *deduces eos in puteum interitus*. Chald. *in gehennam profundam.* Psal. LXVIII. 16. *neque urgeat super me puteus os suum*, i. e. stringat, claudat, ita obstruatur carcer, ut spes evadendi non sit. Sic quoque adcipitur quandoque vox cognata בור *cisterna*. Psal. XXXIX. 3. *Et eduxit me* מִבּוֹר שָׁאוֹן *de cisterna tumultus* (i. e. de lacu tumultuoso, in quem aquae multae decidunt magno strepitu. Vulg. *de lacu miseriae*; lacus sumitur pro carcere subterraneo, quo denotatur maxima adflictio et miseria. Sic Jeremias dicitur in la-

cum miſſus; item Daniel; et quia huiusmodi loca erant humida plena aquae ſordibus, ideo vocantur *lutum foecis*, unde pedem extrahere vix queas. Jerem. II. 13. Idola dicuntur *ciſternae diſſipatae*, *quae continere non valent aquas*, i. e. quae nullam opem cultoribus ſuis adferre poſſunt; quare Deo *fonti aquarum viventium* ibidem opponuntur.

Qualitates aquae, nempe fluiditas, liquiditas cet. homini tribuuntur. Pſal. XXI. 15. *Sicut aqua effuſus ſum:* ſimilitudo frequens hebraeis, qua ſignificatur aliquam rem prorſus non eſſe in pretio, ſed effundi veluti aquam: ſic dicitur: *effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam.* At hoc in pſalmo adhuc aliquid aliud ſignificat: nam loquitur de magno pavore et angore, in quo iunćturae corporis non cohaerent, et ideo homo tremit, et videtur diffluere velut aqua, cuius partes non cohaerent: et ideo dicit: diſperſa ſunt oſſa mea propter iſtum timorem. Ob ſummos animae et corporis cruciatus pariter tabeſcens erat Chriſtus. Eiusmodi ergo qualitates aquae ſignificant animi conſternationem, anxietates et dolores. Pſal. LXXIV. 4. *liquefacta eſt terra* i. e. hominum animi turbantur timore et dolore: aut terra iacet inculta, domus exuſtae ſunt et ruinoſae. Pſal. CVI. 26. *anima eorum in malis tabeſcebat; τὸ beth in* heic eſt cauſale, i. e. propter periculum mortis inſtantis liqueſcerent. Eadem metaphora de vinculis uſurpata, eorum dilapſum et diſſolutionem ſignificat. Jud. XV. 14.

Quatenus autem frigoris et caloris capax eſt aqua, ad eam pertinent iſta: Job. XXX. 27. *Viſcera mea* (Vulg. *interiora mea*) *efferbuerunt*, *et non ſiluerunt* (h. e. ut optime Vulg. reddidit: *absque ulla requie*) *praevenerunt me*

קִדְּמֻנִי

(קִדְּמוּנִי *anteverterunt me*, mihi non opinanti adciderunt) *dies adflictionis*, quod de adfectuum et cogitationum ob maximas calamitates conturbatione intelligendum. Apocal. III. 15. S. Joannes *frigidos* vocat plane a Christo alienos; *calidos* fidei ac pietatis zelo ferrentes; *tepidos* vero eos, qui Christiani dici volunt, et tamen vitam Christiano dignam non exigunt. Illud autem: *utinam frigidus esses*, respective intelligendum est; non enim frigidi aeque Deo placent ac fervidi, sed respectu tepidorum laudabiles sunt, quod palam profiteantur, quales sint, nec aliud loquantur, aliud sentiant; quodque meliora edocti saepe emendentur, quod de tepidis pietatis speciem habentibus, et vim eius abnegantibus vix sperare licet.

Operationes aquae, ex quibus metaphorae ducuntur sunt

Inundare, quo hostium irruentium multitudo innuitur. Vide supra Is. VIII. 2. festinatio et celeritas. Psal. LXXXIX. 5. זְרַמְתָּם שֵׁנָה יִהְיוּ *inundasti* vel *inundas eos*, *somnium erunt*, h. e. raptim et quasi torrente immisso abripis homines, qui veluti somnium sunt. Vulg. lat. *quae pro nihilo habentur*, *eorum anni erunt*, sic et LXX. Est hysterologia pro: *eorum anni* (sunt velut) *ea, quae pro nihilo habentur:* pro זְרַמְתָּם *inundasti eos* legebant זִרְמָתָם *fluxus eorum*, *nihilum eorum anni* sunt, per hypallagen adfixi pro *fluxus anni eorum* sunt. et pro שֵׁנָה legebant שָׁנָה *annus*.

Eructare, scaturire: vide supra cap. XIV. Ebullire, quod itidem eleganti metaphora de sermone cordis diu praeparato accipitur, qui per os et labia egreditur, ut aqua fervore ebulliens foras erumpit.

 Psal.



Psal. XLIV. 2. *Ebullivit* seu *eructavit cor meum verbum bonum*, i. e. carmen elegans, sicut graecum *καλος bonum* et pulchrum significat.

Stillare usurpatur pro doctrina, sermone et prophetia, vel quod pluviae aut roris instar minutatim auribus influat; vel quia, ut pluvia et ros terram, ita doctrina animum hominis rigat, quasi et foecundat. Deut. XXXII. 2. יַעֲרֹף *stillet ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillae super gramina.* 2. De coelo et nubibus stillantibus iustitiam sive iustum Is. XLV. 8. item de montibus et collibus stillaturis dulcedinem. Joel. III. 18. Amos IX. 13. qua metaphora coelestium beneficiorum tempore Messiae abundantia intelligitur.

Actiones hominis in aquis occupati sunt istae.

Effundere tam in *bonum*, quam in *malum* accipitur: de Deo, quum effundere spiritum suum et gratiam suam dicitur; qua metaphora donorum Spiritus sancti copia intelligitur: Is. XXXII. 15. *Donec effundatur super nos spiritus de excelso.* Psal. XLIV. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis;* gratia hic non sumitur active pro favore aut dono gratuito, sed passive pro dotibus corporis et animae, quibus favor reconciliatur: talis gratia est lepos et suavitas sermonis: unde *labia* pro sermone. In sensu altiori evangelium gratiae a Messia Christo promulgatum intelligitur.

De hominibus verbum *effundere* usurpatum, preces ad Deum cum singulari pietatis fervore fusas significat. Heinc phrases: *animam et cor in conspectu domini effundere:* quando Deo vota et desideria nostra deferimus. Et *rugitus instar aquae effundere* Job. III. 24. quae non solum inten

intenſiſſimi doloris ſigna ſunt, verum etiam de precibus in angore et cruciatu adhibitis intelliguntur.

In malum verbum iſtud adceptum, et de Deo et hominibus uſurpatur: ſic dicitur Deus *effundere iram et furorem ſuum.* Pſal. CVI. 40. *Effuſa eſt contemptio ſuper principes* h. e. Deus non parcit principibus malis, ſed effundit ſuper eos iram ſuam, ut fiant contemtui et ludibrio vicinis regibus; ſicque omni eos auctoritate ſpoliat. Job. XXX. 16. *Effudit* (Deus) *in terra* מְרֵרָתִי *fel meum* Vulg. *viſcera mea*, recte; ibi enim pars ponitur pro toto: tot tantisque me doloribus adfecit, perinde ac ſi iecur meum cum veſica fellis, imo et viſcera mea in terram effunderentur.

De hominibus hoc verbum uſurpatum varia mala tum poenae tum culpae ſignificat. Job. cit. 16. *Nunc autem in memetipſo* תִּשְׁתַּפֵּךְ *effundit ſe anima mea* ob graviſſimos dolores et anxietates liqueſcit quaſi et contabeſcit. Thren. II. 11. *Effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritione filiae populi mei* h. e. prae dolore et terroribus conficior, quaſi iecur meum in terram effunderetur. Pſal. LXXII. 2. *Pene effuſi ſunt greſſus:* parum abfuit, quin a via mandatorum Dei declinarem, inſtar aquae, quae locum mutat, et huc illuc diſpergitur. Ezech. XVI. 15. *Effudiſti fornicationes tuas ſuper omnes tranſeuntes etc.* h. e. quibusvis tranſeuntibus effuſe et multiformiter proſtituiſti te; quemlibet idololatria tua, quae heic fornicationibus ſignificatur, polluiſti.

Aspergere, lavare, mundare cet. quae ad peccatorum remiſſionem, hominis renovationem cet. transferuntur. Pſal. L. 9. *Aſperges me hyſſopo:* in mundatione leproſorum ultima expiatio fiebat hyſſopo: et ſic aſperſio hyſſopi ſignificat ultimam et perfectam abſolu-

 tionem.

tionem. Ibid. ℣. 4. *Amplius lava me* hebr. *multiplica, lava me* i. e. multum: adludit ad lotiones legales, quibus mundabantur certae inmunditiae externae; dicit autem, ut magis et melius et perfectius ipse lavetur a peccato, quam per illas fiat lotiones. Psal. XXV. 6. *lavabo inter innocentes manus meas* hebr. *in innocentia* sive puritate: est autem lavare manus in puritate, lavare munde et pure, metonymia signi, esse innoxium, non commisisse crimen. In hoc et aliis locis fit tantum mentio lotionis manuum, ducta metaphora ab iis, qui ut suam innocentiam testarentur, manus publice lavabant. Matth. XXVII. 24.

Haurire, quod metaphorice adcipitur pro scrutari, cognoscere. Prov. XX. 5. *sicut aqua profunda: sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud* i. e. scrutabitur. 2. pro frui, si de fontibus salutis sermo est. Is. XII. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris*, h. e. omni bonorum genere et copia fruemini, quum venerit Christus Salvator, de cuius plenitudine adcipietis.

§. XII.

Metaphorae a terra, euiusque partibus desumtae.

Terrae commotio, contritio et conturbatio seditiones et bella tum intestina tum ab exteris inlata significat; ubi etiam metonymia est continentis pro contento; i. e. terrae pro eius incolis, et synecdoche totius pro parte; non enim universa terra commota est, sed pars eius nempe Judaea. Psal. LIX. 4.

Mons significat 1. coelum. Psal. XVII. 8. *fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt*: i. e. *fun-*

tamen-



damenta coelorum, ut legere eſt II. Reg. XXII. 8. Illa autem fundamenta coelorum montes ſunt, quibus coelum inniti videtur: vocantur etiam *columnae coeli* Job. XXVI. 11. 2. Regna et imperia, quae in mundo inſtar montium praeeminent. Pſal. XXIX. hebr. XXX. 8. *Domine in voluntate tua praeſtitiſti* לְהַרְרִי *monti meo virtutem*, i. regnum meum robuſtum et tranquillum feciſti. *) Ita leg. Habac. III. 6. *Contriti ſunt montes ſaeculi*, *incurvati ſunt colles mundi* i. e. regna terrae Chanaan. Conf. Exod. XV. 14. 3. Elatos quosvis regni Dei hoſtes. Iſ. II. 12. *Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum et excelſum, et ſuper omnem arrogantem et humiliabitur:* ſequitur metaphora ✠. 13. *Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes et erectas, et ſuper omnem quercum Baſan.* ✠. 14. *Et ſuper omnes montes excelſos et ſuper omnes colles elevatos.* ✠. 15. *et ſuper omnem turrim excelſam.* De montibus in ſpecie vide ſupra cap. VIII. *Vaccae Baſan* Amos IV. 1. ſunt regni Samariae primores, qui tanquam vaccae in Baſan (qui eſt mons paſcuorum ubertate celebris) enutritae, proindeque pinguiores, et ob id petulantiores, potentia veſtra abutimini, dum *calumniam facitis egenis*, *et confringitis pauperes.* Potentes in populo etiam *quercus Baſan* metaphorice dicuntur Iſ. II. 13.

Mons Carmel ad ſpiritualia quoque transfertur. Iſ. XXXII. 15. *Et erit deſertum in Carmel*, *et Carmel in ſaltum*

*) Ita legunt Aq. V. edit. S. Hieron. LXX. . . . *praeſtitiſti τῷ κάλλει μου* Vulg. *decori meo virtutem.* Pro לְהַרְרִי legebant לְהַדְרִי cum ד pro priori ר. Sym. *κύριε ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου ἔστησας τῷ προπάτορί μου τὸ κράτος Domine in beneplacita tuo ſtatuiſti primo parenti meo fortitudinem*, legebat לְהוֹרִי a verbo הָרָה unde הוֹרֶה *genitor*. ſenſus Vulg. eſt: corpori meo dediſti ſanitatem et vires ex bonitate tua.



saltum reputabitur, in sensu sublimi gentiles, qui instar deserti sunt, omni videlicet pietatis et iustitiae proventu destituti, fient instar agri fertilis uberrimos pietatis ac iustitiae fructus ferentes. Econtrario iudaei, qui nunc florent, et quasi Carmel esse putantur, pietatis ac iustitiae fructibus orbati, proindeque facti inculti et steriles, in saltum reputabuntur. Isaiam heic de vocatione gentium et reprobatione iudaeorum agere, liquet ex versiculi huius initio, *donec effundatur super nos spiritus de excelso.* Conf. cap. XXIX. 17.

Libanus ob altitudinem, arborumque eius proceritatem et copiam metaphorice significat 1. Regis Assyriorum in exercitu duces et principes. Is. X. 24. *Et subvertentur condensa saltus ferro* (milites) *et Libanus* בְּאַדִּיר *per fortem cadet*, h. e. fortissimi quique et praestantissimi per angelum fortem interimentur.

2. Abundantiam, eamque spiritualem tempore Christi futuram. Is. XXIX. 17. *Nonne adhuc in modico et brevi convertetur Libanus in Carmel, et Carmel in saltum reputabitur:* h. e. Libanus habet quidem cedros aptas aedificationi, sed caret vitibus et oleis: Carmelus habet multas vites et oleas, sed caret cedris. sed veniet tempus (nempe Christi) quo tanta erit rerum omnium benedictio, ut Libanus proferat vites una cum cedris, et Carmelus proferat cedros cum vitibus. Qui etiam locus de vocatione gentium et reprobatione iudaeorum explicari potest.

Collis Gen. XLIX. 26. metaphorice significat Patriarchas, Prophetas, aliosque viros pietate insignes, qui ceteris hominibus ut colles vallibus praestant. *Benedictiones patris tui* (quae) *confortatae sunt* (i. e. copiosiores

fiores extiterunt) *benedictionibus patrum meorum* (Vulg. *patrum eius* pro הוֹרַי legerunt הורו deficiente (י) nota pluralis numeri) *donec veniat desiderium collium aeternorum* i. e. Christus a Patriarchis, Prophetis adeo expetitus ac desideratus.

Petra, rupes metaphorice locum firmum, stabilem, tutum a periculis, et consequenter refugium praesidiumque significant. Psalm. XXVI. 5. *In petra exaltasti me* i. e. in loco tuto et inaccesso. Psal. XXXIX. 3. *Et statuit supra petram pedes meos:* ponit oppositionem *lacum* inter et *arcem* seu petram: per *lacum* intelligit adflictiones et statum calamitosum; per *petram* seu arcem, quia in petris construebantur arces, statum felicitatis. Vox סְעִיף quae significat *prominentiam petrarum seu scopulum*, designat superbos, et qui alta sublimiaque adfectant. Psal. CXVIII. hebr. CXIX. 113. sicut dicitur: *omnis collis humiliabitur* i. e. omnis superbus. Econtrario

Vallis ob depressionem suam et obscuriorem umbram, quam praerupti montes, et arbores etiam efficiunt, significat humiliationem, aerumnas, calamitates, quas tenebris designari alibi diximus. Is. XL. 4. *omnis vallis* (h. e. omnis adflictus, obpressus, humiliatus) *exaltabitur*. Is. XXII. 1. Jerusalem vocatur *vallis visionis*, quamvis in montibus esset fundata, quia fuit *seminarium prophetarum*, qui olim *videntes* adpellabantur: sed quia ibi *inter caeteras gentes* (idololatriae addictas) *ponitur, et reputatur una de plurimis: nequaquam mons adpellatur, iuxta illud propheticum: fundamenta eius in montibus sanctis, sed vallis, ex eo quod humiliata sit*. S. Hieron.

Psal.

Pſal. XXII. heb. XXIII. 4. *Nam etſi ambulavero* בְּגֵיא *in valle* (Vulg. *in medio*) *umbrae mortis*, *non timebo mala.* Omnis umbra mortis in ſcriptura ſignificat locum tenebricoſum & periculoſum, ſicut eſt mors ipſa: ſignificatur ſummum periculum quamvis in maxima mortis ipſius pericula in curram cet. continuata metaphora ab ovibus deſumta, quae dum aberrando in valles deferuntur, belluarum incurrentium periculis obnoxiae ſunt.

Inferiora terrae uterum maternum ſignificant. Pſal. CXXXVIII. 15. *Non eſt occultatum os meum a te* (per *os* intelligit omnes facultates, quascumque habet corpus ab initio formationis usque in finem: aut nullum te latet ex oſſibus meis) *quod feciſti in occulto*, *et ſubſtantia mea*) corpus meum ſeu tota corporis ſtructura (*in inferioribus terrae* i. e. in utero materno: Non te latet o Deus, corpus meum, quod formatum eſt in occulto i. e. in utero matris, qui inſtar terrae inferiorum ſeu cavernarum et receſſuum caliginoſus eſt. Poſterius hemiſtichium eſt repetio prioris. Hunc referunt quidam illud Epheſ. IV. 9. *Quod autem aſcendit*, *quid eſt*, *niſi quia et deſcendit primum in inferiores partes terrae* i. e. in uterum Virginis.

Profundum, fovea, abyssus, altitudo metaphòrice ſignificant malorum, miſeriarum, calamitatum cet. gravitatem. Pſal. CXXIX. 1. *De profundis clamavi ad te Domine.* i. e. de maximis periculis, in quibus verſabar, clamavi. Explicaturus captivitatem, et alia mala per ſimilitudinem vocat ea profunditatem, gurgites, abyſſum. Unde *foveam fodere* h. e. periculum intentare: *cadere in foveam* alteri effoſſam, malis illis obrui, quae alteri parabantur.

Lutum, coenum, stercus ſignificant 1. vilem et obiectam hominum conditionem. I. Reg. II. 8. 2. Mala

la et calamitates, de quibus ſupra. 3. *mortem* et proiectionom ignominioſam. Pſ. LXXXII. 11. *Diſperierunt in Endor* (Madianitae, ſive iuxta alios, Siſarae exercitus) *facti ſunt ut ſtercus terrae*, h. e. cadavera eorum ſepultura caruere, ac in terra, quaſi ſtercus, conculcata ſunt, quae *aſini ſepultura* dicitur Jerem. XXII. 19. 4. Rem natura ſua vilem, et ſordidam, noxiamque, ſed apud homines in pretio habitam. Habac. II. 6. *Vae ei, qui multiplicat non ſua, usque quo et adgravat contra ſe denſum lutum?* h. e. divitias et opes, quae non ſolum non proſunt, ſed ſaepius nocent iis, qui ad eas cor adponunt, perinde ac ſi denſo luto ſe inmergerent.

Pulvis terrae ſignificat quoque contemtum, abiectionem, miſeriam, luctum, ſepulchrum ſeu mortem. Pſal. VII. 6. *Et gloriam meam in pulverem deducat*, gloria eſt pro anima: ſic dicitur: *ut pſallat tibi gloria mea.* i. e. anima mea, qs. ego. Et me in ſepulchrum ſeu mortem deducat. Sic Pſal. XXI. 16. *et in pulverem mortis deduxiſti me.* Pulveri interdum iungitur *cinis*, quo fragilitas, vilitasque ſignificantur. Gen. XVIII. 27. Cinere ſolo innuitur calamitas maxima, atque inde exorta triſtitia et luctus. Iſ. LXI. 3. *Ut darem eis* (lugentibus ex Sion) *coronam pro cinere.* Solebant enim lugentes cinerem vel pulverem ſuper caput ſpargere et cineri inſidere. Iſ. XLIV. 20. רֹעֶה אֵפֶר *paſcit* (idolum) *cinere* cultores ſuos i. e. maximo dolore adficit. Vulg. *Pars eius* (idoli) *cinis eſt*, legebat רֵעוֹ *ſocius eius* i. e. pars eius altera. LXX. *γνῶθι ὅτι σποδὸς ſcito cinerem eſſe* legebant דְּעָה cum ד pro ר.

De metallis terrae ſequentes habentur metaphorae.

Aurum



Aurum significat liquorem instar auri pellucidum, nempe oleum purissimum. Zach. IV. 12. *Quid sunt duae spicae olivarum, quae sunt iuxta duo rostra aurea* (sive duas ampullas aureas) הַמְרִיקִים מֵעֲלֵיהֶם הַזָּהָב *quae* (olivae) *evacuant aurum ex se.* i. e. oleum instar auri purum. 2. Coeli serenitatem instar auri rutilantis. Job. XXXVII. 22. *Ab Aquilone aurum venit* h. e. tempus sudum, aurea serenitas aut aurea lux, quo sensu LXX. νέφη χρυσαυγοῦντα nubes coloris aurei. Per ventos enim aquilonares, qui dispellunt nubes, coeli serenitas inducitur. 3. Quod spectat ad spiritualia, aurum denotat tum puram Evangelii doctrinam, uti et argentum et lapides pretiosos. I. Cor. III. 12. *Siquis autem superaedificat super fundamentum hoc* (Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos* i. e. sanam doctrinam praedicat. *Tum* Salvatoris gratiam, charitatem, sapientiam cet. Apoc. III. 18. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias* h. e. efflagitare a me charitatem, aliaque dona Spiritus S. quibus solis vere ditantur homines.

Argentum pro re praestanti et pulcherrima. Prov. X. 20. *Argentum electum lingua iusti.* Psal. XI. 7. *Eloquium Domini* dicitur *argentum igne examinatum, probatum terrae* (h. e. in clibano terreo) *purgatum septuplum*; quo eius praestantia et omnimoda puritas significatur. Malach. III. 3. Salvator *argentum emundare* dicitur, i. doctrinae coelestis repurgationem instituere. Argento in scoriam verso, tum doctrinae, tum morum corruptela innuitur Is. I. 21. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua.* Scoriis et stanno sive plumbo, idololatrae, impii cet. in populo Dei significantur. Is. I. 25. *Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum*; i. e. idololatriam et improbitatem tuam.

Fer-

Ferrum, aes duritiem et soliditatem denotant. Deut. XXVIII. 23. *Sit coelum, quod supra te est, aeneum, et terra, quam calcas, ferrea* h. e. coelum sit durum instar aeris et ferri, neque pluvia ab eo demittatur in terram, quae ferrea sit, i. e. nihil producat. Ferrum cruciatus et magnas molestias denotat, si fornaci, iugo, et virgae, quae etiam calamitatum symbola sunt. addatur. Sic eduxit Deus Israelitas *de fornace ferrea Aegypti.* Sic virga ferrea cet.

Obscurior est locus Jerem. XV. 12. *Nunquid franget ferrum, ferrum ab aquilone et aes?* Quod alii in gratiam iudaeorum interpretantur, et confirmationem promissionis, quae versu praecedenti continetur, esse volunt hoc modo: *Dicit Dominus: si non reliquiae tuae in bonum, si non occurri tibi in tempore adflictionis, et in tempore tribulationis adversus inimicum?* ℣. 12. *Nunquid franget ferrum* (purum ac simplex, quo intelliguntur Chaldaei) *ferrum ab Aquilone et aes?* h. e. ferrum cum aere coniunctum, quod aquilonare dicitur, sive chalybs, a populis, qui in Ponto ad Aquilonem habitantes, vocantur *chalybes*, et a quibus chalybs nomen suum accepit. Ferrum autem illud aquilonare, ferro simplici durius, Dominus est, cui praevalere non poterunt Chaldaei. Alii econtrario in malum iudaeis istud explicant, et cum sequentibus ita connectunt: *Nunquid franget ferrum* (simplex i. e. populus iudaicus) *ferrum aquilonare et aes?* sive chalybem h. e. Chaldaeos *). Denique Is. LX.

*) Heic mire variant interpretes. Vulg. *Nunquid foederabitur ferrum ferro ab aquilone et aes?* pro הֲיָרֹעַ legebat הֲיֵרָעַ formae יֵשַׁע *aspiciet* a rad. רָעָה *sociare se*, sociari. Audiamus S. Hieron. in h. l. *Varietatis* (interpretationum) *causa perspicua est: verbum enim* IARE, *quod in praesenti loco scriptum est, pro ambi-*



Iſ. LX. 17. *permutatione auri pro aere; argenti pro ferro; aeris pro lignis; ferri pro lapidibus*, ſignificantur bona ſpiritualia per Meſſiam conferenda.

Lapis maximum animi ſtuporem I. Reg. XXV. 37. 2. Cordis duritiem et ſtatum peccati. Ezech. II. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum.* Econtra fideles et charitate ferventes dicuntur *lapides vivi* I. Pet. II. 5. habita ratione Chriſti lapidis pretioſi et electi, ſupra quem illi ſpiritualiter aedificantur. Gen. XLIX. 24. Joſephus conſtitutus ab *omnipotente Jacobi paſtor, et lapis Iſrael*, quia Iſraelem et familiam eius pavit in Aegypto, eamque fulcivit ut lapis aedificium. Zach. XII. 3. Jeruſalem a Deo ponenda dicitur *lapis oneris* cunctis populis; ita ut omnes, qui levaverint eum, conciſione lacerandi ſint, et confringenda adverſus eum omnia regna terrae. Hunc in textum ſic ſcribit S. Hieron. *Mos eſt in urbibus Palaeſtinae, et usque hodie per omnem Judaeam vetus conſuetudo ſervatur, ut in viculis, oppidis, et caſtellis rotundi ponantur lapides graviſſimi ponderis, ad quos iuvenes exercere ſe ſoleant, et eos pro varietate virium ſublevare, alii usque ad genua, alii usque ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli ſuper verticem erectis iunctisque manibus, magnitudinem virium demonſtrantes, pondus extollant* cet. Hac autem metaphora ſignificatur futurum, ut, qui vires in Eccleſia expugnanda periclitari voluerit, is huic oneri ſuccumbat, imo vi et potentia ſummi lapidis illius angularis, nempe Chriſti, conteratur.

Ex

ambiguitate pronunciationis, et AMICITIAM ſonat, et MALITIAM, *quod ſi pro* RES *litera, quae* DALETH *literae ſimilis eſt, legatur* DALETH, SCIENTIAM, COGNITIONEMQUE *ſignificat.*

Ex lapidicina ſive latomia elegantiſſima deducitur metaphora, qua parentes et familiae origo deſignatur. Iſ. LI. 1. *Adtendite ad petram, unde exciſi eſtis, et ad cavernam loci* (ſive foveae) *de qua praeciſi eſtis.* Heic per *petram* intelligitur Abraham, et per *cavernam* Sara, ut ℣. ſeq. explicatur. Recte autem Abrahamus cum petra, cui ſimilis erat, corpore emortuo: Sara vero cum caverna ſeu ciſterna, et quidem aquis carente ob eius ſterilitatem, conferuntur. Huius autem loci ſenſus eſt: quemadmodum omnipotentia mea effeci, inquit Dominus, ut Abraham iam effoetus, et Sara ſterilis vos genuerint: ita promiſſa mea de veſtra conſolatione complere, in me ſitum eſt; ſequitur enim ℣. 3. *Conſolabitur ergo Dominus Sion.* Quae promiſſio ad Eccleſiam N. T. pertinet.

Sal, de hoc vide ſupra cap. I. §. V. Huc referendum illud Marc. IX. 48. *Omnis enim igne ſalietur, et* (h. e. ſicut) *omnis victima ſale ſalietur.* Rationem reddit Chriſtus, quur vermis, qui damnatos rodit, non moriatur; et ignis, qui eos adurit, non extinguatur; nempe quod vermis, ignis, et ipſi damnati igne *ſalientur*; proindeque corruptionis ſint expertes, et aeternum duraturi; ut ſal rebus aſperſum, eas ſervat a putredine. Porro hic reſpexit Chriſtus ad legem Lev. II. 13. qua ſibi cum victima qualibet ſalem offerendum praecipit Deus. Improbi autem ſunt victima vermi nunquam morituro, et igni nunquam exſtinguendo, h. e. ſuppliciis aeternis deſtinata.

Variae etiam habentur metaphorae, quae derivantur a terrae naſcentibus.

Semen eſt verbum Dei, quod in hominum cordibus quaſi ſeritur et plantatur, ut ibi radices agat, et

 fructus



fructus Deo gratos adferat. 2. Credentes et fideles. Jerem. II. 21. *Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Verbum *seminare* Deo tributum, benedictionem eius, et hominum multiplicationem ab eo factam denotat. Jerem. XXXI. 27. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israel, et domum Juda, semine hominum, et semine iumentorum* i. e. homines et iumenta multiplicabo. Cui contrarium est Nah. I. 14. *Non seminabitur de nomine tuo amplius*, h. e. intercides et peribis, nulla supererit nominis tui memoria. Hoc verbum hominibus varie tribuitur tum in bonum, tum in malum. In bonum Psal. CXXV. 5. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent* est proverbialis loquutio: solet enim tristibus laeta succedere. In malum Prov. XXII. 8. *Qui seminat iniquitatem, metet mala.* Vide Job. IV. 8. Galat. VI. 8. Denique verbum istud de corporibus humanis usurpatum, mortem et sepulturam eorum denotat. I. Cor. XV. 42. *Seminatur* (corpus) *in corruptione, et resurget in incorruptione*, i. e. in terra sepelitur.

Radix plantae basis, et adcretionis omnis principium ponitur pro quavis origine, causa et fundamento rei. Item pro prospero rerum statu. Job. XXIX. 19. *Radix mea aperta est* (i. e. explicata, diffusa) *secus aquas;* sumta metaphora ab arboribus, quarum radices aquarum copia inrigantur: sum velut arbor, cuius radices sunt secus aquas, ab iisque iugiter et sine defectu humorem suum adcipiunt. hinc phrasis: *radices agere* pro bene se habere, multiplicari. Job. V. 3. *vide stultum radices agentem* Vulg. *firma radice* h. e. feliciter agentem. Econtrario, *radicis exsiccatione* impiorum interitus denotatur. Job. XVIII. 16.

Ramus

Ramus denotat profperitatem fub imagine arboris crefcentis, virentis, vigentisque - adumbratam. Gen. XLIX. 22. hebraeum ita habet: *filius foecundae* feu *frugiferae* (arboris) *Jofeph*, *filius foecundae*, *iuxta fontem:* (cuius) *filiae* (i. e. rami) *difcurrunt fupra murum* h. e. Jofeph eft veluti ramus foecundae arboris iuxta aquam plantatae, cuius rami fupra vel fecundum muros expanduntur. Job. XXIX. 19. *Radix mea aperta eft fecus aquas, et ros morabitur* בִּקְצִירִי LXX. ἐν τῷ θερισμῷ μȢ Vulg. *in meffione mea.* At קָצִיר eo loci melius exponitur *ramus*, ut cap. XVIII. 16. fenfus eft: *Dei benedictione fuperius* et inferius, i. e. undequaque irriguus ero. If. LX. 21. Ecclefia Chriftiana dicitur *germen* five *furculus plantationis Dei*, quia eam Chrifto vitae arbori quafi implantatam fingulari ratione curat, fovet, fpiritu fuo vegetat.

Germen, germinare fignificat beneficia Dei tum corporalia, tum fpiritualia. Pfal. CXXXI. 17. *Illic germinare faciam cornu David* Vulg. *illuc producam cornu David* i. e. fublimitatem, robur et ftabilitatem regni David in pofteris fuis. Metaphora defumta a quadrupedibus quibusdam, quorum ornatus praecipuus et roboris exerendi inftrumentum eft cornu. In fenfu fublimi *cornu David* eft Chriftus Meffias, qui ex eo natus eft.

Denique verbum *revirefcere* five *reflorefcere* de animo, benevolentia et amore ad benefaciendum excitato eleganter ufurpatur. Philipp. IV. 10. *Gavifus fum autem in Domino vehementer*, *quoniam tandem aliquando* ἀνεθάλετε *refloruiftis pro me fentire:* *ficut et fentiebatis:* h. e. quod feciftis, ut priftina veftra in me charitas ac benevolentia quafi *revirefceret* et *refloreret.* Econtrario de gaudio dicitur, quod *arefcat*, quum illud perit ac tollitur. Joel I. 12. *quia aruit gaudium a filiis hominum.* Vulg. *quia*

R 2 *con-*

confusum est gaudium a filiis hominum, ita quoque LXX. הֹבִישׁ retulerunt ad verbum בּוֹשׁ *confundere*, quod formam verborum quiescentium Pé (י) imitatur.

Flos in sermone hebraeo, uti frequenter et in latino, prosperitatem denotat. Is. V. 24. *sicut devorat stipulam lingua ignis; sic . . .* פִּרְחָם *flos eorum* Vulg. *germen eorum* (improborum) *ascendet*, i. e. evanescet prospera eorum fortuna. Sic et verbum *florere* significat omnimodam prosperitatem. Quia vero *flos* facile decidit et flaccet, pro fluxu, fragili et caduco ponitur. Is. XXVIII. 1. *Vae coronae superbiae, et flori decidenti* ℣. 4. *Et erit flos decidens gloriae exsultationis eius.*

Fructus metaphorice adcipitur pro rei effectu sive mercede; idque tum in *bonum*, tum *in malum*. Psal. LVII. 12. *Si utique est fructus iusto* i. merces bona. In malam partem, Jerem. VI. 19. *Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius*, h. e. *retributionem operum ipsorum*, ut interpretatur Chald. Ipsa etiam opera sive bona mala, *fructus* dicuntur. Vide Matth. III. 8. Is. X. 20. *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur* h. e. animadvertam in mala eius opera. Ratio metaphorae est, quod homines et pii et impii cum arboribus bonis et malis conferantur, quarum illae bonos fructus illae vero malos adferant. Sic verbum *fructificare Deo* Rom. VII. 4. Significat bona opera, quae ab eo proficiscuntur. Econtrario *fructificare morti*, est mala opera exercere, quae mortem animae deferunt. Alia metaphora, *fructus labiorum*, sermonem significat. Is. LVII. 19. *creavi fructum labiorum pacem* i. e. sermonem, ut Chald. interpretatur. Feci seu faciam, ut labia tum eorum, qui longe, tum eorum, qui prope

pe ſunt, nonniſi pacem ac tranquillitatem loquantur. Ita et verbum נוב *germinare*, Prov. XII. 31. *Os iuſti* יָנוּב *germinabit ſapientiam* i. e. loquetur.

Planta, ſi Deo tribuatur, Eccleſiam eius ſignificat. Iſ. V. 7. *Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt: et vir Juda* נְטַע שַׁעֲשׁוּעָיו *planta deliciarum eius.* Unde Matth. XV. 13. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coeleſtis, eradicabitur*, qua metaphora impios, hypocritas notat Chriſtus.

Verbum *plantandi* Deo tributum, ſignificat formare ſeu facere. Pſal. XCIII. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet?* i. e. qui formavit. 2. In ſpecie benedicere, augere, feliciter donare. Exod. XV. 17. *Introduces eos* (Iſraelitas) *et plantabis eos in monte haereditatis tuae* h. e. firmabis, ſtabilies, multiplicabis. *Plantandi* verbo contrarium eſt *evellendi*, quod eiicere, et benedictionem amovere, deſtruere et punire ſignificat. *Plantandi* nomen tribuitur miniſtris Eccleſiae, qui doctrina ſua mores bonos implantare, et perverſos ecorde hominum evellere debent.

Ab *arbore* et *ligno* multae ducuntur metaphorae. Sic *lignum ſublime* ſunt ſuperbi, *lignum humile*, quod Deus exaltat, ſunt pauperes, abiecti et contemti. Ezech. XVII. 24. Sapientia Prov. III. 18. dicitur *lignum vitae*. Arborum putatione et omnimoda deiectione, populi excidium denotatur. Iſ. X. 18. et 34.

Spinae ob maximum, quem pungendo inferunt dolorem, ſignificant pravos noxiosque homines. Num. XXXIII. 55. *Sin autem nolueritis interficere habitatores terrae: qui remanſerint, erunt vobis in ſpinas in oculis, et lanceae in lateribus.* Item obiecta impedimenta. Oſ. II. 6.

 Pro-



Propter hoc, ecce ego sepiam viam tuam spinis. Jerem. IV. 3. *Serere super spinas* est peccata peccatis addere, vel irrito labore seminare.

Arundo, debilis frutex, qui vel levi aura agitatur, denotat 1. homines inconstantes, leves, et in fide vacillantes. Matth. XII. 7. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* 2. Adflictos et contritos. Is. XLII. 3. *Arundinem quassatam* (Vulg. *calamum quassatum*) *non confringet* Messias, imo consolabitur. 3. Auxilio ferendo impares, insuperque pravos et noxios, quibus cum damno, ut arundineo baculo confracto et manuum laedente confiditur. IV. Reg. XVIII. 21. *An speras in baculo arundineo atque confracto Aegypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, et perforabit eam.* Huc pertinet *Iuncus*, quo infimae sortis et conditionis homines significantur. Is. IX. 14. *Et disperdet Dominus ab Israele, caput et caudam,* כִּפָּה וְאַגְמוֹן *ramum et iuncum*, h. e. ut interpretantur LXX μέγαν καὶ μίκρον *magnum et parvum.* Vulg. in utroque versu *incurvantem* et *refraenantem* transtulit, respexitque ad verbum כָּפַף (unde כִּפָּה) quod significat *incurvare;* et ad significatum alterum nominis אַגְמוֹן, quod κρίκον circulum interdum vertunt LXX, ut Job. XL. 21.

Absinthium et רֹאשׁ, quae vox ultima est *cicuta* ob ingratum saporem, et summam amaritudinem denotat culpas et peccata. Deut. XXIX. 17. *Ne forte sit . . . inter vos radix germinans* רֹאשׁ וְלַעֲנָה *cicutam et amaritudinem.* LXX ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ *in felle et amaritudine* Vulg. *fel et amaritudinem.* In his versionibus est metonymia effectus pro causa. Vide Psal. CXXXIX. hebr. CXL. 10. ubi Vulg. vocem רֹאשׁ in primaria eius significatione adceperunt.

§. XIII.

§. XIII.

Metaphorae ab animalium partibus et membris desumtae.

Partes et membra animalium eo fere ordine recensentur, quo a natura ipsa disponuntur. Itaque

Cornu quadrupedum quorundam ornatus praecipuus et roboris exserendi, seque tuendi instrumentum, generatim loquendo significat in hominibus tum potentiam, virtutem, gloriam et fortitudinem. I. Reg. II. 1. *Exaltatum est cornu meum in Deo meo* i. e. gloria mea, virtus mea. Haec phrasis frequentissime occurrit in Psalmis. Heinc phrasis: *cornu petere*, potentiam adversus hostes exserere significat. In aliis rebus *cornu* significat 1. locum eminentiorem Is. V. 1. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei* h. e. in loco sublimi et pinguissimo. 2. splendorem et radium rutilantem cornu similem. Habac. III. 4. *splendor eius* (Dei) *ut lux erit: cornua in manibus eius* h. e. splendores; vel, ut nonnullis placet, robur et potentia. Atque inde verbum קָרַן *in modum cornuum radios diffundere, coruscare, splendere* significat. Vide Exod. XXXIV. 29.

Os, oris, qui concavum patulumque est, et mordendi in animali instrumentum significat 1. orificium, aditum, et patens foramen, sicque tribuitur *sacco, puteo, speluncae, urbis portae, rivo* cet. 2. Aciem gladii, qua veluti mordet, caedet etc. sic frequenter occurrit: *in ore gladii.*

Mordere (נָשַׁךְ) significat hostium invasionem, spoliationem, lacerationemque ab illis factam. Habac. II. 7. *Numquid non repente consurgent, qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis?* 2. dolo-



res corporis. Prov. XXIII. 32. *In novissimo mordebit* (vinum plus aequo haustum) *ut coluber*, *et sicut regulus venena diffundet:* certe vinum sic hilariter et liberalius haustum dolores gignit in capite, stomacho, et toto corpore acerrimos, morsibus serpentum persimiles, lippientes causat oculos, foetentem halitum, membra tremula, paralysin, podagram, vertigines, et tandem ut venenum, enecat. 3. Usuras, quibus facultates alterius quasi paulatim admordentur, corroduntur et consumuntur. Quare usura dicitur נֶשֶׁךְ *a mordendo*

Comedere (אָכַל) quod metaphorice est perdere, consumere. Exod. XV. 7. *Misisti iram tuam*, quae יֹאכְלֵמוֹ *comedet* vel *consumsit eos* (hostes) *sicut stipulam* h. e. perdidit, consumsit. Vide Psal. XIII. hebr. XIV. 4. cet. Huc etiam spectat verbum *absorbere*, eiusdem cum priore significationis: quum autem, quae absorbentur, ea ex oculis remota abscondantur, idem verbum *tegere* vel abscondere significat. Vide Num. IV. ℣. 20. Ab eodem verbo deducitur vox *haustus* (מְגַמָּה) quae genti Chaldeorum praedatrici tribuitur. Habac. I. ℣. 9. *Omnes ad praedam venient* מְגַמַּת פְּנֵיהֶם קָדִימָה *haustus faciei ipsorum ad Orientem* h. e. quidquid vel solo aspectu absorbuerint, i. e. quidquid aspexerint et rapere decreverint, id destinabitur ab eis deportandum in Chaldaeam sive Babyloniam, ad orientem Judaeae sitam. Vulg. *facies eorum ventus urens*, neglexit vocem מְגַמַּת et קָדִימָה pro vento urente sumsit. Nec male; nam קָדִים cum ה paragogico קָדִימָה (ut ex לַיִל fit לַיְלָה) ventum orientalem, eumque urentem significat. Vox מְגַמָּה apud Rabbinos significat etiam *aspectum*, seu quod aspicitur, aut oculis opponitur.

Lam-

Lambere (לָחַךְ) quod hominibus tributum, delere, consumere cet. significat. Num. XXII. 4. . . . . ילחכו *lambent* (Vulg. *delebit*) *hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur*, כִּלְחֹךְ *quomodo lambit bos* אֵת־יֶרֶק הַשָּׂדֶה *herbam agri.* LXX τὰ χλωρὰ ἐκ τȣ̃ πεδίȣ *herbas virides ex agro* Vulg. *quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere*, videntur legisse הַשֹּׁרֶשׁ *radix* pro הַשָּׂדֶה ager.

Dens metaphorice sumtus significat *promontorium*, sive scopulum acutum, et more dentis prominentem. I. Reg. XIV. 4. *Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum, dens petrae a transitu inde, et dens petrae a transitu inde*, h. e. ut elegantissime reddidit Vulg. *eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli heinc, et inde praerupti.* Dentes hominibus adtributi, virulentiam, et potentiam hostilem designat, sumta metaphora a belluis, quae dentibus ut plurimum pugnare, laedere et discerpere solent. Psal. III. 8. *dentes peccatorum contrivisti* h. e. potentiam confregisti.

Cervix, si cum verbo *indurare*, vel cum nomine *durus*, iungatur, contumaciam, protervitatem, mentem rigidam et indocilem significat. Ducta est metaphora ab equis, aliisque iumentis indomitis, quae cervicem suam huç illuc ad nutum sessoris inflecti non sinunt, sed fraeno reluctantur. phrasis frequens: *populus durae cervicis.* Heinc verbum עָרַף *decervicare, decollare* metaphorice etiam significat *diruere*, confringere. Os. X. 2. *Ipse* (Deus) *confringet simulacbra eorum, et* יַעֲרוֹף *decollabit* (Vulg. *depopulabitur* h. e. evertet) *altaria eorum* nempe Israelitarum.



Alae volucris, quia extima eius membra ſunt, in latum extenduntur, et volatus celeris per aera ſunt inſtrumenta, triplici ratione in metaphora uſurpantur. 1. Veſtis oram ſeu extremitatem denotant. Num. XV. 38. *Ut faciant ſibi fimbrias* עַל־כַּנְפֵי *ſuper alas* (Vulg. *per angulos*) *palliorum.* 2. Quatenus alae in altum extenduntur, latera et diſpoſitos integri exercitus ordines deſignant. Iſ. VIII. 8. *Et erit extenſio alarum eius* (exercitus Regis Aſſyriorum) *implens latitudinem terrae tuae o Emmanuel.* Vide quoque Dan. IX. 27. ubi per כְּנַף שִׁקּוּצִים *alam abominationum* legiones Romanas quidam intelligunt. LXX. autem כָּנָף interpretantur *ἱερὸν* Vulg. *Templum*, cuius longae lataeque porticus inſtar alarum ſeſe habebant. 3. Quatenus alae celeris per aera volatus inſtrumenta ſunt, ſignificant primos lucis ſolisque radios, qui ſuper omnem terram, alarum inſtar, ſubito expanduntur. Pſal. CXXXIX. 9. *ſi ſumſero* כַּנְפֵי־שַׁחַר *pennas* vel *alas aurorae*, et *habitavero in extremis maris.* h. e. ſi etiam eadem celeritate, qua aurorae radii in terram ſparguntur, ad extrema maria fugerem. Nota phraſin. Hebraei obſervantes auroram in uno puncto inluminare univerſum hemiſphaerium, dicunt rem celeriter factam, *pennis aurorae fieri.* Ventis *alae* tribuuntur ad denotandum celerrimum eorum impetum. Vela navium dicuntur *alae*, quia alarum inſtar expanduntur, et quum a ventis inflantur, celerrimi motus ſuper aquas maris inſtrumenta ſunt: unde Virgil. Aeneid. l. III. *velorum pandimus alas.*

Cor, quia interius eſt, et propemodum in medio animali ſitum, rei cuiusque medium, vel etiam interiorem partem ſignificat. Deut. IV. 11. *Adceſſiſtis usque ad radices montis, qui ardebat usque ad cor coelorum* h. e. coelos

los interiores. Vulg. *usque ad coelos*, vocem *cor* utpote ibi pleonasticam omisit: plura huius pleonasmi exempla occurrunt. Jerem. LI. 1. *Sic dicit Dominus*, *ecce ego suscitabo super Babylonem*, *et super* יֹשְׁבֵי לֵב קָמָי *habitantes cor insurgentium in me*, ubi cor insurgentium ipsa est Babylon, quae tanquam regina in medio inimicorum Dei sedebat. Eamdem loquutionem usurpavit. S. Hieron. praef. in Mich. *ergo quasi in corde voluminis positus*, ubi *in corde voluminis* dixit pro *in medio voluminis*, nempe 12. prophetarum, in cuius medio est Michaeas propheta secundum hebraeos. Eodem sensu adcipitur vox בֶּטֶן *venter*.

Cauda postrema animalis pars, cuiusque rei extremitatem notat. If. VII. 4. Rasin rex Syriae, et Phacee rex Israel *caudae titionum* adpellantur, h. e. torres extremi, pene exusti, et qui fumigare tantum possunt, minime vero urere. *Caput* et *cauda* interdum coniunguntur, et capite quidem *summum*; cauda vero *imum* sive praestantes et abiecti significantur. vide If. IX. 14. Atque inde est verbum זָנַב *decaudare*, *caudam praecidere* i. e. extremum exercitus agmen caedere.

Calcaneum pars pedis extrema metaphorice significat 1. finem, metam, terminum. 2. Emolumentum, fructum, mercedem, quae finis operis esse solet. Psal. hebr. CXVIII. 112. 3. Causam finalem *propter*, *propterea quod*. Phrasis *levare* seu *magnificare calcaneum*, hostem refractarium, et malorum machinatorem significat. Psal. XL. 10. *Qui edebat panes meos*, הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב *magnificavit contra me calcaneum*. h. e. insigniter contra me rebellavit, conatus fuit me obprimere. S. Hieron.

leva-



levabit contra me plantam. Sumta eſt metaphora ab equis calcitronibus et refractariis.

Hucusque de partibus animalium *hederogeneis* ſive *diſſimilaribus;* nunc de *homogeneis* ſive ſimilaribus.

Os, ossis, quia durum eſt, et album, duo etiam metaphorice ſignificat 1. Duritiem animi. Prov. XXV. 15. *lingua mollis confringit os.* h. e. ut interpretatur Vulg. *duritiam.* 2. Candidum inſtar oſſis IV. Reg. IX. 13. *feſtinaverunt itaque et unusquisque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus eius* (Jehu) אֶל־גֶּרֶם הַמַּעֲלוֹת *ad os graduum* h. e. ad vel in faſtigium velut os candidum, a quo ſenſu non longe recedit Vulg. *in ſimilitudinem tribunalis*, candidi videl. regum enim throni ex ebore ut plurimum conſtabant. Vel poſuerunt pallia ſua ſub pedibus Jehu, pro *oſſe* ſeu *loco oſſis graduum*, hypallage, pro loco graduum oſſeorum ſeu tribunalis oſſei i. ex ebore facti.

Medulla, quia oſſa, totumque corpus ſuaviter irrigat, eique gratum praebet alimentum; pro quovis optimo metaphorice adcipitur. Idem ſignificat

Adeps, Pinguedo, quae etiam fertilitatem terrae denotat. 2. Homines opulentos et divites Pſal. XXI. 30. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae.* 3. Rebelles, quia pinguedo animalia facit refractaria Deut. XXXII. 15. *Incraſſatus eſt dilectus et recalcitravit.* Pſal. XVI. 10. *Adipem ſuum concluſerunt:* Eſt anabathmus: quorum enim ſunt opes, eorum etiam lauta eſt vita: quorum vita lauta eſt, eorum adeps creſcit: quod autem dicit: *concluſerunt*, ſignificat magnam copiam opum; adeps enim concluſus in copia facit, ut vix membrorum adpareat diſtinctio, ita ut to *concluſerunt* ſigni-

ſignificat, undique obducti ſunt adipe iuxta illud Job. XXI. *Viſcera plena ſunt adipe* i. e. ſunt opulenti; et alibi Pſal. LXXII. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas:* i. e. iniquitas eorum ex animo obſirmato in malo et inſenſibili procedit: adeps enim ſeu pinguedo omni ſenſu deſtituitur: ſunt homines in malo inveterati. Iſ. VI. 10. הַשְׁמֵן *impingua cor populi huius* Vulg. *Excoeca*. LXX. ἐπαχύνθη *impinguatum eſt:* legebant הָשְׁמַן in praeterito Hophal.

4. Abundantem et ſupereffluentem Dei benedictionem. Pſal. LXXII. 6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima* i. e. et replear pinguiſſima tua o Deus benedictione.

Sanguis ob eius rubedinem pro eo ponitur, quod rubrum colorem mentitur. Gen. XLIX. 11. *Lavabit* (Judas) *in vino ſtolam ſuam, et in ſanguine uvae pallium ſuum.* h. e. in vino; poſterius enim iſtud hemiſtichium prioris eſt repetitio. Porro lavare ſtolam in vino, tantam liquoris huius abundantiam innuit, ut ad communes etiam lotiones adhibeatur. Luna etiam dicitur in ſanguinem convertenda Joel III. 14. quia lux eius cum umbra terrae permixta rubedinem efficit.

Lac ob dulcedinem et utilitatem eximiam in Veteri Teſtamento Meſſiae beneficia denotat. Iſ. LV. 1. *Venite, emite absque argento . . . vinum et lac.* In Novo autem Verbum Dei I. Petri II. 2. *ſicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem.* Lacti autem verbum Dei comparatur, tum ob ſimplicitatem et candorem; ſicut enim lac non eſt liquor arte humana compoſitus, ſed ab ipſa natura factus; ita Verbum Dei non homines, ſed Deum aucto-

rem



rem agnofcit. *Tum* ob iucunditatem et dulcedinem. Vide Pfal. XVIII. 11. et alibi. *tum* ob abutentium perniciem; ut enim lac non conducit febricitanti, fic improbis verbum Dei nocet, et in maiorem damnationem eis cadit. Dein *lac* fi folido cibo obpònatur, prima religionis Chriftianae rudimenta notat. I. Cor. III. 2. *Lac vobis potum dedi, non efcam, nondum enim poteratis*, fubplere ferre. Demum lac coagulatum cordis duritiem fignificat. Pfal. CXVIII. 70. *Coagulatum eft ficut lac cor eorum.* hebr. טָפַשׁ impinguatum, incraffatum; i. e. induratum eft cor eorum velut cafeus, ftupidum factum eft, ineptumque ad intelligendam legem tuam, aut ei vacandum. Vocantur autem *pingues corde*, qui nihil volunt intelligere. Eadem phrafi Amos propheta foeminas Ephraimiticas vocat vaccas pingues, obtufas, craffas, monitorum propheticorum minime capaces.

Butyrum, quod ex lacte conficitur, verba mollia, blanda, et adulatoria fignificat. Pfal. LIV. hebr. LV. 22. חָלְקוּ מַחְמָאֹת פִּיו *mollia funt, butyrina funt* (verba) *oris eius*, וּקְרָב־לִבּוֹ *et pugnare* vel *pugnat cor eius.* *) i. e. Verum tamen cor illius pugnam adverfus me cogitat: blande loquutus eft Achitophel, fed bellum cor illius.

§. XIV.

*) Vulg. lat. *divifi funt ab ira vultus eius, et adpropinguavit cor illius. Pro* חָלְקוּ cum LXX. legebat חֻלְּקוּ in pual, *divifi funt*, quae eft primaria huius vocis fignificatio. deinde loco מַחְמָאֹת legeb. מֵחֲמָאת ab חֵמָה *ira, furor* cum א antiqua vocali a denique pro וּקְרָב־ legebant וְקָרַב *et adpropinguavit*, quod primario verbum iftud fignificat: vel infinitivum heic pofitum effe pro praeterito vel praefenti crediderunt.

§. XIV.

Metaphorae aliae ab Animalibus derivatae.

Fera, bestia, de his vocibus actum ſatis ſupra in hebraiſmis e re agraria et paſtoritia depromtis cap. I.

Jumentum (בְּעִיר unde nomen בַּעַר *brutus*) hominem ſtupidum, rudem, imperitum, ſtultum, ac bruto ſimilem ſignificat. Pſal. LXXII. 22. וַאֲנִי־בַעַר *Ego autem ſtultus*, Sym. *eram autem imperitus.* Metaphorae ſenſum expreſſit. LXX. καγὼ ἐξεδενωμένος *et ego ad nihilum redactus ſum.* Hi forte pro בַּעַר legebant בְּעַר *in nuditate*, vel *ad nuditatem*, a verbo עָרָה *nudavit*, unde רַע *nuditas*, formae קַו et cum praepoſitione ב *in* vel *ad; ego autem ad nuditatem* redactus ſum h. e. omni ope deſtitutus. Vel ſenſum, non verbum reddiderunt. S. Hieron. *Et ego inſipiens et neſcius*, nihil ſciens, reſtringe, de hoc myſterio, quare ita impii proſperentur: et ſic circa hoc punctum *eram apud te* i. e. coram te *ut iumentum.* Nota hic faciendum punctum: dein incipit novus verſus.

Onager (פֶּרֶא) ut plurimi hanc vocem interpretantur, ferum hominem, ſignificat. Gen. XVI. 12. *Hic* (Iſmael) erit פֶּרֶא אָדָם *onager homo* Vulg. *ferus homo* LXX. ἄγρωστος ἄνθρωπος *ruſticus homo.* Theod. ἔρημος ἄνθρωπος *deſertus homo* i. e. inmidis et bellicus, cuius *manus contra omnes*, *et contra quem manus omnium*, quibus in locis homo cum פֶּרֶא *fera* ſive *onagro* ob ſtuporem et indomitam naturam comparatur. Huc pertinet, quod ait S. Paulus I. Cor. XV. 32. ſe Epheſi θηριομαχῆσαι *cum beſtiis* ſeu *ad beſtias pugnaſſe*, quibus ex nonnullorum ſententia intelligendi ſunt increduli et pertinaces iudaei, quibus



quibuscum *per tres menses de regno Dei disputavit.* Act. XIX. 8. 9. Neque enim verisimile est, Paulum, si revera feris obiectus fuisset, ut volunt quidam, nullam huiusce periculi mentionem facturum fuisse, dum II. Cor. XI. 23. potiores et omnium maximas calamitates suas, quas inter cum bestiis conflictus non ultimum sane obtinuisset locum, enumerat. Quod autem ait κατ' ἄνθρωπον *secundum hominem* supple λέγω *dico*, id ita intelligendum est, q. d. ut more hominum i. e. in sensu metaphorico loquar, quae phrasis in similitudinibus infrequens non est. Is. XI. ỳỳ. 6. 7. 8. 9. Variae animalium species et societas enumerantur, quibus gentium efferarum ad Ecclesiam vocatio, et eiusdem ex multis populis conlectio intelligitur. Vide etiam c. LXV. 25.

Ad animalium generalia pertinent eorum quaedam effecta et adiuncta, qualia sunt, PASCERE, DEPASCERE, quod metaphorice significat perdere Psal. XLVIII. 15. *Mors depascet eos* i. e. perdet: fruges enim et gramina perduntur, dum ea ab animalibus pascuntur. 2. More pecorum oberrare Num. XIV. 33. *Filii vestri erunt* רֹעִים LXX. νεμόμενοι *pascentes in deserto quadraginta annis.* Metaphora sumta est a pastoribus, qui uno in loco non subsistunt, sed herbis ibi consumtis ad alium demigrant. 3. Secure bonis frui. Is. XIV. 30. *Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent.* Heic coniunctionem *Et* recte etiam verteris *id est*, est enim prioris repetitio.

VENARI in malum fere semper adcipitur, pro insidiari, mala machinari cet. ferarum enim venatores variis technis et insidiis solent eas in rete inducere. Exod. XXI. 13. *Qui autem non* צָדָה *venatus est*, Vulg. *insidiatus est.*

est. Heinc Gen. X. 9. Nemrod dicitur *robustus venator coram Domino* h. e. tyrannus, obpressor, cet. qui valere iussa non hominum modo, sed ipsius etiam Numinis reverentia, quod innuunt voces *coram Domino*, in alios homines imperitando grassabatur. Pro eadem loquutione *coram Domino* confer Gen. VI. 11. et XIII. 13.

Huc pertinet Habac. II. 17. *Quia violentia* (Vulg. *iniquitas) Libani* (i. e. qua venatores in feras Libani uti solent) *operiet* seu *obruet te*, (Babylon) *et vastitas animalium* (quae) *deterrebit* vel *deterret ea*, (repete ex praecedenti membro *obruet te*) *de sanguinibus hominum* cet. h. e. propter sanguinem hominum, quem fudisti, et iniquitatem seu violentiam, quam terrae Israelis, urbi Jerusalem, eiusque habitatoribus intulisti.

Laqueos ponere seu inlaqueare, metaphorice sumtum, idem significat, ac *venari*, nempe insidiari, perdere. Deut. VII. 16. *Non servies diis eorum* (populorum idolatrarum) כִּי־מוֹקֵשׁ הוּא לָךְ *quia inlaqueans* (erit) *te* quilibet ille Deus alienus i. e. perdet. Vulg. *ne sint in ruinam tui.* Verbum istud de facultatibus seu bonis usurpatum, ea intervertere, et ad se rapere significat. Psal. CVIII. 11. יְנַקֵּשׁ *inlaqueet* (Vulg. *scrutetur*) *foenerator omnem substantiam eius*; i. e. exactor crediti diligenter inquirat omne, quod habet, ut illud sibi obstrictum teneat, aut pro contracto debito exigat. Item obligari alicui ad satisfaciendum. Prov. VI. 1. Fili mi! *si spoponderis pro amico tuo* i. e. proximo tuo, *et* (supple *si*) *defixisti apud extraneum manum tuam* i. e. dando manum fidem tuam obstrinxisti (vetustissima fuit apud orientales populos consuetudo, manu mutuo oblata, promissiones, sponsionesque suas ratas faciendi) *inlaqueatus es*

verbis



verbis tuis. Praeceptum oeconomicum de non fide iubendo faepius hoc libro repetitum, non quod fpondere vetet, qui et largiri praecipit c. III. 27. 28. Sed interim haec vitanda monet; primum ne falfo pudore ac nimia facilitate te obliges; alterum ut obligatus quam primum exfolvi te cures, ne diligens licet paterfamilias aliena indiligentia atque incuria pereas.

Heinc LAQUEUS, RETE adcipitur pro damno, exitio. Pfal. LXVIII. 23. *fiat menfa eorum coram ipfis in laqueum, et in retributiones et in fcandalum.* Refertur ad id, quod dixit de felle: ficut ipfe felle me potaverunt, ita viciffim eorum menfa feu eorum cibus vertatur ipfis in laqueum feu exitium: et pro retributionibus feu pro expectata mercede habeant fcandalum feu ruinam; funt enim retributiones omnes res, quas aliquis expectat ut charas; verbo: felicitates vertantur in ruinam.

MACTARI, MACTATIO, quae beftiis competunt, hominum occifionem violentam a Deo per hoftes inlatam defignant. If. XXXIV. 6. *Victima enim Domini in Bofra et* טֶבַח *mactatio* (Vulg. *interfectio*) *magna in terra Edom.*

De animalibus *in fpecie* defumuntur quoque elegantes metaphorae.

LEO rex animalium *in bonum* et *in malum* fumitur. Gen. XLIX. 9. Judas dicitur *catulus leonis* ob robur, potentiam, et tribus illius prae aliis eminentiam. Ezech. XLIII. 15. 16. altare holocauftorum adpellatur אֲרִיאֵל *leo Dei*, quae vox compofita eft ex אֲרִי *leo* et אֵל *Deus*, vel quia victimarum fanguine maderet, ut leo praedam difcerpens; vel quia holocaufta fibi impofita, quafi inmitis leo, voraret, i. e. igne perpetuo abfumeret.

Eodem



Eodem nomine Jerusalem vocitatur Iſ. XXIX. 1. 2. quod ferox extiterit adverſus Deum et prophetas eius, quos occidit, perinde ac ſi leo agnum diſcerperet. Vel quia circumdanda erat ſanguine occiſorum, ſicut circumdabatur altare ſanguine ſacrificiorum in die feſti.

In malum ſignificat hoſtes truculentos vel tyrannos. Pſal. XXI. 22. *ſalva me ex ore leonis.* Pſal. XXXIII. hebr. XXXIV. 11. כְּפִירִים *leunculi depauperati ſunt et eſurierunt.* Optime Vulg. *Divites eguerunt;* nempe qui non ſolum opibus abundant, ſed opibus iniuſte acquiſitis elati ſunt: apte igitur pro *divitibus* ſumuntur *leunculi*, in quibus licet ſit robur, ut quaerant eſcam; ſubinde tamen egent, et famem patiuntur, nec prodeſt eorum virtus. Diabolus quoque *leoni rugienti* comparatur. *Rugitus* etiam, qui leonum proprius eſt, adcipitur 1. de violentia et tumultu hoſtili. Iſ. V. 29. Zach. XI. 3. 2. de tonitru, Job. XXXVIII. 4. 3. de gemitibus et clamoribus dolentium. Pſal. XXI. 2. *longinguus a ſalute mea, verbis* שַׁאֲגָתִי *rugitus mei.* Eſt anthropopatheia, quaſi Deus eſſet remotus, ita ut non audiat verba rugientis ſeu lamentantis. Vulg. *verba delictorum meorum* videtur legiſſe שְׁגָגָתִי ſumendo א pro antiqua vocali.

Unicornis ſaevum animal dictum רֵם quod uno cornu fortiſſimo et alto praeditus erat, de quo ſupra, ſignificat virulentos hoſtes. vide Pſal. XXI. 22. Idem ſignificant *Aper* ſeu *porcus ſylveſtris*, *Urſus*, cet. Sumuntur pro ſaevo tyranno: Prov. XXVIII. 15. *Leo rugiens et urſus eſuriens, princeps impius.* 2. Significat Deum poenas infligentem. Thren. III. 10. *Urſus inſidians factus eſt mibi* (Deus) *leo in abſconditis.* Alii utrobique comparationem eſſe volunt, ſubintellecta particula *ſicut*, quae non raro deſideratur.



Lupus animal faevum et rapax homines item feroces, fortes, avaros et crudeles denotat. Gen. XLIX. 27. *Beniamin lupus rapax*, qua metaphora S. Patriarcham vaticinari robur et virtutem bellicam Beniamitarum, qui bis in praelio filios Ifrael fuderunt. Omnes fere Patres latini hoc vaticinium de S. Paulo intelligunt, qui ex tribu Beniamin originem traxit, quique ante converfionem in chriftianos faeviit: at factus ex lupo diaboli lupus Dei, fpolia gentium detraxit diabolo, Chrifto et Ecclefiae divifit. In Novo Teftamento lupis feductores hxpocritae, qui induti funt veftimentis ovium, intus autem funt lupi rapaces; item doctrinarum peftiferarum auctores defignantur.

Cerva, quae velociffime fugit, in rebus feliciter agendis celeritatem indicat. Gen. XLIX. 21. *Nephtali cerva emiffa, et dans eloquia pulchritudinis.* Vulg. *Cervus emiffus*. Hebr. אילה et *cervum* et *cervam* fignificat; animalium enim nomina utpote ἐπίκοινα fexum utrumque fub una eademque terminatione comprehendunt. Nephtali itaque dicitur cervus emiffus, five cerva emiffa, ob celeritatem, qua Barac ex tribu Nephtali Debora adiutus, Sifarae exercitum fudit. Quod autem fequitur: *et dans eloquia pulchritudinis*, ad fuave illud Baraci et Deborae carmen ἐπινίκιον refpicit, quod Jud. V. defcribitur. Vide etiam Prov. V. fupra cap. XIX.

Equus et hinnitus eius libidines efferas fignificat. Vide Jerem. V. 5. Eodem fenfu

Asinus una cum equo Ezech. XXIII. 20. *Et infanivit* (Jerufalem) libidine *fuper concubitum eorum*, (Aegyptiorum) *quorum carnes funt ut carnes afinorum, et ficut fluxus equorum, fluxus eorum.* Heic *carne* denotatur membrum

brum virile, Lev. XV. 2. et *fluxu* semen. Ea vero metaphora turpissimam iudaeorum idololatriam significat. Huc pertinet verbum *equitare*, quod metaphorice sumtum *dominari* et *excelsum esse* significat; quemadmodum equo insidens eum regit et gubernat. Deut. XXXII. 13. יַרְכִּבֵהוּ *equitare fecit eum* (populum suum Dominus) *super excelsam terram*, i. e. *constituit*. Terra autem Chanaan *Excelsa* dicitur ob montes, qui in ea frequentissimi sunt. Psal. LXV. 12. *Equitare fecisti* (הִרְכַּבְתָּ) *bohomines super capita nostra*. Vulg. *Posuisti homines*. i. e. permisisti, ut homines nobis uterentur velut iumentis, quibus miserrimam et abiectissimam servitutem et subiectionem exprimit Propheta.

Fraenare seu *fraenum imponere* significat violentiam hostium potenter inhibere et avertere. Is. XXXVII. 29. *Ponam ergo circulum in naribus tuis, et fraenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti.* Sic loquitur Dominus de Sennacheribo. Vide etiam c. XXX. 28. 2. Decenter prudenterque moderari, si linguae tribuatur. Iac. III. 2. *si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir, potest etiam fraeno circumducere totum corpus.*. Job. XXX. 11. כִּי יִתְרוֹ פִתַּח וַיְעַנֵּנִי וְרֶסֶן מִפָּנַי שִׁלֵּחוּ (יִתְרִי Massor) *Quia pharetram suam aperuit* (Deus) *et adflixit me: et fraenum a facie mea abiecerunt* subditi mei. Secundum lectionem Mass. *quia funem meum solvit* (quilibet e subditis meis) *et adflixit me, et fraenum a facie mea abiecerunt* h. e. solvit cingulum, quo eum constrigebam, et fraenum a facie mea abiecerunt, i. e. iugum in praesentia mea, vel coram facie mea excusserunt. Fune seu cingulo, et iugo significatur imperium ex parte Jobi, ex parte vero subditorum obedientia. Vulg. *Pharetram*



tram enim suum aperuit (Deus) *et adflixit me, et fraenum posuit* (leg. שִׁלְּחוֹ) *in os meum* quilibet e subditis meis, vel Deus ipse, qui iumenti loco me habuit: sicque ad Deum refert. Melius tamen posterior pars cum LXX. ad Jobi subditos refertur: sagittas suas in me misit Deus, i. e. adflixit me, quod videntes subditi mei, me praesente, iugum excusserunt.

Asinus insuper significat ignaviam. Gen. XLIX. 14. יִשָּׂשכָר חֲמֹר גָּרֶם רֹבֵץ בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם *Issachar asinus ossis* (i. e. *asinus fortis* Vulg.) *cubans inter terminos* suos h. e. Issachar quidem fortis, sed ignavus instar asini, intra limites suos continebit se, nec eos bello extendere curabit. LXX. Ἰσσάχαρ τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, ἀναπαυόμενος ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων. *Issachar bonum vel pulchrum desideravit, requiescens inter terminos suos.* Pro חֲמוֹר legebant חָמַד *concupivit, desideravit*, et τῷ גָּרֶם adfingebant etiam sensum *boni, pulchri, solidi*, a quo non multum recedit apud Rabbinos, quibus est *substantia, corpus.* Itaque sub hac asini metaphora pingitur Issachar fortis quidem, at quietis amore et agri amenitate captus, nihil praeclari gesturus, domique residens, ignaviter sibi tributa indici passurus. Heinc sequitur ℣. 15. *Vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima, et subposuit humerum suum ad portandum,* וַיְהִי לְמַס עֹבֵד LXX. Καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργὸς *et factus est vir agricola.* Quum metaphoram hoc in versu non agnoverint illi interpretes, sensum non verba expresserunt. Aq. ἄνθρωπος εἰς φόρον δουλεύων . . *homo sub tributo*, seu ut Vulg. *tributis serviens.* Agricolae ut plurimum, tributis obprimuntur, a quibus inmunes sunt milites.

Bos,

Bos, TAURUS hominem violentum, crudelem. vide fupra c. I.

VITULA triennis five *conternans*, ut interpretatur Vulg. luxum et lafciviam denotat; vaccae enim triennes et faginatae, quaeque partus et iugi laborum ignarae funt, ferocire et luxuriari folent. If. XV. 5. *Cor meum ad Moab clamabit, vectes eius* (i. e. et ad vel fuper munitiones eius) *usque ad Segor* עֶגְלַת שְׁלִישִׁיָּה *vitulam conternantem* h. e. totis viribus clamabo fuper Moabiticam regionem, et urbes eius munitiffimas, ita ut clamor meus audiatur et pertingat usque ad Segor, quae inftar vituli triennis ob rerum abundantiam luxuriatur. עֶגְלַת hic eft in regimine pro abfoluto, vel fubintelligitur שָׁנָה *annus* fic: עֶגְלַת שָׁנָה שְׁלִישִׁיָּה *vitula tertii anni*, i. e. trima. Vide Jerem. XLVI. 20. Of. X. 11. Ephraim dicitur *vitula docta diligere trituram*, non vero arationem; qua metaphora Ifraelitarum, quos heic per fynecdochen fignificant Ephraimitae, felicitas innuitur; triturae enim labor levis et gratus eft, quum in ea fubpeditat victus abundantiffimus, fecundum illud Deut. XXV. 4. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.* Huc pertinet

JUGUM, quo boves adligantur ad trahendum aratrum, aut currum, quod metaphorice fignificat 1. Doctrinam, et certam agendi rationem, quae homines ad certum vitae genus, ficuti iugum boves ad certum laborem adftringit. Jerem. V. 5. *Confregerunt iugum* (optimates) *fregerunt vincula.* Chald. *rebellarunt a lege, recefferunt a doctrina.* Heinc בְּלִיַּעַל *Belial* vertitur etiam *absque iugo*, qui iugum doctrinae et difciplinae excuffit. 2. Moleftias, adflictiones, aerumnas, obpreffiones praefertim tyrannorum, Dominorum et Magiftratuum.

S 4 Boves

Boves enim ſub iugum conligati varia onera trahere coguntur, atque inſuper ſtimulis aut flagris a duris gubernatoribus in eos animadvertitur. Lev. XXVI. 13. *Ego Dominus Deus veſter . . . qui confregi lora iugi veſtri.* Vulg. *catenas cervicum veſtrarum.* Jugum vocatur lex Moſaica, maxime circumciſio Act. XV. 10. Item matrimonium. II. Cor. VI. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus* h. e. nullum cum commercium, maxime quod ad matrimonium adtinet, habeatis.

Canis vide ſupra cap. 1. Ob vilitatem infimos quosque homines. IV. Reg. VIII. 13. *Dixitque Hazael: quid enim ſum ſervus tuus canis.* i. e. homo viliſſimus. Heinc *mortuus canis*, *caput canis.* 2. ob impudicitiam et obſcoenitatem cynaedum ſeu puerum meritorium. Deut. XXIII. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli*, *nec pretium canis;* concordat cum ℣. praeced. *Non erit meritrix de filiabus Iſrael*, nec קָדֵשׁ *cynaedus de filiis Iſrael* i. e. *Scortator.* 3. Ob inmunditiam legalem, qua inter animalia inmunda computabatur, profanos homines, qui monitis ſacris oblatrant. Matth. VII. 6. *Nolite ſanctum dare canibus* h. e. nolite porrigere ſalutis doctrinam, myſteriam, ſacramenta cet. profanis. 4. denique ob eius, quum latrare deberent, ſilentium denotat paſtores mercenarios, et falſos doctores, qui, quum pro re et tempore loqui debeant, conticeſcunt. Iſ. LVI. 10. *Canes muti*, *non valentes latrare* ℣. 11. iidem ut *canes impudentiſſimi ac inſatiabiles*, ob inexplebilem eorum avaritiam proponuntur. Philipp. III. 2. *Canes* adpellantur pſeudo-apoſtoli ob impudentiam, calumniam, caninam mordacitatem, avaritiam, et praeſertim quod ad iudaismum, ſicut canes ad vomitum, reverterentur; unde ſequitur: videteli. e. *cavete circumciſionem.*

Ovis

Ovis ob ſimplicitatem, patientiam, puritatem, obedientiam, fertilitatem, utilitatem, pios ac fideles ſignificat; unde et Eccleſia *grex ovium* adpellatur. Pſal. XCIX. 3. *Non autem populus eius* (Dei) *et oves paſcuae eius.* Eſt hebraismus paſtoritius vide ſupra cap. I, et ſimilitudo bucolica hebraeis rem paſtoritiam exercentibus longe notiſſima.

Interdum per obpoſitionem ad *oves*, quae electos denotant, *birci* ſive *baedi* ob petulantiam cet. reprobos ſignificant. Matth. XXV. 33. Alias *birci*, qui gregem praecedunt ac regunt, duces ac gubernatores populi deſignantur. Iſ. XIV. 9. *Omnes* עַתּוּדֵי אָרֶץ *birci* (principes) *terrae ſurrexerunt de ſoliis ſuis.* Heinc verbum *paſcere*, ſi de magiſtratibus cet. adcipiatur, ſignificat 1. *Dominari, gubernare, praeeſſe.* Gen. XLIX. 24. *inde paſtor egreſſus eſt*, i. dux et princeps Aegyptiorum nempe Joſephus. Pſal. LXXVII. 70. *Et elegit David ſervum ſuum* . . . *de poſt foetantes accepit eum* foetantes ſunt matres ovium, emittentes foetum, unde ſubintellige *oves:* exprimitur ſingularis Davidis cura circa greges ſibi commiſſos: cura enim praecipua indigent parturientes) ℣. 71. *Paſcere Jacob ſervum ſuum.* 2. Docere, ſi ad magiſtros referatur Jerem. LXXI. 16. Ego autem לֹא־אַצְתִּי מֵרֹעֶה אַחֲרֶיךָ *non inſtiti, ut eſſem paſtor poſt te*, h. t. ut docerem populum poſt te. Prov. X. 21. *Labia iuſti* יִרְעוּ *paſcunt* (Vulg. *erudiunt*) *plurimos.*

Serpens metaphorice Diabolum ſignificat, qui in ſerpente latens, primos homines ſeduxit. Caput ſerpentis maximam diaboli poteſtatem, regnum, tyrannidem ac virulentiam denotat 1. quia caput praecipua pars animalis eſt. 2. quia virus ſerpentum in capite



continetur: quare Gen. III. 15. de Chriſto dicitur, quod ſit *contriturus caput ſerpentis.* Eundem Diabolum ſignificat vox *Draco* hcinc impii *genimina viperarum* dicuntur, i. e. filii diaboli, qui vipera his in locis adpellatur, quod ſerpentis huius venenum omnium ſit nocentiſſimum. Inde phraſis. *Ova aſpidum frangere*, i. e. ſibi aliisque exitium parare. Iſ. LIX. 5. *Ova aſpidum ruperunt* (impii ad cibum ex eis conficiendum) *et telas aranearum texuerunt* (i. e. vana et inutilia meditati ſunt) *qui comederit de ovis eorum* (aſpidum) *morietur*; וְהַזּוּרֶה תִּבָּקַע אֶפְעֶה *et compreſſo* (ovo illo, h. e. unoquoque ex illis ovis) *erumpet regulus* i. e. aſpis; ſenſus eſt: impii ova aſpidum fregerunt, ut ex eis cibum venenatum aliis adpararent: verum telas aranearum texuerunt, i. e. incaſſum laborarunt, male ſibi conſuluerunt; nam qui comederit ex huiusmodi ovis veneno infectis, h. e. qui pravis eorum conſiliis acquieverit, morietur quidem; at dum quilibet eorum (impiorum) ova illa frangit, erumpit ex eis regulus, qui eum enecat, i. e. dum prava conſilia exequitur, ſibi ipſi plurimum nocet. Vox אֶפְעֶה melius vertitur *aſpis* ſeu *regulus* cum LXX. Symm. Theod. S. Hieron. quam *vipera*, cum Aquila; vipera enim catulos ſuos vivos parit (unde dicitur *vipera* quaſi *vivipara*) quum reliquae ſerpentes eas ex ovo excludant. Pſal. CXXXIX. 4. *venenum aſpidis* pravos ſermones, calumnias, blaſphemias cet. ſignificat. Jerem. VIII. 17. Chaldaei iudaeorum hoſtes virulenti et implacabiles inſtar aſpidum dicuntur *ſerpentes reguli et mordentes.* *Lingua viperae* rem maxime noxiam et mortiferam ſignificat: ſicut et *aſpis*, *baſiliſcus* maxima pericula denotant.

Gen. XLIX. 17. Tribus Dan praedicitur futura *coluber in via*, *ceraſtes in ſemita*, *mordens ungulas equi*, *ut*

cadat

cadat ascensor eius retrorsum. Qua metaphora significatur Danitas astu potius, quam aperto marte rem gesturos; cerastes enim ambiguo gressu et quasi claudicans ambulat; quumque arenae colorem referat, a viatoribus, quibus insidiandi causa in via latet, facile animadverti non potest. Danitarum astutiae exemplum est *Lais* vide Jud. XVIII. 27.

Is. XIV. 29. *Ne laeteris Philistaea omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim* נָחָשׁ *serpentis* (Vulg. *colubri*) egredietur צֶפַע *regulus, et fructus eius erit praester volans.* Vulg. *semen eius absorbens volucrem.* Per *radicem colubri:* sive *serpentis* intelligitur Ozias, qui Philistaeos graviter adflixit II. Paral. XXVI. 26. Per *regulum* Ezechias, qui ex sanguine Oziae per Joatham et Achaz egressus maiori adhuc clade Philistaeos adfecit. IV. Reg. XVIII. 8. Heinc *praester* sive serpens ignitus et alatus vocitatur. Similitudo aptissima; nam regulus colubro nocentior est, praester autem regulo.

Scorpiones denotat *tum* homines perversos et incredulos Ezech. II. 6. *tum* plagas gravissimas et onera durissima. III. Reg. XII. 11. 14. ubi scorpiones erant virgae spineae ubique aculeatae, ac instar scorpionum pungentes.

Aranearum tela sive domus secundum hebr. conatus irritos vanosque denotat, ut modo dictum. Job. VIII. 14. *Non placebit ei* (hypocritae) *vecordia sua, et domus araneae* (Vulg. *et sicut tela araneae*) fiducia eius erit.

Hactenus de animalibus terrestribus, sequuntur volatilia *et* altilia.

Avis ob celerem volatum metaphorice significat famam. Eccles. X. 20. *In cogitatione tua regi ne detrahas;*

et



et in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia avis coeli portabit vocem tuam; et qui habet pennas, adnuntiabit verbum, quod dixeris. Poſtrema illa verba, *qui habet pennas* cet. priorum, *quia avis coeli* cet eſſe repetionem, nemo non videt. *Hoc hyperbolice intelligendum*, ait S. Hieron. *quomodo ſolemus dicere, etiam ipſos parietes, quibus conſciis loquimur, quae audierint, non caelaturos.* Tam inopinato, celeriter ac mirabiliter revelabuntur, quae dicis ac ſi avis praetervolans, aut ante feneſtram forte conſidens ea detuliſſet: plurimi namque reſpectu principum et divitum ſunt, qui, quidquid dicitur, colligunt, ut ex alienis malis quaeſtum faciant.

Iſ. XLVI. 11. Cyrus dicitur avis, et quidem rapax, (עַיִט) idque *tum* ob celeritatem, qua venturus erat contra. Babylonios; heinc *ſemita in pedibus eius non adparitura* dicitur, ibid. cap. XLI. 3. *tum* ob ſaevitiam, quam in eosdem Babylonios erat adhibiturus. Jerem. XII. 9. *Haereditas Domini*, nempe populus Iſraeliticus, dicitur עַיִט צָבוּעַ *avis tincta*, vera ſcil. et falſa religione; quia vero Deo non contenta, falſos praeterea colebat. Vulg. *avis diſcolor*, idem ſenſus.

Turtur populum Iſraeliticum ſeu potius Eccleſiam ſignificat. Pſal. LXXIII. 19. *Ne tradas* לְחַיַּת נֶפֶשׁ תּוֹרֶךָ *beſtiae animam turturis tui* h. e. Eccleſiae, quae non niſi unum te colit, ſicut turtur alteri non coniungitur; quaeque in adflictionibus, inſtar turturis, ſolitaria gemit et ad te ſuſpirat. LXX. *ne tradas beſtiis animam confitentem tibi.* Vul. per enallagen, *animas confitentes tibi* pro לְחַיַּת qud conſtructum eſt pro abſoluto לְחַיָּה poſitum, legeb. לְחַיּוֹת et pro תּוֹרֶךָ *turturis tui* תּוֹדֶךָ aut תּוֹדְךָ *confitebitur aut confitetur tibi*, a verbo יָדָה *iecit*, in hiph. *confeſſus eſt*, celebra-

celebravit, laudavit cet. Praeterea ſupplebant relativum אֲשֶׁר *qui, quae, quod.* S. Hieron. *Ne tradas beſtiis animam eruditam lege tua:* ita quoque Chal. pro תּוֹרֶךָ legerunt תּוֹרָתֶךָ a תּוֹרָה *lex.* Vel exiſtimarunt תּוֹרֶךָ eſſe ſyncopen pro תּוֹרָתֶךָ, ut dicitur גֻּלָּה pro גֻּלָּתָהּ *lecythus eius.*

Muscae et Apes ob multitudinem, celeritatem, et vim laedendi, hoſtes populi Dei ſignificant. Iſ. VII. 18. *Et erit in die illa: ſibilabit Dominus muſcae, quae eſt in extremo fluminum Aegypti: et api, quae eſt in terra Aſſur.* Aegyptii *muſcae* vocantur, inquit S. Hieron. comm. in h. l. *propter ſordes idololatriae:* Aſſyrii vero *apes, quia omnis prope Aſſyriorum, et Perſidis regio uſum habet ſagittarum,* quae aculeis apum adſimilantur. Vide prophetiae huius complementum IV. Reg. XXIII. et XXIV. II. Paral. XXV. et XXXVI.

Stimulus ſeu Aculeus mortis I. Cor. XV. 55. 56. peccatum eſt.

Piscatio metaphorice ſumta hoſtilem direptionem ſignificat. Amos IV. 2. *Levabit vos* (hoſtis) בְּצִנּוֹת *in* vel *cum aculeis* ſeu *hamis aculeatis* (Vulg. *contis*) *et reliquias veſtras* (i. e. poſteritatem veſtram) בְּסִירוֹת דּוּגָה *in hamis piſcationis* i. e. piſcatoriis. Senſus eſt: vos eſtis quidem ſicut vaccae pingues; ỳ. 1. ſed extrahimini ab hoſtibus veluti piſculi minuti, nihil impediente eos veſtra pinguedine *). Attamen *piſcatio* interdum in bonam partem

*) LXX. et Symm. vocem בְּצִינּוֹת interpretati ſunt *ἐν ὅπλοις in armis.* Aquil. *ἐν θυρεοῖς in clypeis.* Theod. *ἐν δόρασι in haſtis;* voces autem בְּסִירוֹת דּוּגָה LXX. tranſtulerunt *εἰς λέβητας ὑποκαιομένους in ollas ſuccenſas,* et verbum *ἐμβαλοῦσιν iniicient* ſcyſus



partem accipitur Matth. IV. 19. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*

LEVIATHAN, CETE, BALAENA, DRACO MARINUS metaphorice significant Pharaonem, et duces exercitus eius. Psal. LXXIII. 13. *Tu confirmasti* (hebr. *dirupisti* seu *divisisti*) *in virtute tua mare* (rubrum, ut transirent Israelitae) *contribulasti* seu *confregisti capita draconum in aquis* i. e. Pharaonis, (qui *magnus Draco* adpellatur Ezech. XXIX. 3.) aliorumque Aegyptiorum, qui dracones vocantur ob nimiam eorum erga Israelitas saevitiam. ℣. 14. *Tu confregisti capita draconis* (h. e. principes et duces exercitus Pharaonis in aquis suffocasti) *dedisti eum* (Pharaonem cum eius copiis) *escam populis Aethiopum* hebr. לְעָם לְצִיִּים *populo* sive *incolis desertorum* i. e. feris et avibus, quibus discerpenda Aegyptiorum cadavera evomuit mare. Is. XXVII. 1. *Leviathan* cet. Nabuchodonosorem denotat. *In die illa visitabit Dominus* (per Medos et Persas) *super Leviathan serpentem vectem* (i. e. robustum et validum instar vectis) *et super Leviathan serpentem tortuosum* i. e. variis ambagibus et dolis laedentem.

sensus complendi gratia addiderunt. Vulg. *Levabunt vos contis et reliquias vestras in ollis ferventibus*, h. e. quum sitis vaccae pingues, tollent vos (hostes vestri) contis, non hamis, ob molis magnitudinem, sicuti piscatores ex aquis hamorum ministerio pisces extrahunt; ac in ollis ferventibus excoquent, h. e. durissimis subpliciis vos enecabunt. Qua vero ratione LXX. et Vulg. דּוּגָה interpretati sint *succensas* vel *ferventes*, non video; nisi forte aliter in suis exemplaribus legerint, aut sensum duntaxat adtenderint; per ollas enim seu lebetes piscationis sive piscium, intelligere potuerunt ollas, in quibus coquuntur pisces. Vide etiam Habac. I. 15. 16. Jerem. XVI. 16. ubi per *piscatores* intelliguntur Aegyptii piscationi dediti Is. XIX. 8. 9. 10. per *venatores* autem Chaldaei a Nemrod potente venatore. vide IV. Reg. capp. XXIII. et seqq.

tem. LXX. habent. ἐπὶ τὸν δράκοντα ὄφιν φεύγοντα *ſuper draconem ſerpentem fugientem*, legebant בֹּרֵחַ a בָּרַח *fugit*, pro בָּרִחַ ut modo punctatur.

§. XV.

Metaphorae ab homine, et his, quae ad illum pertinent, deſumtae.

In homine conſiderari poſſunt tum *eſſentialia*, tum *adcidentalia*. Eſſentialia ſunt *corpus* cum ſuis membris, et *anima*, ex cuius cum corpore coniunctione vita oritur. Adcidentalia partim *interna* ſunt, ut differentiae quaedam inter homines et actiones diverſimode ſe habentes: partim *externa*, ut ſubiecta continentia et varia adiuncta, de quibus in ſequentibus.

Corpus in Novo Teſtamento ſaepe Eccleſiam Chriſti ſignificat Rom. XII. 5.

Caput membrorum primum, ſupremum et praecipuum denotat 1. cuiusque rei initium et originem. Exod. XII. 2. *Menſis iſte vobis* (erit) *caput menſium* i. e. primus menſis. 2. Eminentiam loci Gen. XXVIII. 12. Eminentiam imperii Num. XIV. 4. *conſtituamus nobis caput* (Vulg. *ducem*) et ſic frequenter in ſcripturis. Heinc *caput anguli*, lapis ſummus et angularis eſt, qui aedificii latera continet ac firmat, quod de Chriſto praedicatur. 3. In re qualibet praecipuum ac optimum. Exod. XXX. 23. *ſume tibi aromata capitis myrrhae et electae, quingentos ſiclos* i. e. *myrrhae primae*, ut interpretatur Vulg. ſive praeſtantiſſimae. Sic *capita aromatum* Cant. II. 14. *Caput* ſive *vertex montium antiquitatis* i. praeſtantiſſimae res montium antiquorum. Iſ. VII. 8. 9. Damaſcus dicitur caput Syriae, et Samaria caput Ephraim h. e. metropolis.

Spe-

Specialiter autem vox illa id, quod in numeratione praecipuum eſt, ſive ſummam denotat. Exod. XXX. 12. *Quando tuleris caput* (Vulg. *ſummam*) *filiorum Iſrael.*. Lev. VI. 5. *reddet omnia, quae per fraudem voluit obtinere*, בְּרֹאשׁוֹ *in capite ſuo* Vulg. optime *integra.* Jud. VII. 16. diſtinctae exercitus turmae adpellantur *capita*; quia certo numero diſpoſitae emittuntur. *Diviſitque trecentos viros in tria* רָאשִׁים *capita* h. e. ut reddidit Vulg. *in tres partes* ſive turmas.

Facies ſaepe pleonaſtice in ſcriptura ponitur: ſic *facies belli* i. e. bellum, *facies abyſſi* i. abyſſus. Dein ſignificat interiorem animi adfectum, nempe iram, triſtitiam. Gen. XXXII. 20. *Placabo* פָּנָיו *facies eius muneribus* i. e. animum Eſavi iratum, aut Vulg. *illum* placabo.

Frons idem ſignificat, maxime pertinax Deo contradicendi ſtudium, et in peccando obſtinaciam. Iſ. XLVIII. 4. *Scivi enim, quia durus es tu* (Jacob) *et frons tua aerea.* Jerem. III. 3. *frons meretricis* pro ſumma impudentia et obfirmatione in malo accipitur.

Oculus anchiſtice ſaepius ad mentem transfertur, ac iudicium et cognitionem indicat. Gen. XVI. 4. *At illa* (Agar) *concepiſſe ſe videns*, i. e. cognoſcens et ſentiens. Zach. XI. 17. Oculus dexter providentiam ſignificat. *Gladius ſuper . . . . oculum dexterum eius* (improbi paſtoris) . . . *oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.* h. e. omnis eius cura ac providentia auferetur, ipſeque paſtorali ſuo officio excidet. Generatim *oculus* providentiam, curam, ſollicitudinem tam in bonum, quam in malum ſignificat. *In bonum.* Gen. XLIV. 22. *Adducite eum* (Beniamin) *ad me, et ponam oculos meos ſuper illum. In malum* Pſal. XVI. 11. *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in*

terram;

terram: non ftatuerunt oculos fuos declinare in terram, fed ftatuerunt oculos i. e. fixerunt, ut me declinarent et proiicerent in terram. Unde verbum עוין pro *oculis nocendi caufa obfervare* I. Reg. XVIII. 9. ufurpatur.

Oculus bonus mentem benevolam et beneficam fignificat. Prov. XXII. 9. Econtrario oculus malus pro maligna et malevola mente adcipitur. Prov. XXIII. 6. *Ne comedas panem mali oculi.* Vulg. *ne comedas panem cum homine invido.* Oculorum apertione, experientia cum confcientiae acerbo fenfu coniuncta innuitur. Gen. III. 7. *Et aperti funt oculi amborum.* Item fpiritualis inluminatio mentis, et cordis renovatio oculorum inluminatione exprimitur. Pfal. XII. 4. *inlumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Aliam fecundum literam explicationem vide fupra cap. XV.

Lacryma, quae ex oculo fluit, muftum et oleum fignificat, quia guttatim more lacrymarum deftillant, quum uvae et olivae calcantur. Exod. XXII. 29. מְלֵאָתְךָ וְדִמְעֲךָ *plenitudinem tuam et lacrymam tuam non tardabis* fupple cum Vulg. *reddere.* LXX. *primitias areae, et torcularis tui non tardabis* reddere. *Collyrium,* oculorum male habentium medicina, coecitatis fpiritualis medelam et mentis inluminationem fignificat. Apoc. III. 18. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*

Aures per anchiftiam ad animum faepe transfertur. Aurium adgravatio obdurationem animi et cordis contumaciam innuit. If. VI. 10. *Excoeca cor populi huius, et aures eius adgrava.* Aurium pruritus pravum novae doctrinae ftudium fignificat; quemadmodum fcabie laborantes ex fricatione voluptatem percipiunt, ex qua noxius dolor fequitur.



Naso suspendere irridere et subsannare significat. Thren. IV. 20. Rex dicitur *spiritus nasi* sive *narium*, h. e. sub cuius tutela respirant et reficiuntur subditi. רוּחַ אַפֵּינוּ *spiritus narium nostrarum* (Vulg. *oris nostri*) captus est *Christus Dominus* vel *Christus Domini* secundum puncta Massorethica, nempe Sedecias, qui erat typus Christi.

Os Oris animum et voluntatem quandoque significat. Gen. *XXIV.* 57. *interrogemus os eius* (Rebeccae) h. e. ut optime Vulg. *voluntatem eius*. Iosue *IX.* 2. *uno ore pugnare* h. e. uno animo, eademque sententia. Psal. *CXXV.* 2. *Os risu seu gaudio repleri* est animum gaudio perfundi. Psal. *CII.* 5. *saturare os bono* significat magnis beneficiis et bonis cumulare. *LXX.* Vulg. *in bonis desiderium replere.* Exod. *IV.* 16. *Os alicuius esse* denotat interpretem agere. Matth. *XV.* 11. Os pro corde ponitur. *Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Huc spectat loqui. Prov. *VI.* 13. *Loqui pedibus, et docere digitis*, pedes et digitos ad fallendum componere significat.

Collum seu Cervicem pro aliquo subponere. Rom. *XVI.* 4. vitae discrimen pro alterius incolumitate subire significat.

Humerus, gestationis organum, habita ratione oneris significat adflictiones et tribulationes. Psal. *XX.* 13. *Quoniam pones eos humerum*, Vulg. *dorsum*, h. e. malis tanquam oneribus, humeris eorum impositis obrues: alii, ut terga vertant, efficies. Vide supra cap. *VI.* 2. Obedientiam Deo praestandam, quae et ipsa quasi onus quoddam est, sed leve. Heine Sophon. *III.* 9. *Servire Deo humero uno*, est ipsi ὁμοθυμαδὸν h. e. *concorditer* servire; sumta metaphora a baiulatoribus, qui simul humeros eidem oneri ferendo subponunt. Econtrario *ponere scapulam* sive *humerum recedentem* Zach. *VII.* 11. obedien-

dientiam detrectare significat. Is. *IX.* 6. de Christo dicitur, quod *factus sit principatus super humerum eius*, quod omnes fere Patres de cruce intelligunt. Dici etiam potest, Christum onus officii sui in se unum suscepisse; quum econtrario saeculi huius principes in humeros servorum, consiliariorum, ministrorumque suorum reiiciant solus enim Christus Ecclesiam suam sanguine suo sibi acquisivit et salvat.

Brachium roboris exerendi potissimum instrumentum, potentiam et auxilium designat I. Reg. II. 31. *Ecce dies veniunt, et praecidam brachium tuum et brachium domus patris tui.* Is. *IX.* 20. *Carnen brachii sui vorare*, propinquos et necessarios, a quibus sperandum esset auxilium, perdere et consumere significat. Psal. *XXXVI.* 17. *Quoniam brachia peccatorum conterentur*, i. e. omnia auxilia et praesidia, vires, opes. *Brachium* itaque potentiam et fortitudinem signat. Job. *XXII.* 8. *Quia eras Dominus brachii tui*, i. e. potens, fortis, magnus, dives, sub cuius Dominio terra erat.

Manus significat robur et vires. Deut. *XXXII.* 36. *videbit*, *quod infirmata sit manus* h. e. potentia. Heinc tritum illud: *An nescis longas regibus esse manus?* 2. Auxilium, ministerium, machinationem Exod. *XXII.* 1. *Non iunges manum tuam*, *ut pro impio dicas falsum testimonium* h. e. auxilium tuum non impendes, non sociaberis. Sic Deus dicitur loqui *in manu omnium prophetarum*, h. e. per ministerium; prophetae enim organa sunt Spiritus S. et dispensatores mysteriorum Dei. Vel vox *manus* hac in phrasi pleonastica est.

Vacillare seu infirmari manus alicuius dicitur, quum ei vires et nervi rerum agendarum non subpetunt.



Econtrario manus roborare, eſt conſilio et auxilio ſublevare. Nota phraſin *tradere aliquem in manus alterius*, eſt illum extradere ad punitionem. Sic dicitur Pſal. *X.* 14. *ut tradas eos in manus tuas*, in poteſtate tua eſt, o Deus, ut des poenam impio. Unde illud poetae: *Dii laneos habent pedes, ſed ferreas manus*, nempe dum punit Deus.

Heinc intelliges, quid ſignificet obſcurus locus Pſal. *XVI.* 13. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.* i. e. frameam tuam, metaphorice, nocendi poteſtatem eripe ſimiliter ab iis, qui viribus et poteſtate a te conceſſis abutuntur. In hebr. habetur: מִמְתִים־יָדְךָ *a viris manus tuae*, quibus nempe Dominus robur et vires conceſſit: et recte dicuntur *inimici manus Dei*, qui viribus et robore ſibi a Deo conceſſis abutuntur.

Dorsum ſive tergum in metaphora etiam uſurpatur, ac *poſt tergum proiicere*, negligere ac avertere ſe ſignificat. *III.* Reg. *XIV.* 9. *me autem proiecisti poſt* גֵוֶךָ *tergum tuum*, Vulg. *corpus tuum*, quae eſt primaria ſignificatio vocis גֵו. Eadem metaphora quandoque oppreſſio et adflictio denotantur. Pſal. *CXXVIII.* vide ſupra cap. *I.*

Lumbi, in quibus robur corporis poſitum eſt, metaphorice, ſeu ut aliis placet, metonymice robur ipſum denotant. Iſ. *XLV.* 1. hebr. *et lumbos regum diſſolvam*, h. e. ut Vulg. *et fortitudinem regum frangam* ſeu *et dorſa regum vertam.* Vide ſupra cap. *VII.* Lumborum cinctura virium corporis ad currendum, laborandum et pugnandum expeditionem ſignificat. vide III. Reg. *XVIII.* 46. Ratio metaphorae ſupra data eſt, quia Orientales longis

longis veſtibus utantur, eas inter agendum circa lumbos adcingant, ne iis impediti labantur. Iſ. *II.* 5. Juſtitia dicitur *cingulum lumborum* Meſſiae, et fides *cinctorium renum eius*, qua loquutione Meſſias officio ſuo cum iuſtitia et fide alacriter perfuncturus ſignificatur.

Umbilicus, quo foetui in utero materno alimentum ſubminiſtratur, eleganti metaphora ad Eccleſiae filios transfertur. Prov. *III.* 7. *Time Deum . . .* ℣. 8. *ſanitas quippe erit umbilico tuo* cet. h. e. quemadmodum in infantibus in utero matris verſantibus alimentum ſubminiſtratur umbilico ad intimas partes confirmandas: ita Dei cognitio, reverentia, et obſequium te paſcet, educabit, et confirmabit ſpiritu. Alii volunt, umbilicum poſitum eſſe per ſynecdochen pro toto corpore, unde LXX. *τότε ἴασις ἔσται τῷ σώματί σου tunc ſanitas erit corpori tuo.* Sunt etiam, qui exiſtiment heic praecipi ab inlicitis voluptatibus abſtinentiam; qui enim veneri intemperanter indulgent, male habent, et corpore ſunt exſucco et exhauſto: unde ſequitur: *et inrigatio oſſium tuorum* vel *oſſibus tuis.* Neglecta umbilici praeciſio, primaevum et abominabilem iudaicae gentis ſtatum allegorice denotat. Ezech. *XVI.* 4. *In die ortus tui* לֹא־כָרַּת שָׁרֵּךְ *non eſt praeciſus umbilicus tuus, et aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis*, h. e. antequam idololatria liberarem te, in morte, in ſordibus peccatorum, in infirmitate cet. conſtituta eras. Sumta eſt metaphora ſive allegoria a pueris recens natis, quorum umbilicus non praeciditur, neque ſordes aquis abluuntur, ſed ſtatim ab utero proiiciuntur, exponunturque. Apud eundem cap. *XXXVIII.* 12. *ut inferas manum tuam ſuper . . . populum, qui poſſidere coepit, et eſſe habitator um-*



bilici terrae, i. e. Judaeae, quae montoſa erat, ac in medio terrae habitabilis et priſcis cognitae, ſita.

Sinus ſignificat interiora et occulta; quia ſinus veſtibus tegitur. Job. *XIX.* 27. *Repoſita eſt haec ſpes mea in ſinu meo* i. e. apud me ipſum, in corde meo. *Sinus* amoris notionem obtinet, quae enim diligimus, ea in ſinu fovemus. Deut. *XIII.* 6. *Si tibi voluerit perſuadere . . . uxor*, *quae eſt in ſinu tuo* h. e. *quam diligis ut animam tuam*, ut de amico ſequitur. *Sinus Abrahae* vita aeterna. Reliqua vide ſupra cap. *VII.*

Genua debilia roborare ſignificat animi moerore proſtratos erigere, ſolari et confirmare. Job. *IV.* 4. *et genua debilia confortaſti.* Metaphora ſumitur ab externis periculis ſubito ingruentibus, in quibus ob vires nervorum, et muſculorum terrore conſternatas, genua debilitantur. Quapropter in deſcriptione infirmitatis, periculi et terroris, *genuum conliſio* et *debilitatio* exprimi ſolet.

Pedes variis modis in ſermone metaphorice adcipiuntur. 1. Subſidium, curam, ſollicitudinem. Gen. *XXX.* 30. *benedixit tibi Deus* לְרַגְלִי *ad pedem meum* i. e. per curam et diligentiam, quam in paſcendis gregibus tuis adhibui. Optimus eſt etiam Vulg. ſenſus: *ad introitum meum* h. e. ex quo gregum tuorum curam ſuſcepi. Job. *XXIX.* 15. *Oculus fui coeco, pes claudo*, h. e. quodvis ſubſidium miſeris praeſtiti. 2. Violentiam. Pſal. *XXXV.* 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiae* h. e. ſuperborum hominum violentiam non experiar. Pedis commotio, nutatio declinatio cet. pericula et calamitates innuit. Pſal. *XXXVII.* 17. *Dum commoventur pedes mei ſuper me magna*

gna loquuti ſunt inimici mei h. e. dum in periculis verſor et obprimor calamitatibus. Econtra pedum a nutatione cet. cuſtodia, Dei protectionem adverſus hoſtes exprimit. Pſal. *LV.* 14. *Quoniam eripuiſti . . . pedes meos a lapſu.* Pſal. *CXX.* 3. *Non det in commotionem pedem tuum*, non permittat, ut in foveas, quas foderunt inimici, incidas. Sic pedum in latitudine vel petra conſtitutio, a periculis denotationem denotat; in anguſtis enim et lubricis locis facilis eſt lapſus. Pſal. *XXX.* 9. *ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos* i. e. feciſti, ut mihi pateret fugae locus. item. Pſal. *XXXIX.* 3. *ſtatuit ſupra petram pedes meos*, petra pro arce, quia in petris conſtruebantur arces, et eſt obpoſitio inter lacum, et inter arcem: per *lacum* enim indicat adflictiones et ſtatum calamitoſum; per *arcem* ſtatum felicitatis. Pſal. *LXXII.* 18. *Profecto in lubricis poſuiſti eos.* Vulg. *Veruntamen propter dolos poſuiſti eos.* Eſt concluſio, q. d. quum igitur res ſic ſe habeat, ſequitur, felicitates impiorum eſſe doloſas, et veluti decipulas poſitas. Aut i. Vulg. Certe *propter dolos* i. e. ut deciperentur (nam divitiae impiis deceptioni ſunt et ruinae) *poſuiſti* i. e. permiſiſti, ut eſſent in deceptionem eis ſcil. divitiae.

Jerem. *XIII.* 16. Phraſis: *pedes offendere ad montes caliginoſos* in maximas calamitates incidere ſignificat; calamitas enim, ut ſupra dictum, caligine denotatur; proindeque mons caliginis, maximam calamitatem indicat. *Claudicatio pedum*, quae pedum laeſione fit, calamitatem quoque, adflictionem et pericula denotat. Pſal. *XXXIV.* 15. *Et* בְּצַלְעִי *in claudicatione mea laetati ſunt* i. e. in meo caſu et infortunio. LXX. et Vulg. *et adverſum me laetati ſunt* q. d. ad latus meum laetati ſunt; צֶלַע et *claudicationem* et *latus* ſignificat.



Caro, quum ad animum transfertur, si cum *mordendi* aut *lacerandi* verbo coniungatur, desperationem significat. Job. *XIII.* 14. *Quare lacerarem* (Vulg. *lacero*) *carnem meam dentibus meis?* quur me ipsum in desperationem abiens, doloribus, curis consumerem? *et animam meam portarem* (Vulg. *porto*) *in manibus meis?* i. vitae et animi omnem curam abiicerem, et me vitae discrimini exponerem. Sic *carnem suam comedere* dicitur stultus Eccles. *IV.* 5. h. e. se ipsum macerare prae fame: quum enim videat stultus industriam sive laborem hominum patere invidiae, *complicat manus suas, et comedit carnem suam* i. e. ad tantam inopiam desidia sua redigitur, ut prae fame carnem suam devorare cogatur, ad digitos sibi manducandos et exsugendas manus adigatur. loquutio hyperbolica. Carnem alicuius edere, est illum obprimere. Psal. *XXVI.* 2. *ut edant carnes meas*, phrasis etiam latinis familiaris; videntur enim devorare, qui obprimunt, et alios praedantur.

§. XVI.

Metaphorae ab iis, quae ad vitam, sensus cet. hominis spectant, desumtae.

Vita tribuitur aquis iugiter salientibus et fluentibus, vitae enim indicium motus est. Ose. *XIV.* 8. *vivicabunt se* (Israelitae ut) *triticum*, h. e. erunt instar tritici, quod in terram coniectum, ad tempus mori videtur; postea vero non reviviscit tantum, verum etiam multiplicatur, ac multum fructum adfert. Vulg. *Vivent tritico* pro יְחַיּוּ legebant יִחְיוּ in fut. kal.

Sanitas doctrinae coelesti et fidei tribuitur, qua earum puritas denotatur. Tit. I. 9. Deus dicitur *sanare*,

re, *curare*, *medicari* cet. quando ab adverſitatibus liberat, et quamcunque incolumitatem praeſtat. Item dum remittit peccata. Pſal. *XL.* 5. *ſana animam meam*, *quia peccavi tibi.* Pſal. *CXLVI.* 3. *qui ſanat contritos corde*, *et adligat omnes contritiones eorum* i. e. plagas eorum adligat, metaphora a medicis vulnera ligantibus: exules iudaei in captivitate comparabant ſe infirmis, aegrotantibus, vulneratis.

Morbus ſi ad animam referatur, peccatum ſignificat; ſi ad corpus, aut externa hominis, calamitates quaſcumque et vitae humanae adverſitates denotat. Pſal. *LXXVI.* 11. *Et dixi:* חַלּוֹתִי *infirmari meum hoc*, *mutatio dexterae excelſi:* h. e. infirmitas, calamitas mea haec aliunde non eſt, quam ex mutatione dexterae Excelſi, quae prius hoſtes meos mihi ſubiiciebat, nunc autem ipſis me ſubiicit. LXX. et Vulg. *Et dixi: nunc coepi; haec mutatio dexterae Excelſi.* חַלּוֹתִי accipiebant a verbo חָלַל, quod in hiphil *incipere* etiam ſignificat. Porro tria verba haec חָלַל, חוּל et חָלָה, ſaepe formas commutant. Huc pertinent *vulnera amici* Prov. *XXVII.* 6. quae amaram reprehenſionem denotant.

Sanitati in ſpecie adverſantur ſtigmata, et cicatrices, quibus innuit Apoſtolus perſequutiones et tribulationes, quas ob Chriſti confeſſionem, eiusque verbi praedicationem ſuſtinebat Gal. *VI.* 17. quaeque ſtigmata obponit cicatrici, de qua fruſtra gloriabantur pſeudoapoſtoli, de quibus ℣. 12. et ſeqq. egerat. Hanc autem metaphoram ſumſit a militibus, qui *victuris in cute punctis* ſignabantur; quo ſenſus Aelianus vocem στίγματα uſurpavit.



I. Tim. IV. 2. *Conſcientia cauteriata* ſignificat vel conſcientiam infamibus criminum notis inuſtam; vel duram, calloſam, et exquiſiti ſenſus expertem; quae enim partes cauterio notantur, illae habent ſenſum hebetiorem; vel denique vitiis ac peccatis exulceratam.

TABES, MACIES pro calamitatibus, poenis ac miſeriis. Iſ. XVII. 4. *Et erit in die illa . . . pinguedo carnis eius marceſcet.* Vide cap. XXIV. 16.

PUTREDO OSSIUM animi cruciatus et dolores ſignificat. Prov. XIV. 30. *Vita carnium, ſanitas cordis; putredo oſſium, invidia*, h. e. invidia animum rodit et excruciat, ſicut caries oſſa; et ex antitheſi, cor ſanum, ab irae, invidiae, omnique vitioſo in proximum adfectu liberum maxime conducit ad ſanitatis et vitae conſervationem. *Putreſcere* perire ſignificat. Prov. X. 5. *Nomen impiorum putreſcet*, i. e. peribit, evaneſcet, aut nomen impiorum foetet, deteſtabile eſt et odioſum.

PESTIS hominem exitioſſimum denotat. Act. XXIV. 5. *Invenimus hunc hominem* λοιμὸν *peſtem* Vulg. *peſtiferum;* recte, utrumque graecum ſignificat. Unde Pſal. I. 1. dictionem לֵצִים *deriſorum* LXX. λοιμῶν *peſtilentium* Vulg. *peſtilentiae* interpretantur; nulla enim eſt peſtis deterior huiuscemodi hominibus, qui divina humanaque rident.

VENENUM metaphorice ſignificat inſignem malitiam, qua animabus, corporibus, et famae hominum pernicies infertur. Pſal. LVII. 5. חֲמַת *venenum illis ſicut venenum ſerpentis.* LXX. θυμὸς αὐτοῖς Vulg. *furor illis.* Vox hebraica חֵמָה *furorem* et *venenum* ſignificat. *Venenum aſpidis* ſermones peſſimos, calumnias, detractiones, indicat Pſal. CXXXIX. 4.

MORS

Mors, quae vitae opponitur, signif cat alicui rei nuntium remittere. Rom. VI. 2. 7. 11. *mortuum esse peccato*, est ei renuntiare, illud non amplius committere, sicut mortuus non agit vel operatur. Colofs. III. 3. Credentes dicuntur *mortui*, et eorum vita *abscondita cum Christo in Deo*, h. e. mundo et concupiscentiis eius, pravis ac vanis voluptatibus renunciasse. Item gratia et amore Dei privari. Ephef. II. 1. *Et vos, quum essetis mortui in delictis et peccatis. Laquei mortis* sunt maxima pericula; Psal. XVII. 5. *praeoccupaverunt me laquei mortis* i. e. pericula: *praeoccupaverunt* dicit ex similitudine, quia laquei iaciuntur a parte anteriore hominis, qua nempe incidere debet. *Pulvis mortis* sepulchrum, Psal. XXI. 16. *in pulverem mortis deduxisti me*, i. e. ad talem statum reduxisti me, ut sim velut mortuus et terrae mandandus; metaphora deducta est a milite ex adceptis vulneribus contabescentis et in pulvere exspirabundi. *Umbra mortis* pro periculis mortalibus: sicut latine dicimus: *tristissima mortis imago*. Psal. XLIV. 20. *Quoniam humiliasti nos in loco adflictionis* (hebr. תַּנִּים *Draconum* pro loco horrido, ubi habitabant Dracones et monstra, quibus comparat Babylonios) *et cooperuit nos umbra mortis:* est descriptio captivitatis.

Sensus humani varios gignunt hebraismos: scias autem sensum per anchistiam saepius ad animum transferuntur. Sic Luc. IX. *Et erat velatum* (verbum istud) *ante eos, ut non sentirent illud* h. e. intelligerent. Sic etiam

Visus, videre pro sentire seu experiri. Exod. XX. 18. *Cunctus autem populus videbat voces* (seu) *tonitrua . . . et sonitum tubae* i. e. percipiebat seu audiebat; auditus enim

enim et visus anchistice nonnunquam inter se commutantur. Hic hebraismus in psalmis frequens est, vide infra de hebraismis anchisticis. Sic *videre somnum* i. e. experiri illum, seu dormire. *Videre corruptionem*, eam sentire seu ipsi obnoxium esse. *Videre mortem*, mori significat.

Visioni obponitur *coecitas*, qua significatur doctrinae salutaris et verae fidei privatio. Is. XLII. 18. *surdi audite, et coeci intuemini ad salutem.* 2. maxima calamitas, in qua impii, consilii omnis inopes, non inveniunt, quid agant. Verbum *excoecare* de incredulis et impiis usurpatum tribuitur 1. Tenebris I. Joan. II. 11. *Tenebrae obcoecaverunt oculos eius* h. e. mens peccatis corrupta obcoecavit oculos cordis eius. 2. Diabolo. II. Cor. IV. 4. *Deus huius saeculi* (Diabolus) *excoecavit mentes infidelium* i. e. seduxit, induravit. 3. Deo ipsi. Joan. XII. 40. *Excoecavit* (Deus) *oculos eorum* cet. Deus autem non excoecat *positive*, ut aiunt, sed *privative* h. e. coecitatem per se ipse non inmittendo, sed subtrahendo gratiam, qua propria obstinacia indignos se reddiderunt, et qua destituti homines in spississimas mentis tenebras offendunt. Munera etiam dicuntur obcoecare sapientes et iudices, ad corrumpendum ius et pervertendam iustitiam dum eos inducunt.

Auditus, audire interiorem animi intelligentiam denotat, Sic Gen. XI. 7. *Et non audiat unusquisque linguam proximi sui* h. e. non intelligat. 2. Adprobationem, obedientiam. Gen. III. 17. *quia audisti vocem uxoris tuae* i. e. obtemperasti. Auditui obponitur *surditas*, quae infidelibus, impiis, et verbo Dei reluctantibus tribuitur.

Olfa-

Olfactus, quia vulgo fubtilis eft, celeritatem denotat. Jud. XVI. 9. *Et rupit* (Samfon) *vincula, quomodo fi rumpatur filum, quum olfecerit ignem*, h. e. tam cito, tamque facile vincula fua rupit, quam filum confumit ignis. Job. XIV. 9. *Ad odorem aquae germinabit* (arbor) i. e. dum humorem gratiffimum percipit, quo perinde reficitur, ut homo fuaveolente odore recreatur. Ibid. XXXIX. 25. Equus *odorari bellum* dicitur h. e. fentire. Huc pertinet verbum *foetere*, quod de mala fama, difplicentia, et odio adcipitur. Gen. XXXIV. 30. *foetere me feciftis Chananaeis* Vulg. *odiofum me feciftis.*

Gustare intelligere, experiri et frui denotat. Pfal. XXXIII. 9. *guftate et videte, quoniam fuavis eft Dominus; τὸ fuavis* eft pro bonus. Ad guftum pertinet verbum *dulcefcere*, quod pro delectare et valde placere ufurpatur. Pfal. LV. hebr. 15. אֲשֶׁר יַחְדָּו נַמְתִּיק סוֹד *qui fimul dulcefcere faciebamus fecretum* i. e. *qui cum fumma animi voluptate fecreta communicabamus.* LXX. et Vulg. *qui mecum dulces capiebas cibos:* Pro נַמְתִּיק legiffe videntur מַמְתִּיק *dulcefcere faciens* eras, et pro סוד *fecretum* צור vel צוד infin. loco צַיִד *efca, cibus;* interdum enim infinitivus loco nominis ufurpatur, ut ex reg. grammat. patet. Vel legerunt etiam, ut hodierni habent codices, verum ס in צ commutandum exiftimarunt; duae enim illae literae, quum fint eiusdem organi, facile invicem permutantur. Sapientiae coleftis verba *grata gutturi* dicuntur, h. e. alimenta vitae aeternae fuaviffima. Quo fenfu cum melle confertur verbum coelefte, et fuavitate illi praeponitur. Vide Pfal. CXVIII. 103.

Amarum effe, amarum reddere, five *amaritudine exacerbare*, quae verba fignificant triftitia adficere, et calami-

tatibus



tatibus obruere. Exod. I. 14. *Atque ad amaritudinem perducebant* (Aegyptii) *vitam eorum* (Israelitarum) *operibus duris luti et lateris*. 2. Significat noxium esse. Prov. V. 4. *Novissima autem illius* (gutturis meretricis) *amara quasi absynthium*. In specie

Amaritudo denotat crudelitatem, animi adflictionem, et acerbitatem Gen. XLIX. 23. וַיְמָרֲרֻהוּ et *amaritudine adfecerunt eum* (Josephum) Job. III. 5. *Involvatur amaritudine:* i. e. tempus, diesque acerbi et amari sint, luctibusque et lamentis repleantur. 2. calumniandi libidinem. Rom. III. 14. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*. 2. Peccatum in genere. Act. VIII. 23. *In felle amaritudinis . . . video te esse* i. e. in gravissimo peccato: vere enim peccatum felli comparatur, quod excruciat animam.

Tactus, Tangere idem ac malum inferre. Psal. CIV. 15. *Nolite tangere Christos meos*, ne mali quid faciatis. Obiectum tactus *durum* est et *molle*. Durities crudelitatem et saevitiam. Gen. XLIX. 7. *Maledictus furor eorum* (Simeon et Levi) *quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura*, i. e. crudelis. Denique adflictiones et tristitiam significat. I. Reg. I. 15. *Mulier* קְשַׁת־רוּחַ *dura spiritu ego sum* h. e. adflicta sive *infelix*, ut optime reddit Vulg.

Mollities de corde hominis usurpata denotat timorem et consternationem. Deut. XX. 3. *Non mollescat cor vestrum* h. e. non frangatur, vel *non pertimescat* ut Vulg. 2. contritionem cordis et poenitentiam. 3. de sermone adhibita, significat lenitatem, humanitatem, mansuetudinem, cum prudentia coniunctam. Prov. XV. 1. *Responsio mollis frangit iram*, i. e. lenis, honesta, mansueta. Vide supra cap. XXI. v. *butyrum*.

Somnus

Somnus sive dormitio, qua significatur securitas, est metonymia signi pro signato; ubi enim nulla securitas, nullus somnus. Psal. III. 6. *ego dormivi et soporatus sum.* Item quies post calamitates ab hostibus inlatas. Psal. CXXVI. 2. *Quum dederit dilectis suis somnum*, et requiem ab inimicis, quam in se sperantibus concedet Deus, adparebit haereditas Domini i. e. ipsis a Deo concedenda, copiosa scil. proles, quae singularis parentum benedictio est *). 2. Significatur securitas *mala*, si tamen securitas dici queat, quae infidelitatis et impietatis est, Rom. XIII. 11. *Hora iam est, nos de somno surgere.* Huc pertinet *spiritus soporis* Is. XXIX. 10. quo animi induratio in malum, et in reprobum sensum traditio ex iustissimo Dei iudicio facta innuitur. 3. Ignavia. Prov. IV. 9. *usque quo piger dormies? quando consurges e somno tuo?* **) 4. Mors et interitus. Job. III. 13. *Nunc enim dormiens*

*) Hanc esse genuinam huius loci expositionem, patet ex scopo psalmi, maxime si τὸ *domum* v. 1. pro familia, prole sumamus ut Exod. I. Psal. CXII. 9. Nisi Dominus suscitaverit prolem, quis suscitabit? Nisi Dominus custodierit civitatem, quis proteget? Prolem ergo et quodcunque bonum aliud a Deo expectandum est. Unde sequitur v. 3. *Ecce haereditas Domini:* transit ad aliud genus providentiae, nempe *liberos*, qui etiam non sunt in potestate hominum sine Dei benedictione; ideo vocat illos haereditatem Dei et mercedem: boni liberi sunt magna Dei benedictio; et *fructus ventris* idem significat, quod praecedens *filii*. Haereditas ergo seu possessio a Domino concedenda, illiusque pro adflictionibus in captivitate toleratis retributio erit prolium multiplicatio.

**) Expositionem sibi hic expostulat locus ex Psal. LXVII. 14, qui omnium torsit ingenia. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora eius in pallore auri* i. e. in auro pallido, seu viridi, ut habent LXX. nam color viridis est verus

dormiens (i. e. mortuus) *ſilerem.* Pſal. LXXV. 6. *dormierunt ſomnum ſuum; et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Meretur locus expoſitione literali. Agit pſaltes de exercitu Sennacherib ab Angelo percuſſo. *Viri divitiarum* ſunt viri fortes in exercitu; nam חַיִל ſignificat *robur, exercitum, opes.* Unde vertit S. Hieron. *Et non invenerunt omnes viri exercitus manus ſuas* ſcil. ad pugnandum i. e. nihilomagis percutiente Angelo arma expedire potuerunt, quam ſi manibus caruiſſent: aut *nihil* ſubaudi virum. LXX. et Vulg. ſubintellexerunt τὸ בְּ *in* non raro deficiens; *in manibus ſuis.* Unde et ſomnus a profanis dicitur *mortis imago.*

Specialibus autem credentes in Domino defuncti dicuntur *dormire;* nam in hac metaphora reſpicitur ad beatam tum animarum in manu Dei, tum corporum in ſepulchris requiem; nec non maxime ad innuendam reſurrectionem futuram; qui enim dormiunt, rurſus expergiſcuntur, et ſurgunt. Unde Matth. XXVII. 52. dicitur: *Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerant,*

VIGI-

verus auri color. Perſtringitur heic ignavia tribuum *Ruben* et *Gad*, quae fratribus in bellum contra Jabin euntibus opem ferre noluerunt, et otioſa intra terminos ſuos domi remanſerunt. Unde tota confuſio orta eſt ex τὸ *Cleros*, quae vox ex graeco κλήρους retenta fuit, et ſignificat *poſſeſſionem, haereditatem.* Pennae ſunt *Rubenitae*, allegoria alluſiva ad volucres, quae potiſſimum ſuum robur in pennis habent: unde dicit Jacob Gen. XLIX. de Ruben: *fortitudo mea.* Per *columbam* adumbratur *Jacob.* Per *argentum* et *aurum* deſignantur *opes* et *facultates*, *vires* et *robur* tribus *Ruben.* Eſt ergo oratio Elliptica: *O vos pennae* i. e Rubenitae; fortitudo *columbae* i. e. Jacobi, *ſi dormiatis inter medios cleros* i. e. otioſe, ignave degatis intra terminos veſtros, in poſſeſſione veſtra, neque auxilium feratis fratribus veſtris: ſupple ellipſin: cedet hoc vobis in maximum dedecus. Eiusmodi ellipſes frequentes eſſe, patet ex regulis ſyntaxeos hebraicae.

Vigilia ſomno obponitur, quae etiam ſomno contrariam ſignificationem metaphoricam obtinet; adcipitur enim 1. pro variis pietatis operibus, et virtutis ſtudio. Matth. XXIV. 42. *Vigilate ergo* (ieiunio, eleemoſyna, oratione, aliisque bonis operibus) *quia neſcitis, qua hora Dominus venturus eſt.* 2. Pro alacritate, diligentia, et prudentia in officio rite obeundo. Pſal. CXXVI. 1. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* 3. Pro vita. I. Theſſ. V. 10. *ſive vigilemus* (ſeu vivamus) *ſive dormiamus* (i. e. moriamur) *ſimul cum illo* (Chriſto) *vivamus*, heic in gratia, in altera autem vita, in gloria. Phraſis. *Anticipare vigilias* pro non dormire. Pſal. LXXVI. 5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, tota nocte non dormiebam. hebr. אָחַזְתָּ שְׁמֻרוֹת עֵינָי *Tenuiſti cuſtodias* (vigilias) *oculorum meorum* i. e. vigiles tenuiſti oculos meos: tenuiſti in vigiliis oculos meos, ut dormire nequeam. Eccl. XXXI. 1. *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet ſomnum.* i. e. vigilia (anxia cura) *honeſtatis* i. e. divitiarum augendarum, prout ea vox saepius in libris ſapientialibus ſumitur; *carnes tabefaciet* i. e. ſanitatem excoquet, ſanitati officiet.

§. XVII.

Metaphorae ab hominis aetate, ſexu, gente et familia, variisque actionibus ſumtae.

Vir (אִישׁ) ſtrenuum et magnanimum denotat. I. Reg. XXVI. 15. in N. T. ἀνδρίζεσθαι fortiter ſe gerere ſignificat. Quidam volunt, diſtinctionem eſſe inter has voces אִישׁ et אָדָם *homo.* Voce אָדָם intelligi volunt homines ignobiles, plebeios: τὸ enim *Adam* dicitur,

U quia



quia עָפָר מִן הָרָמָה *pulvis ex pulvere.* Unde recte γηγενεῖς *terrigenae* ex γῆ *terra*, γενὸς *genus*; quod est a γίνομαι *nascor*, quasi ex terra nati, viles, abiecti. Altera vox אִישׁ complectitur illos, qui dignitate aliqua pollent: nam אִישׁ *Vir* est quasi *consistens* a יֵשׁ *fuit*, *exstitit*. Sic et homo iuxta aliquam sui prae coeteris animalibus eminentiam graece dicitur ἄνθρωπος quasi ἄνα ἀθρῶν ὠπὶ quod sursum spectet, coelumque intueatur. Sic in Psal. XLVIII. 3. dicitur: *filii hominis, et filii viri . . simul in unum pauper et dives* vide etiam Psal. LXXXI. 7. At subtilia haec sunt: videntur potius haec duo nomina esse synonyma.

Mulier meticulosum, infirmum, et ignavum hominis animum exprimit. Is. III. 12. נָשִׁים Sym. γυναῖκες *mulieres dominatae sunt eis* i. e. effoeminati et ignavi. Aquila ἀπαιτοῦντες *exactores*. Theod. δανεισταὶ *foeneratores* legerunt נשִׁים *exactores*, a verbo נָשָׁה, unde etiam venit נָשִׁים *mulieres*. Phrasis haec ad profanos transiit. Virgilius Aneid. l. IX. *O vere Phrygiae, neque enim Phryges.* Homerus Iliad. II, et VII. timidos graecorum milites Ἀχαΐδας, οὐκ ἔτ' Ἀχαιούς *Achivas, non amplius Achivos* adpellat.

Virgo. Hoc nomen adtribuitur electis, idque ob eorum puritatem cum fide, tum in fide, tum in vita et moribus. item urbibus. vide supra cap. XIV.

Infans, puer, parvulus pariter electos, seu fideles denotant ob eorum simplicitatem, candorem et innocentiam. Matth. XI. *Confiteor tibi pater . . . quia revelasti ea parvulis*, νηπίοις *infantibus*. Dein rudes in doctrina fidei. Rom. II. 20. *Eruditorem insipientium, magistrum infantium* cet. confidis te esse. Infantium lactatio

meta-

metaphorice transfertur ad primitivam Christi Ecclesiam inter gentes conlectam, fotam, et conservatam. Ies. XLIX. 23. *Et erunt reges nutritii tui, et reginae nutrices tuae.* Simili metaphora cap. LXVI. 11. 12. dulcissima Evangelii consolatio, quam in Ecclesia hauriunt credentes, cum infantium lactatione confertur. Nomina מְעוֹלֵל ,נַעַר *puer, parvulus* principibus et magistratibus tributa, fatuitatem, prudentiae iudiciique privationem denotant. Eccl. X. 16. *Vae tibi, terra, cuius Rex puer est.* Pueritia de populo intellecta, priora et antiquiora tempora significat. Jerem. III. 4. *Pater meus, dux* נְעֻרַי *pueritiae meae tu es* o Deus. Vulg. *virginitatis meae.* Heic autem *pueritia* tempus egressionis ex Aegypto intelligitur, quo populus Israeliticus pueri instar a Deo informatus est, ac in terram promissam deductus. Pueritiae, seu adolescentiae aut iuventutis nomine, robur etiam spirituale significatur. Psal. CII. 5. *Renovabitur, ut aquilae, iuventus tua* vel iuxta hebr. *Renovabis te, sicut aquila, iuventute tua:* aquilae renovari dicuntur, quum post certam periodum temporis, veteres pennas abiiciunt, et induuntur novis. Heinc illud Ies. XL. 31. hebr. *Ascendent* (i. e. succrescent) *pennae sicut aquilarum.* Insistendo autem literali sensui conformiter ad psalmi cit. materiam substratam, hic prodit sensus: *Renovabitur* scil. per eum, qui tot te beneficiis cumulat, o Israel! ut qui videbaris captivitatis calamitate pene consumtus, novis viribus velut pennis instruaris, et velut ad renovationem transeas aquilarum: quia aquila etiam in senectute sunt fortes; sic et restituet tibi vires iuventutis tuae in senecta. Unde illud graecorum: Ἀετοῦ γῆρας, κορύδου νεότης, *aquilae senectus, alaudae iuventus.*



Sponsi et Sponsae vocibus coniunctio spiritualis Christum inter et Ecclesiam, piamque animam exprimitur. Ose. II. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Deus Is. LIV. 5. *Maritum* Ecclesiae se vocat. Vulg *qui dominabitur tui:* verbum בָּעַל et *dominari* et *maritum esse* significat. Heinc hebr. בְּעוּלָה *maritata* dicitur. Vide Is. LXII. 4.

Viduitas populo vel urbi tributa eius desolationem indicat. Is. XLVII. 9. *Venient tibi duo haec subito in die una: sterilitas et viduitas*, i. e. desolatio, vastatio. Vox eadem Ecclesiae adtributa adflictiones denotat. Is. XLIV. 4. *Noli timere . . . quia obprobrii viduitatis tuae non recordaberis amplius.*

Pater ob diversa adtributa varias efficit metaphoras. 1. Sumitur pro auctore cuiuscunque rei ob generationis et productionis opus. Gen. IV. 20. *Jabel* dicitur *pater habitantium in tentoriis et pastorum.* 2. Ob educationem filiorum pro doctore et magistro. Jud. XVII. 10. *Mane apud me, et esto mihi pater ac sacerdos.* Heinc *filii prophetarum* i. e. discipuli. 3. Ob gubernationem filiorum et rei domesticae pro principe, superiore. I. Reg. XXIV. 12. 4. Ob conversationem et coniunctionem cum filiis pro coniunctissima quaque re ponitur: idem est de τῷ *Mater* ac soror. Job. XVII. 14. *Putredini dixi: pater meus es: mater mea, et soror mea vermibus:* i. e. corruptio mihi ac vermes, quibus mortuorum cadavera corroduntur, mihi coniunctissima et praesentissima sunt.

Mater *fornicationum* et *abominationum terrae* dicitur Babylon Apoc. XVII. 5. h. e. inventrix, confirmatrix, propagatrix et propugnatrix quarumvis idololatriarum, doctrinarum damnabilium, errorum scelerumque nefandorum,

rum, quae myſticae ſcordationes et abominationes maximae ſunt coram Deo. Ezech. XXI. 21. bivium *mater* adpellatur, quia exinde duae viae tanquam duae filiae ex eadem matre oriuntur.

Filius tribuitur credentibus et fidelibus, ob myſticam regenerationem. Magiſtratus quoque et principes *filii excelſi* ſive Dei adpellantur, quia in iudiciariae poteſtatis exercitio vices Dei apud homines gerunt. vide Pſal. LXXXI. 6. Primogenitus, qui patri ſolet eſſe chariſſimus, pro re pretioſiſſima et chariſſima adcipitur. Exod. IV. 22. *Haec dicit Dominus: filius meus primogenitus Iſraël* i. e. chariſſimus.

Orphanus non ſemper ſignificat illum, qui parentibus deſtitutus eſt, ſed metaphorice hominem omni ope deſtitutum, ſpretum, abiectum et calamitatibus obpreſſum. Pſal. hebr. X. 14. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*, i. e. tuae curae et protectioni eſt commiſſus.

Frater pro ſimili ponitur. Job. XXX. 29. *Frater fui draconum et ſocius ſtruthionum* i. e. ſimilis fui quantum ad lamentabilem planctum.

Voces *Vir* et *frater eius* ſimul iunctae unius hominis ad alterum conſociationem denotant. Gen. XXVI. 31. *Et ſurgentes mane* (Abimelech et Iſaac) *iuraverunt* אִישׁ לְאָחִיו *vir fratri ſuo* i. e. alter alteri Vulg. *mutuo*. Eadem loquendi ratio ad quascumque alias res etiam traducitur, eaque ſignificatur unius rei ſimilis ad ſimilem coniunctio et adplicatio. Exod. XXV. 20. *reſpiciantque ſe* (Cherubini) *vir fratrem ſuum* h. e. mutuo. Sic *mulier* et *ſoror eius* Exod. XXVI. 3. *Quinque cortinae ſibi iungentur, mulier ad ſororem ſuam* i. e. mutuo. Eodem ſenſu coniun-



guntur voces *vir ad socium suum, mulier et socia eius.* Jerem. XXIII. 35. cet.

Metaphorae a *gente* desumuntur. Sic CHANANAEUS, qui erat a populo Dei alienus sumitur pro extraneo aut impuro. Zach. XIV. 21. *Et non erit Chananaeus ultra in domo domini* i. e. alienigena Vulg. *et non erit mercator;* gens enim Chananaea ob maris viciniam, mereaturae et negotiationi dedita erat. Prov. XXXI. 24. *Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo* h. e. mercatori.

ARABS pro latrone, quia ab omni memoria gens Arabum latrociniis famosa extiterit. Jerem. III. 2. IDUMAEI, et MOABITAE hostes iudaeorum infensissimi, pro quibusvis Ecclesiae hostibus usurpantur. Vide Is. XXV. 10. cet.

CHALDAEI pro astrologis et genethliacis. Dan. II. 2. quia gens illa erat astrologiae deditissima, in eaque praecipue excellebant saeerdotes Chaldaeorum. SODOMAE et GOMORRHAE nomina tribuuntur eontumaci et rebelli iudaeorum populo ob similem cum sceleftis illis impietatem. Is. I. 10. *Audite verbum Domini principes Sodomorum . . . populus Gomorrhae.* Sic etiam civitas illa magna, in qua sedem figet antichristus Apoc. XI. 8. vocatur spiritualiter *Sodoma* et Aegyptus.

Ab actionibus hominum variis variae derivantur metaphorae.

EDERE vel MANDUCARE pro consumere, perdere. Gen. XXXI. 15. *Nonne tanquam alienas reputavit nos* (Laban pater noster) *et vendidit, comeditque pretium nostrum.* Vide Psal. XIV. 4. et alibi. 2. Pro frui et commoda percipere; sicut quae eduntur, et delectationem et alimentum utile praestant: est autem delectatio et fruitio tum externa et corpo-

corporalis, tum interna et ſpiritualis. Sic Prov. IX. 5. *Venite, comedite panem meum* i. e. verbum meum auſcultate, eique obtemperate. Jerem. XV. 16. *Inventi ſunt ſermones tui, et comedi eos* i. e. aeque mihi iucundi erant, ac cibus dulcis eſt comedenti: et ſequitur: *factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, et in laetitiam cordis mei.*

Sitire, Esurire ſignificat ſpiritualium bonorum ardens deſiderium. Pſal. XLI. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem* (non fontem) *vivum.* Eadem verba de impiis uſurpata in iis bonorum illorum abſentiam et aeternam maledictionem notant. Iſ. LXV. 13. *Ecce ſervi mei comedent, et vos eſurietis: ecce ſervi mei bibent, et vos ſitietis.*

Bibere, quia ſitientibus iucundum eſt, adhibetur tum in *corporalibus*, quam *ſpiritualibus.* Jerem. II. 18. *Quid tibi vis in viis Aegypti, ut bibas aquam* שִׁיחוֹר *Schibbor* (Vulg. *turbidam) et quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis*, Euphratis ſcil. qui ſic κατ᾽ ἐξοχὴν adpellatur. Hoc eſt, quid tibi rei eſt cum Aegyptiis et Aſſyriis, ut auxilium eorum advoces. Heic Nilus adpellatur *Schibbor* a verbo hebr. שָׁחַר *nigreſcere*, ob limum atrum agros foecundantem, quem ſecum volvit. Quare Vulg. vertit *aquam turbidam.* Paraphar. Chald. *Nunc ergo quid vobis contrahendo ſocietatem cum Pharaone rege Aegyptiorum, ut proiiciatis iterum mares veſtros in amnem* (adludit ad obpreſſionem filiorum Iſrael in Aegypto) *Et quid vobis percutiendo foedus cum Aſſyria, ut tranſmigrare faciatis vos ultra Euphraten.* Vide ſupra hebraiſmos conviviales cap. V. convivari idem eſt paciſci. Num. XXIII. 24. *Sanguinem occiſorum biberunt*, plenam de hoſtibus victoriam reportare ſignificat. Sumta metapho-



ra a leone et leaena, de quibus in hoc versu, qui sanguinem bestiarum, quas dilaniant, exsugunt.

Prov. XXVI. 6. *Rapinam* seu *violentiam bibet* (Vulg. *iniquitatem*) significat poenam violentiae sive iniquitatis luere. *Bibere* etiam significat alicui rei assuefieri: heinc phrases: *bibere iniquitatem quasi aquam*, *bibere subsannationem*, qui facile alios subsannat, obloquitur, iisque insultat. Huc etiam pertinent illa Apoc. XVIII. 3. ubi de *vino irae* sive *veneni* h. e. *venenato fornicationis Babylonis magnae omnes gentes bibisse* dicuntur.

Inebriari quandoque significat impleri bonis, abundare gaudio, ea quae delectant, cumulatim habere cet. ebrii enim et saturi sunt et laeti. Psal. XXXV. 9. *Inebriabuntur* (i. e. satiabuntur, replebuntur copiosissime omnibus gaudiis) *ab ubertate domus tuae.* Ubertas domus est optimum, quod habet quis domi suae: sic *pinguedo domus Dei;* per *domum Dei* intelligitur Ecclesia triumphans, quia ibi Deus ceu paterfamilias in domo sua familiariter cum beatis conversatur. Econtrario idem verbum calamitatibus obrui interdum significat. Is. LI. 21. *idcirco audi hoc*, *paupercula et ebria*, *sed non a vino:* sicuti enim ebrius confusae mentis est, et nescit, quid faciat; sic qui in angustiis constitutus est, quo se vertat, quidve consilii capiat, ignorat.

Generare, parere de quavis rei productione et eventu adcipiuntur. Job. XXXVIII. 28. *Quis est pluviae pater*, *vel quis genuit stillas roris.* Unde vox תולדות *generationes* significat eventus, res gestas, historias cet. Gen. II. 4. *Istae sunt generationes coeli et terrae.* h. e. historia creationis coeli et terrae. Eadem metaphora tribuitur *Deo* propter gratiam regenerationis spiritualis; item

Eccle-

Ecclesiae, quae mater est spiritualis credentium; dein verbi Dei ministris: *ego vos per Evangelium genui.*

AMBULARE, *abire*, *incedere, ingredi*, et si quae sunt huiusmodi, in aliqua re significat studere, sectari, sequi et universim occupari aliqua re; unde abire *in consilio*, est sequi consilium i. e. decretum mentis, institutum, modum agendi seu vivendi. In Levitico monet Deus, ne Israelitae ambulent in legitimis chananaeorum h. e. ne sequerentur mores eorum: sic in Actis Paulus quaesivisse dicitur ad necem; *si quos invenisset huius viae viros.* Phrasis huius origo est, quod hebrai vitam compararent viae seu itineri, sicut et latini faciunt dicendo: *curriculum vitae.* Psal. I. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, h. e. qui vitam suam non composuit secundum consilium, morem agendi impiorum, aut qui eorum consiliis non acquievit.

Idem verbum significat etiam mori. Gen. XV. 2. *Ego vadam absque liberis* i. e. moriar. Econtrario *manere* pro vivere usurpatur. Joan. XXI. 22. ἐὰν *si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* h. e. si eum volo vivere, sive superstitem esse. Vulg. *sic* vitio liberariorum; omnes enim codices graeci ferunt ἐὰν *si.*

STARE pro feliciter se habere seu bona conditione esse. I. Reg. XXIV. 21. וְקָמָה. LXX. καὶ σταθήσεται *et stabit regnum in manu tua* h. e. firmum et diuturnum erit. 2. firmiter credere seu in fide perseverare. Exod. XIV. 13. *Nolite timere, state, et videte magnalia Dei* h. e. firmiter credite. Sic de peccato usurpatum, in eo perseverare denotat. Psal. I. *Et in via peccatorum non stetit*: stare in via peccatorum est probare genus impium, et studia peccatorum, insistere huic vitae generi. 3. Deut.

 XIX.



XIX. 15. *in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum* i. e. confirmabitur, ratum habebitur.

Sedere quietem et ſtabilem eſſe ſignificat. Gen. XLIX. 24. *ſedit in forti arcus eius* (Joſephi) i. e. arcus eius perſeveravit ſtabilis et fortis; pergit enim in metaphora Jacob, qui Joſephum et fratres eius inducit tanquam praelium committentes, ſeque invicem ſagittis petentes. Joſephum autem in eo praelio ſuperiorem facit, q. d. ſagittis quidem ſuis petiverunt eum fratres eius, ſed ipſe ſagittando fortior fuit, et ſuperior evaſit.

Cadere ſignificat 1. peccare Jerem. VIII. 4. 2. Calamitatibus obrui. Prov. XXIV. 16. *Septies enim cadet iuſtus et reſurget:* ſepties i. e. ſaepius numerus determinatus pro indeterminato: agitur heic de lapſu in calamitates, non in peccatum: quia ſic nectitur hic ſenſus cum ſenſu genuino ℣. praeced. q. d. Ne per inſidias quidquam ſtruas iuſtis, licet enim aliquando praedomineris, eosque adverſis deprimas, non tamen obprimes: reſurgent enim, et ex iis, Deo dante, emergent: at tu econtra tuique ſimiles, quum ſemel lapſi fueritis in calamitatem, poenamque a Deo paratam, non adiicietis, ut reſurgatis. Dein hebraeum נָפַל *cadere,* dum obponitur alteri קום *ſurgere*, nunquam ſignificat *cadere in peccatum*, ſed *in calamitatem:* Extat quoque apud hebraeos proverbium ſimile: *ſeptem foveae pacifico ſtruuntur*, quas evadit; at *una operanti malum ſufficit*, ut pereat.

Abbreviare (קָצַר) de manu Dei uſurpatum, impotentiam, et imminutionem notat, et ſemper negative adcipitur. Num. XI. ℣. 23. *Numquid manus Domini abbreviata eſt?* Vulg. *invalida eſt?* ſumta eſt metaphora a nervorum laeſione, quae ſaepe in cauſa eſt, quur manus

nus et brachia contrahantur, ſicque fiant inutilia. Vide etiam Iſ. L. 2. At verbum iſtud homini tributum, ſemper adfirmative exponendum eſt. Vide IV. Reg. XIX. 26. Idem verbum de anima ſive ſpiritu hominis adceptum, eius contriſtationem, taedium, et adflictionem denotat. Num. XXI. 4. *Et abbreviata eſt anima populi huius in via* Vulg. *et taedere coepit populum itineris ac laboris.*

Adcipere (לָקַח) diſcere et intelligere doctrinam ſignificat. Job. XXII. 22. *Adcipe ex ore illius* (Dei) *legem* i. e. diſce. Vide Prov. I. 3. cet. Inde לֶקַח *adceptio* pro doctrina Job. XI. 4. Vice verſa *dare* pro docere ſumitur. Prov. IX. 9. תֵּן לְחָכָם *doce ſapientem et ſapientior erit.* Hanc eſſe eo loci verbi נָתַן ſignificationem, liquet ex hemiſtichio ſequenti: *doce iuſtum, et feſtinabit adcipere.*

Acuere ponitur pro informare, diligenter inculcare, erudire. Gen. IV. 22. *Sella genuit Tubalcain, qui fuit* לוֹטֵשׁ *acuens* (h. e. erudiens) *artificem aeris et ferri.* Heic etiam reſpicitur ad fabros ferrarios, qui ferrum acuunt, i. e. poliunt. Hoc verbum ad oculos relatum, terribiliter intueri ſignificat. Job. XVI. 9. *Hoſtis meus* יִלְטוֹשׁ *acuit oculos ſuos in me* Vulg. *terribilibus oculis me intuitus eſt.*

Aedificare ſignificat 1. liberos procreare, ex quibus familia inſtar domus aedificatur. Gen. XVI. 2. *Ingredere ad ancillam meam, fortaſſe* אִבָּנֶה *aedificabor ex illa* Vulg. *ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam liberos.* Idem ſignificat *aedificare domum*, qua etiam innuitur ſpecialis Dei benedictio. Exod. I. 21. *Aedificavit eis* (obſtetricibus) *domos.*

2. In-



2. Inſtaurare, exaltare, et proſperum reddere. Job. XXII. 23. *Si reverſus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis* h. e. in priſtinum felicem ſtatum reſtitueris, aut ſicut prius, prole ditaberis. Quo ſenſu *deſtruere* quandoque ipſi obponitur. Pſal. XXVII. 5. *Deſtrues illos, et non aedificabis eos.* 3. Stabilem efficere et confirmare inſtar domus bene fundatae. Pſal. LXXXVIII. 3. *In aeternum aedificabitur miſericordia in coelis* h. e. firma erit et ſtabilis ſicut coeli, qui ſolidiſſimi ſunt. Econtrario *aedificare* per antiphraſin *deſtruere* ſignificat. I. Cor. VIII. 10. *ſi enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem; nonne conſcientia eius, quum ſit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta?* h. e. laedetur, ſeducetur, deſtruetur, ut etiam idolothyta manducet.

Bellare, militare, pugnare ſignificat ad cultum divinum turmatim convenire. Exod. XXXVIII. 8. *Fecit* (Beſeleel) *et labrum aeneum cum baſi ſua, ex ſpeculis* הַצֹּבְאוֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ *militantium* (mulierum) *quae militabant ad oſtium tabernaculi* h. e. quae turmatim ad oſtium tabernaculi conveniebant. Vulg. *quae excubabant.* Tribuitur eadem vox Levitis et ſacerdotibus. Num. IV. 23. *Numera omnes* (Levitas) *qui ingrediuntur* לִצְבֹא צָבָא *ad militandum militiam* h. e. ad peragendum ſacrum miniſterium ad ſacerdotio fungendum. Levitae enim in loco ſancto miniſtrantes erant inſtar militum exercitia militaria obeuntium. Huc pertinet

Exercitus, militia, quibus tempus certum et determinatum ſignificatur. Job. VII. 1. *Nonne* צָבָא *militia* ſive *exercitus eſt homini ſuper terram* h. e. nonne certum ſpatium temporis praeſcriptum eſt homini ſuper terram? nonne *ſicut mercenarii dies eius?* h. e. ſicut mercenarius

narius ad certum tempus conducitur, et postea mercedem laboris recipit: ita homo, postquam certo tempore vixit, moritur, et miseriis eius finis imponitur. Isthaec metaphora a vita et ritu militari desumta est; nam milites, postquam certo temporis spatio meruerunt, exauctorantur. Vide supra cap. VI.

Castra metari dicitur de Angelis bonis pios defendentibus. Psal. XXXIV. 8. חֹנֶה *castra metatur angelus Domini in circuitu timentium eum.* Vulg. *Immittet* (supple *se* i. e. locabit aut ponet se) *angelus Domini in circuitu* cet. In circuitu immittere est cingere, munire, protegere. Non videtur heic interpres graecam vocem παρεμβαλεῖ satis adsequutus, quum ea non modo LXX. in pluribus locis, sed et alii interpretes graeci pro *castra metari* utantur; deducta est significatio a nomine παρεμβολὴ *castra* exercitus. 2. dicitur de die ad vesperam inclinante: Jud. *XIX.* 9. *Considera diem* חֲנוֹת *castra metari* cet. Vulg. *quod dies propinquat ad vesperam*, quo sol residere nobis videtur.

Ligare pro abscondere dicitur Is. VIII. 16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis* h. e. testimonium istud et legem hanc sive doctrinam populo huic pervicaci et obdurato absconde, discipulis meis, i. e. fidelibus piis revelanda. Confer. Matth. XI. 25. Porro sumta est metaphora a notariis, qui postquam in tabulis res secretas scripserant, tabulas illas lino involutas obsignabant.

Mercari, Emere i. e. toto animo intentum esse significat. Prov. XXIII. 23. *Veritatem eme, et noli vendere sapientiam*, i. e. veritatis cognitionem diligenter quaere et sapientiam retineto; seu nihil veritati et sapientiae praeponas: quod enim vendimus, eo, quo vendimus, minoris aestimamus. Metaphora, ut liquet, a mercatori-



toribus desumitur, qui, ut merces comparent, longissima et periculosissima itinera suscipiunt, pecuniam impendunt. cet. sic, ut veritas, sapientia, aliaeque divitiae spirituales comparentur, nihil intentatum relinqui debet. Huc pertinet phrasis *tempus redimere*, Ephes. V. 16. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* h. e. omni studio et pretio, voluptatum et rerum quarumvis dispendio tempus ad bene agendum captantes, dies enim bonum faciendi occasionem vel adimunt vel minuunt vel periculo exponunt, ob eam, quae adversus vos viget, persequutionem, ideoque mali sunt.

Negotiari pro callide decipere, et perdere adcipitur; mercatoribus enim fraudes et doli familiares sunt. II. Pet. II. 3. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur* magistri mendaces; qui ℣. 1. commemorantur.

Proiicere animam suam procul, extremum mortis periculum adire significat. Jud. IX. 17. *Et proiecit* (Jerobaal) *animam suam procul*, h. e. animam suam dedit periculis, ut vertit Vulg. Sic *animam suam ad moriendum probris adficere*, sive probrose exponere. Item *animam suam in manu ponere.* Psal. CXVIII. 109. *Anima mea in manibus meis semper* i. e. ego sum semper in periculis vitae, veluti si portarem vitam meam in manibus praedae expositam.

Adulterari, scortari, quod idololatriam exercere et impietati addictum esse significat. Deus enim sibi spirituali foedere Ecclesiam coniunxit et veluti desponsavit. Si igitur Deo vero turpiter relicto ad idola confugiat, et a pietate descisscat; foederis quasi coniugalis obliviscitur, atque ita scortari in scripturis dicitur. Phrasis haec frequentissime occurrit.

Fasci-

Fascinare, quod falſa doctrina ſeducere denotat. Gal. III. 1. O inſenſati Galatae!. quis vos faſcinavit non obedire Evangelio? ſumta metaphora ab oculorum praeſtigiis; ſequitur enim: *ante quorum oculos Chriſtus Jeſus praeſcriptus eſt, in vobis crucifixus.*

Furari, quod clanculum dicere vel furari innuit. Gen. XXXI. 20. *Et furatus eſt Jacob cor Labanis Aramaei, eoquod non indicaſſet ei, quod fugeret* Vulg. *Noluitque Jacob confiteri ſocero ſuo, quod fugeret.* II. Reg. XV. 6. *furari cor* ſignificat etiam dolis et malis artibus animum ſibi conciliare. *Et furabatur Abſolom cor virorum Iſrael.* Vulg. ſollicitabat. Joan. X. 8. *Fures et latrones* vocat Chriſtus, *quotquot ante eum venerunt*, quibus intelligit pſeudo-prophetas, Pontifices, Sacerdotes, Phariſaeos cet. qui falſa doctrina animabus, quaſi latrones, mortem aeternam inferebant, abducendo a Chriſto, qui verum eſt oſtium.

Praedari, quod decipere, et cognitione ſalutis abducere denotat. Coloſs. II. ✝. 8. *Videte, nequis vos ἔσται ὁ συλαγωγῶν praedetur per philoſophiam* cet. Vulg. optime *decipiat.*

§. XVIII.

Metaphorae aliae ad hominem ſpectantes.

In hoc capite inquiramus ea, quae tum ad *loci* dimenſionem, tum ad *habitationes* hominum ſpectant. Ad dimenſionem loci ſpectat

Altitudo metaphorice ſignificat rem abſtruſam et difficilem. Prov. XXIV. 7. *Excelſa* ſive *alta* (eſt) *ſtulto ſapientia* i. e. non poteſt ſtultus ad ſapientiam pertingere.

2. Men-



2. Mentis in varias sollicitudines, perplexitates, distractionem. Luc. XII. 29. *Et vos nolite quaerere, quid manducetis, aut quid bibatis*, καὶ μὴ μετεωρίζεσθε *et nolite in sublime tolli* i. e. ut interpretatur Syrus: *neque distrahatur cogitatio vestra in istis*. Sic Thucyd. l. II. *Tota Graecia* μετέωρος *suspensa, anceps erat*. Metaphora autem desumitur ab iis, quae in aere suspensa, modo huc, modo illuc inclinant. Heinc latinorum phrases: *animi pendere, dubio, suspenso animo esse*.

A corpore ex alto decidente elegans metaphora deducitur. Gen. XLIII. 18. *Introducti sumus, ut devolvat se* (Joseph) *super nos, et ut irruat super nos, et ut adcipiat nos in servos*. Vulg. *ut devolvat in nos calumniam*. Vocem *calumniam* sensus planioris efficiendi gratia addidit. Ratio autem metaphorae in eo posita est, quod, quo graviora et altiora sunt corpora, eo graviori impetu decidant, idque dignitatem ac potentiam Josephi mirum in modum exprimit. Dicitur Deus populum suum *super excelsam terram constituisse*, quo divina eius tum protectio, tum defensio et exaltatio innuitur. Sic Is. XXXIII. 16. *In excelsis habitare* dicitur iustus, pro securum esse ab hostibus, et Dei patrocinio frui; loca enim altiora tutiora sunt infimis. Psal. XIV. 1. *Levare animam ad Deum*, fiduciam in eo ponere, et eius opem implorare significat. Psal. CXLIX. 6. *Exaltationes Dei in gutture* seu *faucibus* piorum esse dicuntur, h. e. laudes, encomia et gratiarum actiones, quibus excelsus praedicatur Deus.

Dextera seu dexterum latus prudentiam, circumspectionem cet. denotat. Econtrario *sinistra* seu *sinistrum latus*, imprudentiam, temeritatem innuit. Eccl. X. 2. *Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra eius*, h. e. sapiens prudentiam, stultus autem imprudentiam

tiam cogitat: ſcriptura enim cogitationem cordi, adfeĉtum vero renibus tribuit.

Dilatare vide ſupra §. iv. Paulo aliter haec vox adcipitur ab Apoſtolo II. Cor. VI. 11. *Cor noſtrum dilatatum eſt.* ℣. 12. *Non anguſtiamini in nobis:* ℣. 13. *Dilatamini et vos*, q. d. Unus ego vos omnes in corde meo capio i. e. amore compleĉtor; viciſſim et nos capiatis o Corinthii. *Latitudo cordis* quandoque in bonam partem ſumitur, quandoque in malam. *In bonam*, tunc ſapientiae et virtutis amplitudinem denotat. III. Reg. IV. 29. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni . . . et latitudinem cordis* i. e. magnanimitatem ad res, quas prudentia ſuggerebat, adgrediendas.

In malam, tunc ſuperbiam et audaciam ſignificat: Prov. XXI. 4. *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis*: i. e: oculorum elatio ex tumore cordis proficiſcitur. I. Reg. II. 1. *Dilatari os* dicitur, quum ſermo libere et cum gaudio profertur. *Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos* i. e: habeo nunc, quod reponam inimicis meis, qui ſterilitatis meae obprobrium mihi obiiciebantur; libere nunc eos adloquar cet. Pſal. LXXXI. 11. *Dilata os tuum; et implebo illud:* pete, quae tibi ſunt neceſſaria: innuitur magna petitio ex parte poſtulantis, et magna donatio ex parte Dei concedentis. Sumta eſt metaphora ab avibus vel infantibus, qui matre porrigente cibum os aperiunt, ut porreĉtum alimentum percipiant. Pſal. CXVIII. 131. *Os meum aperui et adtraxi ſpiritum* i. e. aerem: figurata loquendi formula, quae ſignificare vult, ſe prae legis deſiderio os veluti aperire et aerem adtrahere; hic enim eſt geſtus hominum avidiſſime aliquid expetentium, maxime famelicorum, dum offertur cibus. Impii

quoque *os suum dilatare* dicuntur, quo petulans eorum adversus pios insultatio exprimitur. *Animam dilatare* Habac. II. 5. est avaritia et πλεονεξία maxima laborare. Loquutio eadem de inferno usurpatur Is. V. 14.

Quod spectat ad habitationes hominum, considerandae sunt earum *partes* et *species*. Partes sunt

Fundamentum praecipua aedificii pars, et cui tota moles superaedificata incumbit: significat 1. Christum, qui est Ecclesiae, et spiritualis eius aedificii fundamentum. Is. XXVIII. 16. 2. ob firmitatem et stabilitatem de terra usurpatur. Job. XXXVIII. 4. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae.* Psal. CIII. 5. *Fundavit terram super stabilitatem suam* hebr. super columnas seu bases eius, quibus terra inmobiliter nititur. Terrae enim bases quasdam et columnas ceu fundamenta adtributa fuisse ex variis s. scripturae locis patet. Is XL. 22. Jerem. XXXI. 28. Heinc *fundare* pro *confirmare* sumitur Is. XIV. 32. *Quia Dominus fundavit Sion.* 3. Fundamentum, quod primum est in exstructione, et ultimum in destructione, ordinem denotat; indeque pro initio, respectu temporis, sumitur. I. Esd. VII. 9. *Quia in die primo, mensis primi, ipse* (Esdras) *fuit fundamentum ascensus* sive coepit ascendere de Babylone.

Paries vocatur a Paulo Eph. II. 14. Lex Mosaica, quae iudaeos custodiebat, et a gentibus separabat. *Ipse enim* Christus *pax nostra, qui fecit utraque unum* (nempe iudaeos et gentiles) *et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua* (i. corporis sui sacrificio) *solvit.* Act. XXIII. 3. Paulus summum Pontificem vocat *parietem dealbatum* h. e. hypocritam.

Murus

Murus roboris et defenfionis fignum eft et vice verfa: *ruptura muri*, robur ablatum et defenfionem ablatam denotat. Ezech. XIII. 5. *Non afcendiftis* (o falfi prophetae (בַּפְּרָצוֹת *in fracturas* five *rupturas* (muri) *et non non obpofuiftis murum pro domo Ifrael* h. e. monitis, precibus cet. periculis non obftitiftis, quae per veftram legis violationem; quafi per muri fracturam in Dei populum inftar hoftium irruerunt. Haec metaphora a re caftrenfi defumta eft; quum enim in obfidione urbis rumpuntur muri, milites, qui eam cuftodiunt, turmatim illuc fe conferunt, ut hoftem, quo minus per rupturam illam afcendat, impediant, et obiectis corporibus claudunt. Huc pertinet Pfal. CV. 23. *Et dixit* (h. e. decrevit Deus) *ut difperderet eos* (Ifraelitas) *fi non Moyfes electus eius ftetiffet* בַּפֶּרֶץ in ruptura (Vulg. *in confractione*) *in confpectu eius*, *ut averteret iram eius*, cet. nifi Moyfes precibus fuis furori Dei fe fortiter obieciffet, ac Deum veluti repuliffet. *Stare* itaque *in confractione* feu *ruptura* fignificat intercedere feu interpellare pro aliquo. Huc etiam pertinet *maceria*, five *fepes*, quae ab hoftibus tutelam fignificat. I. Efd. IX. 9. *Inclinavit fuper nos mifericordiam fuam* (Deus) *ut daret nobis fepem in Juda et Jerufalem*; h. e. ut nos ab hoftibus noftris tutaretur. Econtrario *rumpere fepem* feu *maceriam*, eft hoftibus tradere cec.

Gradus, quo afcenditur in aedificium, pro donorum fpiritualium augmento adcipitur. I. Timoth. III. 13. *qui bene miniftraverint*, *gradum bonum fibi acquirent*, h. e. in dies ex dono Dei augentis proficient, et altius quafi adfurgent.



Columna, quia totam molem domus ei incumbentem sustinet, constantiam, firmitatem, perennitatemque denotat. Jerem. I. 18. *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et columnam aeream.*

Angulus, quia extremitas aedificii est, pro aliarum rerum extremitate adcipitur. Inde verbum hebraeum in hiphil הִפְאָה *angulare*, si fas est ita loqui, et in fut. אַפְאֵיהֶם Deut. XXXII. 26. *angulabo eos* i. in angulos sive extremitates terrae profligabo eos. Vulg. *Ubinam sunt?* legebat voce hebraica in tres partes divisa אַף־אֵי־הֵם *etiam ubi sunt ipsi?* 2. Agri et regionis partem. Lev. XIX. 9. *Quum messueris segetes terrae tuae, non absolves angulum agri tui* h. e. Angulum indemessum relinques. Angulus autem iste ex moribus iudaeorum erat pars sexagesima, quae pauperibus et peregrinis relinquenda erat.* 3. Principem, Regem, magnatem, qui anguli instar regni aedificium continet. Jud. XX. 2. *omnesque anguli populorum . . . in Ecclesiam populi Dei convenerunt*, i. e. primores, magnates, proceres, qui reipublicae molem fulciunt, sicut anguli aedificium sustinent. Inde est adpellatio *lapidis angularis*. Obscurus demum locus habetur Is. III. 17. *et Dominus* פָּתְהֵן *angulum ipsarum nutabit*, pro פַּאֲתְהֵן cum adfixo anomalo, loco פָּאתָן. LXX. Vatic. τὸ χῦμα αὐτῶν *babitum earum*. Complut. αἰσχύνωμα αὐτῶν *ignominiam* seu *pudendum ipsarum*, atque ita explicant plerique interpretes. Vulg. *crinem earum* h. e. capillorum cicinnos, qui in frontem decidunt.

Clavus, paxillus, quia bene infixus locum suum, et res sibi adnexas retinet, significat sedem certam ac fixam.

fixam. I. Esd. IX. 8. *Et nunc . . . facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum . . . ut daretur nobis paxillus in loco eius* i. e. sedes fixa. Vide supra cap. I.

Janua, ostium, porta metaphorice adcipitur de iis, quae vices eius sive in *materialibus*, sive in *spiritualibus* praestant. In materialibus usurpatur de urbe populosa, per quam veluti per ianuam mercatores ex omnibus populis ingrediuntur et egrediuntur. Ezech. XXVI. 2. *Pro eo, quod dixit Tyrus de Jerusalem: Euge, euge, confractae sunt portae populorum* h. e. Jerusalem eversa est. Heic etiam portae pro urbe ipsa per synecdochen possunt adcipi. 2. de labiis, quibus os clauditur et aperitur. Job. XLI. 5. *Portas vultus eius* (Behemoth) *quis aperiet?* h. e. labia eius. Psal. CXL. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis* i. e. sepi ostium labiorum meorum. 3. De nubibus, ex quibus decidit manna in deserto. Psal. LXXVII. 22. *Et ianuas coeli aperuit, et pluit illis manna.* Dicitur autem Deus ianuas coeli aperire, quando benefacit. 4. de utero materno. Job. III. 10. *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me.*

In spiritualibus *ostii apertio* verbi Dei praedicandi commoditatem denotat. Is. XXVI. 2. *Aperiet portas, et ingrediatur gens iusta. Porta coeli* dicitur vel locus, in quo Deus praesentem et familiarem se exhibet; vel medium, quo ad coelestem beatitudinem pervenitur. Gen. XXVII. 17. *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.* Idem significat *porta iustitiae*, Psal. CXVII. 19. *Aperite mihi portas iustitiae* (h. e. templi vel tabernaculi) *ingressus in eas confitebor Domino.* Christus Dominus Joan. X. *ostium* se vocat, quia mediator est, per quem in ovile h. e. in Ecclesiam, et per hanc in vitam aeternam

introire licet. Heinc scribae et pharisaei *regnum coelorum claudere dicuntur*, quia homines a doctrina Christi avertebant. Matth. XXIV. 33. *prope esse in ianuis*, propinquitatem temporis denotat. *Portae mortis et sepulcbri* sive *inferni* ipsam eius potentiam, regnum et imperium diaboli; sic Turcae, qui et ipsi Orientalibus phrasibus utuntur, suum imperium vocant *portam ottomannicam*. *Portae filiae Sion* sunt non solum ipsa civitas per synecdochen partis, sed totum imperium Jerosolymitanum. Ducta est metaphora ab urbium portis, in quibus iudicia et consultationes exercebantur, ad quae frequens erat populorum concursus unde in psalmis: *quum loquentur inimicis suis in porta*, h. e. in iudicio. *Portae* igitur sumuntur pro magistratu, seu portis iudicii, ut et illud: *Nobilis in portis vir eius*. *Portae mortis* sunt consilia et machinationes mortis; item extremum vitae discrimen et summa pericula. Job. XXXVIII. 17. *Nunquid apertae sunt tibi portae mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* h. e. an rationes, aut varia mortis genera, quibus singuli conficiuntur, perspecta sunt tibi? Aut *portae mortis* heic idem importare videntur, quod *ostia tenebrosa*, loca, scil. densa caligine obducta et abditissima, q. d. Num intimos terrae recessus, ut ego, scrutatus es? *Portae inferi, quae adversus Ecclesiam non praevalebunt*, significant consilia, machinationes, et potestatem diaboli, eiusque ministrorum, haereticorum videlicet et tyrannorum. Matth. VII. 7. Luc. XI. 9. *pulsare ianuam* gratiae credentes iubentur h. e. instanter orare. Et vicissim Christus *pulsare ianuam* cordis nostri dicitur, quum ad poenitentiam internis inspirationibus invitat.

Vectis, quo fores civitatis, aut domus obfirmantur, mari etiam tribuitur, et praeterea omne rei munimentum

mentum et robur indicat. Job. XXXVIII. 10. *Circumdedi illud* (mare) *terminis meis*, *et posui vectem et ostia* h. e. repagula et fores, quibus concluderetur.

Clavis, qua ianua reseratur, auctoritatem, et potestatem gubernationis indicat. Is. XXII. 22. *Et dabo clavem domus David super humerum eius* cet. i. e. summa auctoritate pollebit. Apocal. I. Christo *claves inferni et mortis* tribuuntur, quibus summum eius imperium exprimitur. Luc. XI. 52. *Clavis scientiae* potestatem docendi et interpretandi scripturas denotat. Matth. XVI. 19. *Claves regni coelorum* potentiam remittendi et retinendi peccata significat.

Civitas, urbs denotat Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem. Is. XXVI. 1. *Urbs fortitudinis nobis* (est; nam) *salus* sive *salvator ponet murum et antemurale* ita ut adversus eam portae inferi non praevaliturae sint. Vulg. *Urbs fortitudinis nostrae Sion.* Vocem *Sion* addidit, quia revera de Jerusalem Ecclesiae typo heic agitur. Specialis loquutio habetur apud Ecclesiasten X. 15. *labor stultorum adfliget eum* (h. e. unumquemque illorum) *quod nesciat ire in civitatem.* Hoc plerisque proverbium est, pro *rem notissimam ignorare.* Torquent se stulti multo labore circa difficilia et homini abscondita, qui tamen facilia et pueris nota ignorant. Urbium munitiones denotant arma, in quibus confidunt Ecclesiae hostes, qualia sunt carnalis sapientia, profana eruditio, eloquentia cet. II. Cor. X. 4. *Arma militiae nostrae non carnalia sunt*, *sed potentia Dei*, *ad destructionem munitionum* cet. ad confundendam carnalem sapientiam.

Turres ob celsitudinem, reges, principes, magnates, superbos indicant. Is. II. 12. *Quia dies Domini exercituum* ℣. 15. *super omnem turrim excelsam.*

 Domus,



Domus, tabernaculum Ecclesiam militantem et triumphantem significat. Amos IX. 11. *Tabernaculum David* instauratum adumbrat etiam purum Dei cultum rursus instauratum, *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo aperturas murorum eius . . . et reaedificabo illud sicut in diebus antiquis*, Davidis nempe et Salomonis, quorum aetate pura vigebat religio. Vide Act. XV. 16. ubi vaticinium illud ad Christi tempora a S. Jacobo coeterisque Apostolis refertur. Praeterea *tabernaculum* de solis in coelo mansione sive constitutione usurpatur. Psal. XVIII. hebr. XIX. 5. לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם־אֹהֶל בָּהֶם *soli posuit tabernaculum in eis* (coelis Vulg.) *In sole posuit tabernaculum suum:* Haec constructio in lingua latina absona adparet; at qui intelligit naturam linguae hebraicae, facile adsequetur sensum, vid. *solem posuit in coelis*, solem in coelis habitare fecit. Eundem sensum habent graeca iuxta idioma Hellenisticum intellecta: ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς (οὐρανοῖς) Nam graecis infrequens non est dativum per τὸ ἐν exprimere. Ἐμπιστεύσατε ἐν προφήταις *credite prophetis eius*. Dein τὸ αὐτοῦ saepius in LXX. pro adverbio loci ponitur. Act. XVIII. 19. *reliquit eos* αὐτοῦ ibi; sic et supra: *soli posuit tabernaculum ibi.* Insistendo autem Vulgatae hic est sensus; Deus in sole dicitur constituisse tabernaculum ob specialissimas operationes lucis, caloris, vegetationis, stabilis et uniformis motus. Vox eadem de corpore humano adcipitur II. Pet. I. 14. *Certus, quia velox est depositio tabernaculi mei* cet. h. e. quod brevi moriturus sum, Anima enim in corpore quasi in tabernaculo ad tempus habitat, donec ex eo migrare in morte iubeatur.

Penetralia seu interiora Austri stellae sunt versus polum Antarcticum, quae sic dicuntur, quod iis,

qui

qui in altero hemisphaerio degunt, non adpareant, quasi in penetralibus concluderentur. Job. IX. 9. *Qui* (Deus) *facit Acturum et Oriona et Hyadas et interiora Austri.* Prov. VII. 27. *Penetralia* seu *interiora mortis* mortem aeternam, ex qua nemo revocari potest, denotant. Is. XXVI. 20. *Penetralia* vel *cubicula populi Dei* sepulchra sunt, e quibus educentur mortui in extremo iudicio.

Carcer et in eum inclusio, aeterna impiorum supplicia denotat. Is. *XXIV.* 21. Vulg. *In die illa* (extremi iudicii) *visitabit Dominus super militiam coeli in excelso* (h. e. super angelos malos, qui una cum hominibus, iudicandi sunt I. Cor. VI. 3.) *et super reges terrae, qui sunt super terram*, quique magis punientur, quam eorum subditi, quos in officio continere debebant) ℣. 22. *Et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum* (proiiciendi) *et claudentur in carcere, et post dies multos visitabuntur*, i. e. in aeternum punientur; *visitare* enim, ut supra monuimus, *punire* etiam significat; et *multitudo dierum* per synecdoches speciem heic pro aeternitate ponitur, ut alibi dies pro annis usurpantur. Vice versa *eductio de carcere* sive *custodia*, ex malis et periculis liberationem significat. Psal. *CXLI.* 8. *Educ de custodia animam meam* i. e. e periculis et angustiis eripe me.

Navis Ecclesiae hostes denotat. Is. *XXXIII.* 21. Hebr. *Quia ibi* (in Sione Ecclesiae typo) *potens Dominus* (erit) *nobis loco fluviorum et rivorum spatiosorum manibus* [1] (h. e. rivorum latissimorum, qui equitibus pedibusque adcessum negabunt) *neque transibit per eum* (fluvium aut rivum) *navis remi* (i. e. remis impulsa) *neque navis magnifica* (h. e. navis maxima) *pertransibit eum*, adeo rapidus erit et navibus impervius. Hac metaphora indicatur



Chriſti Eccleſiam ita a Deo fore protegendam, ut nunquam portae inferi adverſus eam praevaliturae ſint. I. Tim. I. 19. *Naufragium facere circa fidem* ab ea per apoſtaſiam et vitae improbitatem deſciſcere ſignificat.

Sepulchrum corporis poſt mortem domicilium peſſimam hominis naturam exprimit. Pſal. V. 10. *ſepulchrum patens eſt guttur eorum.* Syncheſis eſt, i. e. ſenſus ordo perturbatur, quum ſubiectum praedicato poſtponitur: lege ſic: *guttur eorum ſepulchrum patens eſt:* quemadmodum ergo ex ſepulchro aperto odor teterrimus et peſtilens egreditur; ita ex improborum corde per guttur eorum exeunt peſſimi ſermones, qui audientium animas enecant. Unde Matth. *XXIII.* Phariſaei et ſcribae ſepulchris dealbatis comparantur.

§. XIX.

Metaphorae a variis hominum adiunctis deſumtae.

Adiuncta hominis alia ſunt *in*-alia *externa;* de internis heinc inde iam dictum fuit. De externis ſcil. armis, vaſis cet. agemus.

Arma metaphorice ſumta ad ſpiritualem hominis pugnam adverſus diabolum, mundum et carnem referuntur. Rom. *VI.* 13. *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis pro peccato: ſed exhibete . . . membra veſtra arma iuſtitiae Deo.* h. e. ne exhibeatis membra veſtra peccato ad certandum pro iniquitate; ſed exhibete illa Deo ad pugnandum pro iuſtitia, contra carnis deſideria, mundi inlecebras cet. Confer Eph. *VI.* 11. ſqq. ubi ſpiritualis illius armaturae deſcriptionem elegantiſſimam videſis.

desis. Luc. *XI.* 21. *fortis armatus* Diabolus est, quem vicit Christus.

Gladius significat dolores acerbissimos Luc. II. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* h. e. dolores acerbissimos patieris. Qua ratione tribuitur linguae maledicae. Psal. LIV. 22. *Molliti sunt* (hebr. *molles sunt*) *sermones eius super oleum, et ipsi sunt* פְתִיחוֹת *stricti gladii.* Vulg. lat. *iacula* h. e. dolores acerbissimos adferunt. Vide supra cap. *XXI.* ad fin. Psal. *LVI.* 5. *filii hominum, dentes eorum arma et sagittae* cet. hebraismus pro *filiorum hominum dentes.*

Arcus et sagitta, quae linguam maledicam itidem denotant. Vide supra cap. I. §. vi. Unde *sagittare* pro detrahere. *Sagitta in die volans* quodvis malum vel periculum subito ingruens significat. Psal. *CX.* 5.

Pharetra sagittarum theca, quae domum sive familiam significat. Psal. *CXXVI.* 4. *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii* הַנְּעוּרִים *iuventutum* S. Hieron. *iuventutis* h. e. in iuventute parentum geniti, vel qui ipsi iuvenes sunt, proindeque fortes et robusti. *LXX.* ἐντετιναγμένων *excussorum*, quod etiam significare potest vox hebraica נַעַר vide sup. cap. I. §. vi. *Beatus vir, qui implevit* אַשְׁפָּתוֹ Aq. Sym. Theod. φαρέτραν αὐτοῦ S. Hieron. *pharetram suam* i. e. domum suam *ex ipsis* filius iuvenibus ac robustis: *Non confundetur, quum loquetur inimicis suis porta;* quandoquidem causam ipsius agent in porta urbis, ubi iudicia olim exercebantur. Vel *non confundetur, quoniam perdet inimicos suos in porta;* דָּבַר enim et *loqui* et *perdere* significat. *LXX.* vocem אַשְׁפָּתוֹ ἐπιθυμίαν αὐτοῦ *desiderium suum* interpretati sunt, sensum dumtaxat adtendentes; *implere enim pharetram* poetica loquutio est, pro tot habere, quot cupias.

Clypei



Clypei et scuta Principes et magnates: vide ſupra loc. cit. Epheſ. VI. 16. *in omnibus ſumentes ſcutum fidei . . .* i. e. armantes vos fide tanquam ſcuto. ℣. 17. *et galeam ſalutis adſumite* (h. e. ſpes et deſiderium ſalutis aeternae conſequandae ſit vobis inſtar galeae) *et gladium ſpiritus* ſive *ſpiritualem, quod eſt verbum Dei*, quod, ſi ad praxin deducatur, diabolum confodit.

Currus Israel et equites (Vulg. *et auriga*) *eius* dicitur Elias *IV*. Reg. *II*. 12. et Eliſeus cap. *XIII*. 14. h. e. vis et praecipuum robur, praeſidium et columen populi Iſraelitici fuerunt: metaphora inde deſumta a ritu militari, tunc enim in curribus falcatis et in equitibus ſitum erat praecipuum exercitus robur.

Baculus, quia fulcrum eſt hominis infirmi, ſignificat quodvis ſubſidium et auxilium. *IV*. Reg. *XVIII*. 21. *An ſperas in baculo arundineo atque confracto Aegypti?* Heinc *baculus panis*, *aquae* cet. pro ipſo pane et aqua, quibus vita hominis fulcitur, vel pro ipſa vi alendi uſurpatur. Ezech. *V*. 16. *conteram baculum panis;* vocat Pſal. *CIV*. 16. *firmamentum panis* i. e. ſuſtentatio vitae. Econtrario *baculus* tenuitatis et paupertatis ſymbolum eſt; ſumta metaphora ab iis, qui in bello capti, nudi et inermes ſolo cum baculo dimittuntur. Gen. *XXXIII*. 10. Dein quia *baculus* eſt inſtrumentum percuſſionis, tyrannidem, ſaevitiam, imperium durum ſignificat. Iſ. *XIV*. 5. *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Ubi autem *baculus* pro Rege, vel imperio ponitur, ſynecdoche eſt partis pro toto, nempe baculi pro ſceptro, quod et ipſum per metonymiam ſignum eſt pro ſignato, nempe rege. Porro *baculus* pro tribu ſeu familia ponitur Num. II. 5.

Cal-

Calculus albus gloriam coeleſtem denotat Apoc. II. 17. *Vicenti dabo . . . calculum candidum, et in calculo nomen nouum ſcriptum* cet. ſumta eſt metaphora vel a more veterum, qui dies felices albis lapillis, infelices vero nigris notabant. Vel a lapillis albis, quibus utebantur iudices ad abſolvendum, nigris vero ad condemnandum. Ovid. Lib. XV. Metam. ℣℣. 41. 42.

Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

vel a *calculo albo*, quem *βραβευταὶ certaminum moderatores* dabant victori, in quo et ipſius nomen, et praemium ſcripta erant.

Calix, poculum vide ſupra cap. V.

Corona ponitur pro anno. vide cap. VI. item pro quolibet ornamento et commodo. Prov. *XVII. 6. corona* (i. e. gloria) *ſenum filii filiorum, et gloria filiorum patres eorum.* Unde *coronare* pro ornare, beneficiis adficere et laetificare uſurpatur. Pſal. V. 13. *Ut ſcuto, bona voluntate coronabis eum* (iuſtum) ſic Aq. *στεφανώσεις αὐτόν* S. Hier. *coronabis eum.* Coronare hic ſignificat in modum coronae cingere, undique defendere et communire *). Tyrus quoque *coronata* dicitur Iſ. *XXIII. 8. quod ſicut rex inter plurimam hominum multitudinem, ornatum*

*) LXX. *ὡς ὅπλῳ εὐδοκίας ἐστεφάνωσας ἡμᾶς ut armis bonae voluntatis coronaſti nos.* Vulg. *ſcuto bonae voluntatis tuae coronaſti nos.* Vocem כַּצִּנָּה quamvis in forma abſoluta, in ſtatu regiminis adcipiebant, quod nonnumquam fieri oſtenditur in ſyntaxi hebraica. Pronomen vero adſixum נוּ *nu* tam *eum*, quam *nos* pro diverſis punctis vocalibus praeviis ſignificat. Denique Vulg. Latin. poſt voces: *bonae voluntatis* addidit *tuae*; vel ſenſus complendi gratia, vel quia in ſuo codice graeco legebat *εὐδοκίας σου.*



tum diademate erigit caput; ita Tyrus fulgens et excelsa opibus, auroque et gemmis et serico ac purpura nitens regina sit in cunctis gentibus aestimata. S. Hieron. comment. in h. l. Specialissime de praemio coelesti seu vita aeterna adcipitur *corona*, quae fidelibus mundi, carnis et diaboli victoribus post hanc vitam tribuitur, sicut olim victores in certaminibus coronabantur.

Thesaurus non semper est res ipsa recondita, sed theca, scrinium, et huiusmodi iuxta illud: *apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Sic Psal. *XXXII.* 7. *ponens thesauris abyssos.* Est synonymia praecedentis hemistichii: Deus congregat aquas maris velut in utre, Deus recondit abyssos velut in reconditorio, ita ut abyssi sint synonymum aquarum, thesauri sint synonyma utrium: itaque Deus per potentiam suam tanquam in utre conclusit aquas maris, easque velut in thesauris i. e. promtuariis continet, indeque, dum lubet, educit, ac terram inundat. Vide Psal. *CXXXIV.* 7. *Qui producit ventos de thesauris suis*, quo loquendi modo non solum occulta ventorum origo declaratur, verum etiam, quod Deus eos in potestate habeat, atque ubi, et quando vult, pro beneplacito suo laxet. Unde *thesaurisare* significat congerere, et adcumulare.

Flagellum significat adflictionem, damnum, plagam et calamitatem quamlibet. Jos. *XXIII.* 13. *scitote, quod Dominus Deus vester non eas* (gentes) *deleat ante faciem vestram, sed erunt vobis in foveam et laqueum* ולשׁטט *et in flagellum lateribus vestris.*

Malleus *universae terrae* dicitur Rex Babylon, Jerem. L. 23. quod tunc temporis eo, tanquam malleo, ad conterenda regna Deus uteretur.

Mensu-

Mensura, quia partem de integro cumulo decisam continet, usurpatur 1. de diversis donorum Spiritus S. portionibus, quae credentibus obveniunt. Rom *XII.* 3. *Unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei.* 2. Quia implenda est mensura, quum aliquid cedit aut venditur alteri; ea tum *in bonum*, nempe de larga remuneratione in coelo a piis expectanda, ob beneficia proximo praestita, adcipitur. Vide Luc. VI. 38. tum *in malum* scil. de improbitatis et peccatorum abundantia et termino, quo completo ultio divina et gravissima poena consequitur. Matth. *XXIII.* 32. *Et vos implete mensuram* (peccatorum) *patrum vestrorum.* Permissiva simul et ironica Christi ad iudaeos loquutio; q. d. quod deest patrum vestrorum crudelitati, hoc implete; illi prophetas occiderunt, vos eum, quem prophetae ptaedixerunt, occidite. Adagialis apud Hebraeos loquutio est. Luc. VI. 38. *Eadem mensura, qua mensi estis, remetietur et vobis.* Vide tr. Sanhedrin cap. II.

Novacula conducta vocatur Rex Babylonis Is. VII. 20. quo Deus utitur ad omnia expilanda, exhaurienda et disperdenda in regno Israelis a summo ad imum, quod per *caput et pilos pedum et barbam* intelligitur. Novacula illa dicitur *conducta*, quia Achaz magna mercede Assyrium ad subpetias sibi contra Syros ferendas conduxerat. Per *novaculam* etiam lingua maledica et detractoria intelligitur. Psal. LI. 4. *sicut novacula acuta fecisti dolum;* dolo tuo, occulte detrahendo, sub specie exornationis acerbissime saucians, fecisti, ut omnes penitus sacerdotes Nobe, eorumque parvuli exterminarentur: quemadmodum novacula penitus omnes etiam tenuissimi abraduntur pili.

Olla



Olla lotionis five *pollubrum* dicitur Moab, quo defpectus et abiectio denotatur. Pfal. *LIX.* hebr. *LX.* 10, *Moab* סִיר רַחְצִי S. Hieron. *Moab lebes lavacri mei. LXX.* et Vulg. *Moab olla fpei meae*, refpexerunt ad fignificationem chaldaicam verbi רְחַץ, quod in hac dialecto, et forte etiam olim in hebraica *fperare*, *confidere* fignificat. Unde fenfus eft; fpero et confido fore, at ditioni meae fubiiciantur Moabitae, atque in infimam fervitutem redigantur, quafi effent olla, in qua pedes lavantur, aut fordes abluuntur, utar ipfis ad officia vilia pro meo libitu. Confer. II. Reg. VIII. 2. ubi David Moabitas percuffiffe, ac in fervitutem redegiffe dicitur.

Onus Lex Mofaica, quae durum et grave iugum erat. Item lex Chrifti, quae eft *iugum fuave*, fuavitate charitatis, et *onus leve.* 2. Prophetiam fignificat, qua poenae a Deo inmittendae denuntiantur. If. *XIII.* 1. *Onus Babylonis, quod vidit Ifaias*, i. e. prophetia onerofa.

Perpendiculum, Regula, funiculus aedificationis recte peragendae inftrumentum, metaphorice etiam deftructionem fignificat; architecti enim, quod perditum ac deiectum volunt, fignant linea ad amuffim five regulam ducta. Heinc *funiculo metiri*, *funiculum extendere* cet. folo aequare fignificat. II. Reg. VIII. 2. *Et percuffit* (David) *Moabitas, et menfus eft eos funiculo, coaequans terrae.* IV. Reg. *XXI.* 13. *Et extendens fuper Jerufalem funiculum Samariae, et pondus* five *perpendiculum domus Achab*, h. e. funditus evertam Jerufalem, ficut deftruxi Samariam et domum Achab. Vox eadem de iuftitia et iudicio Dei ufurpata, eius veritatem et ἀκρίβειαν denotat. If. *XVIII.* 17. *Ponam in pondere iudicium et iuftitiam in menfura* h. e. iuftitiam et iudicium certiffime et adcuratiffime Meffiae temporibus exercebo.

Rota

Rota moderatum ac prudentem fermonem fignificat. Prov. *XXV.* 11. *Mala* five *poma aurea in lectis* feu *thecis argenteis verbum dictum* עַל אָפְנָיו *fuper rotas fuas.* Vulg. *qui loquitur verbum in tempore fuo.* Per *lectos* intelligit Menochius non eos, qui ad capiendam quietem comparati funt, fed areolas, in quibus gemma, aut aliquid aliud pretiofum inferitur, cuiusmodi eft pala in annulo, quae bene lectus adpellatur, quia in ea lapillus collocatur, et quodammodo quiefcit: Alii intelligunt de lectis proprie dictis: at quidquid fit, nihil fatis certi conftat de voce hebraea מַשְׂכִּיּוֹת: hoc certum, fignificari heic aliquid mira varietate et pretiofitate delectans. Senfus eft: quemadmodum poma aurea thecis argenteis et undequaque perforatis inclufa, oculos mirum in modum delectant: ita fermo tempeftive prolatus aures iucundiffime demulcet. Rotarum metaphora ab auriga defumitur, qui pro locorum circumftantiis rotarum curfum induftrie moderatur.

Vox eadem poenam Talionis inflictam notat. Prov. *XX.* 26. *Diffipat impios Rex fapiens, et incurvat* vel *redire facit fuper eos* אוֹפָן LXX. *τροχὸν rotam* Vulg. *fornicem.* In eo metaphora fundatur, quod ficut rota in circumvolutione ad idem redit: ita malum in fuum auctorem revertur. Varios alios fenfus adducunt. 1. De certo hebraeorum fubplicio, de quo II. Reg. *XII.* 31. *Circumegit fuper eos* (David) *ferrata carpenta;* atque heinc per fynecdochen quodvis fubplicii genus intelligunt. Alii ab hoc fenfu vix difcrepant: q. d. excutit illos: in calidis regionibus frumentum rotae converfione excutiebant, atque palaeftinos rotis et plauftris grana fua trituraffe et comminuiffe defumitur ex If. *XXV.* 10. et ali-

 bi:



bi: Eos comminuit, velut rota aut plaustro comminuuntur et teruntur grana. Juxta Vulg. per *fornicem* intelligere possumus cryptam seu caveam, cui mortuorum corpora includuntur, eritque sensus: illos supremo supplicio adficit, de hac vita tollit, ac sepulchro condit. Jacob. III. 6. *Rota nativitatis*, vitae cursum significat.

Orbitae Deo tributae significant Viam Domini, i. e. rationem et modum agendi. Psal. XVI. hebr. XVII. 5. *perfice gressus meos in orbitis tuis* Vulg. *in semitis tuis.* i. e. tene, sustenta, contine me in illa nempe electione, in illo statu, in quo me conlocasti. Parallelum locum habes Psal. V. 7. *dirige in conspectu meo viam tuam:* dirigit Deus viam suam, quando ostendit se recte agere: et hoc petit David, sicut in superiore loco, ut ostendat hostibus rectam et legitimam fuisse electionem a Deo factam, ut foret Rex. Perficit ergo gressus hominis Deus in orbitis suis, quando conatus hominum secundum suam providentiam secundat et filices reddit. Alii per orbitam rotae decurrentis intelligunt rectam informationem et doctrinam, ad quam vita instituitur; quemadmodum rota certam in decurrendo super orbita rationem tenet: unde textum sic exponunt: fac, ut vitam meam ad praecepta tua dirigam; fac ut in praeceptis tuis gressu firmo ambulem. Vide Psal. XXII. 3. *Ducet me in orbitas iustitiae* i. e. ducet me per iustitiae et mandatorum suorum semitam, meque in pietatis studio conservat. Sic Hebr. XII. 13. *orbitas* sive *gressus suos rectos facere pedibus suis*, rectum vitae cursum ad legis divinae normam exigere, atque bono aliis exemplo praeire significat.



Sors ſumitur pro bono ſpirituali. Act. VIII. 21. *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto* vel potius in hac re, nimirum in receptione vel conlatione Spiritus ſancti; λόγος enim graecorum, ſicut et דָּבָר hebraeorum, pro *re* vel *negotio* interdum uſurpatur. 2. Pro Eccleſia, quae Dei quaſi haereditas eſt; ſors enim metonymice pro haereditate, cuius diſtributio ſorte fiebat, nonnunquam uſurpatur. I. Petr. V. 3. *Neque ut dominantes in ſortibus* Vulg. *in Cleris* h. e. in Eccleſia, vel eius portione, quae regenda vobis obtigit. Sic in V. T. populus Dei vocatur *haereditas Domini*. 3. Pro poenis divinitus inmiſſis. Iſ. XVII. 14. *Haec eſt pars eorum, qui vaſtaverunt nos, et ſors diripientium nos.*

Spolia hoſtibus erepta ac diviſa, ſpiritualem Chriſti adverſus diabolos victoriam ſignificant. Iſ. LIII. 12. *Ideo diſpertiam ei* (Chriſto) *plurimos* (Judaeos et gentiles, ex quibus conſurgit Eccleſia) *et fortium dividet ſpolia* h. e. diaboli et mortis. Jerem. XXI. 9. *Animam eſſe alicui quaſi ſpolium*, ex praeſentiſſimo mortis periculo divinitus eripi denotat; qui enim ſpolia reportat, is prius mortis periculo ſe conmiſit.

Tegmen, involucrum, operimentum de rerum divinarum ignorantia quandoque adcipitur. Iſ. XXV. 7. *Et praecipitabit* (Dominus) *in monte hoc* (Sion) פְּנֵי־הַלּוֹט הַלּוֹט עַל־כָּל־הָעַמִּים וְהַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה עַל־כָּל־הַגּוֹיִם *faciem operimenti* (i. e. multiplicis operimenti) *quod eſt ſuper omnes populos: et operimentum expanſum ſuper omnes nationes* h. e. Deus ſubito auferet in monte hoc velum, quod poſitum eſt ſuper cor omnium populorum, quodque impedit, quominus Evangelii lucem intueantur.



Qua metaphora iudaeorum et gentium ad Christi fidem conversio designatur. Thren. III. 65. מְגִנַּת־לֵב *operimentum cordis* obdurationem eius significat, quod *traditionem in reprobum sensum* notat.

Torques usurpatur 1. de sapientiae coelestis pulchritudine, et eximia utilitate. Prov. I. 8. *Audi fili mi . . . . . ut addatur gratia* (corona) *capiti tuo*, *et torques collo tuo*, h. e. ut honoratissimus ab omnibus habearis. Satis insipide Vulg. German. το *gratia*, quod passim hoc libro est pro pulchritudine, reddit Gnaden.

Vagina corpus designat, quod idem est animae, ac vagina gladio. Dan. VII. 15. *Horruit* vel *transfixus est spiritus meus* . . . בְּגוֹ נִדְנֶה *in media vagina*, i. e. in medio corpore.

Vas quoque metaphorice de corpore humano sumitur. I. Reg. XXI. 5. *Et fuerunt vasa* (h. e. corpora) *puerorum tuorum sancta. Porro* (si) *via haec polluta est*, (h. e. si legalem aliquam impuritatem in itinere isto contraximus) *sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis* i. e. corporibus; proindeque panes propositionis comedere poterimus. II. Cor. IV. 7. *Vasa fictilia* vocat se et conlegas suos Apostolus ob contemtum, ignominiam, pericula cet. quibus erant obnoxii; quemadmodum vas fictile prae aureis et argenteis contemnitur ac facile frangitur. I. Petri III. 7. Mulier dicitur *vasculum infirmius*, idque ratione tum corporis, tum animi. Act. IX. 15. Paulus adpellatur *vas electionis* h. e. instrumentum praestantissimum, quo ad gentes convertendas Deus uti voluit. Rom. IX. 22. 23. Electi, quos Deus misericordia sua ad gloriam vocat, dicuntur *vasa misericordiae*; repro-

reprobi autem, quos ob peccata reiicit et damnat, *vasa irae* adpellantur.

Velum, operimentum, munitiones et propugnacula, quibus Judaea quasi velo operiebatur, denotat; et *illud retegere*, est civitates illas munitas expugnare Is. XXII. 8. *Et revelabitur operimentum Judae* h. e. loca, quae Judaeam tegebant, capientur.

Vestimentum, quo corpus tegitur, munitur et ornatur; de re spirituali intellectum, et metaphorice adceptum, beneficiorum Christi conlationem, gratiamque denotat, quibus animae nuditas operitur, ipsa contra peccati frigus ex charitatis absentia profectum defenditur, et ut Dei oculis placeat, ornatur. Is. LXI. 10. *Gaudens gaudebo in Domino .... Quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me.* Spirituali illi vestimento obponitur *tunica maculata, vestium inquinatio*, quibus *vetus homo* seu peccati habitus significatur. Vide supra cap. I. §. VIII.

Vincula, et funes denotant 1. servitutem, obpressionem, calamitatem, poenas. Psal. XVII. 5. *circumdederunt me* חֶבְלֵי־מָוֶת *funes mortis.* LXX. ὠδῖνες θανάτου *dolores mortis* h. e. quales in morte experiuntur homines. Vox hebraea חֶבֶל et *funem* et *dolorem* significat. At prior interpretatio melius eo loci convenire videtur tum ob verbum *circumdare*, tum ob sequens hemistichium, in quo *laqueorum* fit mentio. 2. Obedientiam ob foedus initum debitam. Jerem. II. 20. Vulg. a *saeculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea*, h. e. Obedientiam et mandatorum meorum observationem, quam mihi promiseras, quaeque sicut vincula te mihi adliga-

 bant,

bant, dereliquisti *). Ezech. IV. 8. *funes imponere*, seu *vinculis circumdare* Ezechielem dicitur Deus, tum ut hoc signo aspectabili decreti divini firmitatem denotet; tum ut civium Jerusalem vinciendorum typum in prophetae huius persona exprimat. Colofs. III. 14. Charitas dicitur *vinculum perfectionis*, h. e. omnes fideles invicem perfectissime coniungens tanquam multa unius eiusdemque eorporis membra, ita ut in Christo unum sint, sententiis, animis cet. Zach. IX. 12. *Vincti spei* sunt, qui in captivitate et calamitatibus spem in Deum non abiecerunt; ideoque *ad munitionem* h. e. Ecclesiam Christi tutissimum salutis asylum revocantur seu convertuntur. Act. XX. 22. *Adligatum spiritu* vocat se Apostolus, i. e. Spiritu S. fortiter impulsum, quasi ad profectionem Hierosolymam iniectis vinculis, inlaesa tamen libertate, traheretur.

Deni-

*) Hunc Jeremiae textum aliter legunt Massorethae, et olim legerunt LXX. hebraeum sic habet: כִּי מֵעוֹלָם שָׁבַרְתִּי עֻלֵּךְ נִתַּקְתִּי מוֹסְרוֹתַיִךְ *quia a saeculo confregi iugum tuum, disrupi vincula tua*, nim. e terra Aegypti educendo te. LXX. *ὅτι ἀπ᾽ αἰῶνος συνέτριψας τὸν ζυγόν σου, καὶ διέσπασας τοὺς δεσμούς σου quia a saeculo confregisti iugum tuum, disrupisti vincula tua.* pro שָׁבַרְתִּי *confregi* in prima persona legebant שָׁבַרְתְּי *confregisti*, eodem modo secundum verbum in secunda persona foemin. (quia sermo ad Ecclesiam iudaicam dirigitur) et cum (י) utrobique nunc pleonastico, sed olim vocali e. Vulg. pro עֻלֵּךְ *iugum tuum* legebat עֻלִּי, et pro מוֹסְרוֹתַיִךְ legebant מוֹסְרוֹתַי *vincula mea*, sive quod ita haberent eius codices: sive quod proprio marte et commodioris sensus, ut ipsi videbatur, efficiendi gratia verba primae personae in secunda, et vice versa pronomina secundae personae in prima transtulerit. Vid. Ezech. XX. 37. Psal. II. 3.

Denique *funes* et *vincula iniquitatis* ſeu mendacii ſignificant impiorum conligationem, conſpirationemque; tum etiam ſpiritualem peccati captivitatem, et graviſſimas, quae illud conſequuntur, poenas. Iſ. V. 18. *Vae, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* ſeu *nequitiae*, et *quaſi vinculo plauſtri, peccatum*, h. e. vae vobis, qui magno conatu ac labore, quaſi plauſtrum onuſtum traheretis, poenas iniquitatis ac peccati vobis adcerſitis; iniquitas enim et peccatum nonnunquam in ſcripturis pro eorum poenis uſurpantur.

§. XX.

Metaphorae a Perſonis, locis, et ritibus ſacris deſumtae.

David vir ſecundum cor Dei ſaepe pro Meſſia ponitur ex eius ſtirpe naſcituro: ratio huius denominationis quaerenda videtur *tum* in ſingulari Dei favore et beneplacito, quo Davidem regem complexus eſt, et in quo figuram quaſi et ſpecimen amoris ſui perfectiſſimi erga filium ſuum unigenitum hominibus priſci foederis exhibuit; *tum* in regni Davidis conditione, quod typus regni Meſſiae fuit. cet. Iſ. LV. 3. *Feriam vobiscum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles*, ſive firmas ac ſtabiles; nempe ſalutem, quam per Chriſtum non Iſraeli modo, verum etiam univerſo orbi exhibiturus ſum. Per Davidem heic Meſſiam intelligi clare adſerit Qimhhi, et liquet ex ṽ. ſeq. *Ecce teſtem populi dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.*

Salomonis nomen myſtico, ſed certo ac vero ſenſu Meſſiae etiam tribuitur. Cant. III. 11. *Egredimini et*

 videte

videte filiae Sion regem Salomonem (i. Christum) *in diademate* (scil. carne humana) *quo coronavit eum mater sua* (Sanctissima Virgo) *in die desponsationis illius* h. e. quo naturam humanam adsumsit, ac sibi desponsavit. Vide II. Reg. VII. 14. coll. Hebr. I. 5. Christo autem tribuitur nomen Salomonis ob eximiam regis huis sapientiam, pacatum imperium, Salomon enim dicitur a שָׁלוֹם *pax;*

Zorobabel Agg. II. 24. Secundum quosdam interpretes, est etiam typus Christi, qui ex eius prosapia ortus; sicut enim Zorobabel ex captivitate Babylonica iudaeos eduxit: ita Christus ex captivitate diabolica nos liberavit. Praetereo reliqua tum Patriarcharum, tum aliorum virorum sanctorum V. T. qui typus Christi erant, nomina, quum apud obvios interpretes occurrant. Ut autem a personis typicis quaedam desumta Christo tribuuntur: ita vicissim a Christo ipso quaedam translationes fiunt ad Ecclesiam, quae ipsa vocatur *Christus*, I. Cor. XII. 12. *Sicut enim . . . omnia membra corporis, quum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita Christus*, i. e. Christi Ecclesia.

A Christi conceptione et formatione, ad doctrinam fidei de Christo solo servatore metaphora ducitur. Gal. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, h. e. donec adcipiatis rectam fidem de Christo, qua credatis eam vobis ad salutem sufficere sine legalium observatione. Galatae enim a falsis doctoribus seducti, existimabant fidem solam in Christum, licet etiam cum bonis operibus coniunctam, ad salutem nequaquam sufficere, sed cum ea circumcisionem, aliosque Mosaicae Legis ritus esse coniungendos.

A Chri-

A Chrifti aetatis incremento, ad fpiritualem in fide et pietate profectum, metaphyfica fit translatio. Ephef. IV. 13. *Donec occurramus omnes* (tam iudaei, quam gentiles) *in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menfuram aetatis plenitudinis Chrifti*, h. e. donec fide adulta in Chriftum fumus praediti. Ut enim Chriftus proficiebat aetate, Luc. II. ℣℣. 40. 52. Sic in fidei, pietatis, fanctitatisque ftudio fideles iugiter proficere debent, *ut non fint ficut parvuli fluctuantes* cet.

A Chrifti crucifixione, morte et fepultura, credentium renovatio fignificatur. Rom. VI. 4. *Confepulti enim fumus cum illo* (Chrifto) *per baptismum in mortem; ut quomodo Chriftus furrexit a mortuis per gloriam Patris: ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Gal. V. 25. *crucifigere carnem*, eft concupifcentias carnis pravas edomare, ac fpiritui fubiicere, quod non fine acerbo veteris hominis dolore fit, haut fecus, ac fi cruci adfigeretur. Denique vox *crucis* ad adflictiones, quibus fidem fuorum explorat Deus, non raro transfertur. Matth. X. 38. *Qui non adcipit crucem fuam, et fequitur me, non eft me dignus.*

Terra Chanaan, quam inhabitaverant Ifraelitae, quaeque poftea terra Juda interdum adpellatur, ob eius fertilitatem, ad denotandam Chrifti Ecclefiam non raro transfertur. Benedictiones enim temporales, quas iudeis promiferat Deus, figurae erant bonorum fpiritualium, quibus Ecclefiam N. T. cumulavit. Huc pertinet adductio, adceffus, properatio gentium ad iudaeorum terram, et cultus divini locum; qua loquutione fignificatur adgregatio gentium ad Ecclefiam Chrifti, quod eft fpirituale eius regnum.



Jerusalem Judaeae metropolis, in qua peculiariter se Deus revelavit, Ecclesiam quoque Christianam, et Ecclesiam triumphantem denotat, vocaturque Apoc. XXI. 2. 10. *Jerusalem nova.* Eamdem significationem obtinet *Sion*, mons in urbe Jerusalem, in quo regia Davidis sita erat, diciturque *κατ' ἐξοχὴν mons Domini*, *mons Sanctus.* Amos IX. 11. *Tabernaculum David conlapsum* (h. e. regia Davidis) cuius instauratio promittitur, Ecclesiam ex gentibus conligendam significat.

Tabernaculum (*σκηνὴ*) denotat etiam Christi humanitatem. Hebr. IX. 11. *Christus adsistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, huius creationis*, ℣. 12. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum: sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta.* Heic respicit Apostolus ad ritum Lev. XVI. 12. quo summus sacerdos semel in anno cum sanguine introivit sanctum sanctorum, illud expiaturus. Metaphorice autem *tabernaculum* est corpus Christi, quod dicitur non manufactum, sive huius creationis h. e. non ab homine, neque secundum ordinem in natura constitutum; sed Spiritus Sancti operatione in sinu et ex carne SS. Virginis divinitus formatum. *Sancta* autem, de quibus heic agitur, coelum est, in quod Christus per proprium sanguinem non alienum, i. e. vitulorum aut hircorum introivit, ut et illud nobis reseraret, *aeterna redemtione inventa.*

Altare bona spiritualia, morte Christi nobis adquisita significat Hebr. XIII. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo, deserviunt,* h. e. qui adhuc adhaerent ceremoniis legis, atque in iis suam coram Deo iustitiam quaerunt, non possunt edere

de

de hoc altari spirituali, i. non possunt esse participes Christi sacrificii et beneficiorum per mortem eius partorum. Confer ỷ. 9. ubi *escis*, *quae non profuerunt ambulantibus in eis*, intelliguntur victimae, quae sine fide in Christum non iustificabant eos, qui illas offerebant.

Titulus, *statua*, *lapis*, *altare* synonyma sunt, et adcipiuntur pro cultu divino. Sic Gen. XXXI. *erexit Jacob lapidem in titulum* cet. atque in beneficiorum a Deo adceptorum memoriam eiusmodi statuae et monumenta erigebantur *).

Sacrificium significat seriam cordis contritionem. Psal. L. 19. *sacrificium Deo spiritus* נִשְׁבָּרָה *contritus*, Vulg. *contribulatus* cet. 2. Carnis macerationem. Rom. XII. 1. *Obsecro itaque vos . . . ut exhibeatis corpora vestra* θυσίαν *sacrificium*. Ubi respicit Apostolus ad antiquae legis victimas.

*) *Tituli* vox in scripturis S. quadrupliciter sumitur. I. Pro inscriptione, ut titulus libri, titulus crucis. II. Pro columna, aut pyramide in trophaeum victoriae, aut insignis facinoris erecta. I. Machab. XIII. III. Pro statua imagine, vel idolo erecto ad cultum et adorationem, qualis titulus prohibetur Lev. XXVI. Solebant veteres idololatrae erigere, et oleo ungere lapides, etiam rudes et informes, ut essent domicilium alicuius genii. Unde Arnobius lib. I. scribit, dum adhuc idolorum cultui deditus esset: *si quando conspexeram lubricatum lapidem*, *et ex olivi unguine ordinatum*, *tanquam inesset vis praesens*, *adulabar*. IV. denique est titulus, lignum vel lapis, tumulus aut res alia posita et erecta in alicuius rei recordationem absque ulla inscriptione, vocatur hebraice מַצֵּבָה. Atque heinc est, quod Christiani ad exemplum Patriarchae Jacobi Ecclesias suas antiquitus *titulos* adpellabant, vel a titulo crucis ibi erecto, vel a nomine alicuius sancti, in cuius honorem Ecclesiae intitulabantur et consecrabantur, ut *titulus S. Praxedis*, *titulus S. Laurentii* cet. ex quibus eminentissimi Cardinales suos titulos et cognomina sumserunt.



ctimas. 3. Precationem cum pietate coniunctam. Is. LVI. 7. *Holocausta eorum et victimae eorum placebunt mihi super altari meo; quia domus mea domus orationis vocabitur* (erit) *cunctis gentibus.* Psal. CXL. 2. *dirigatur oratio mea incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* LXX. et Vulgat. subplent particulam similitudinis ὡς *sicut.* Quur autem potius sacrificii *vespertini*, quam *matutini* meminerit, haec videtur ratio, quod holocaustum agni vespertinum esset velut aliorum totius diei sacrificiorum complementum, expressiusque sacrificii crucis figuram contineret. 4. Dei glorificationem. Psal. XLIX. 14. *Immola Deo sacrificium laudis.* 5. Proximi sublevationem. Philip. IV. 18. *Habeo autem omnia, et abundo . . . . adceptis ab Epaphrodito, quae misistis, odorem suavitatis, hostiam adceptam, placentem Deo.* 6. Verbi Evangelici per mortem testificationem. Philip. II. 17. *sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestrae, gaudeo.* i. e. si contingeret, ut propter fidem, quam vobis praedicavi, et qua adcepta vosmetipsos Deo in sacrificium et obsequium obtulistis, inmolarer seu morte adficerer, gauderem utique cet. Vel si sanguis meus adspergeretur supra sacrificium et victimam fidei vestrae, gauderem. Respicit Apostolus adprisci foederis hostias, quae vino et oleo aspergebantur, quae est propria significatio verbi σπένδω, aitque se Philippensium fidem cum gaudio sanguine suo confirmaturum. 7. Gravem Dei adversus Ecclesiae suae hostes vindictam. Is. XXXIV. 6. *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum et hircorum . . . . sacrificium* (Vulg. *Victima*) *enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.* vide sup. cap. I. §. VI.

Deni-

Denique Habac. I. 16. *Immolare ſagenae ſuae et reti ſuo ſacrificare* dicitur Rex Babylonis, h. e. victoriam copiis et viribus ſuis, quae heic ſagena et reti deſignantur, adceptam referre, atque ex his arroganter ut Deum terreſtrem ſe venditare.

Primitiae. Hoc nomen refertur ad Chriſtum I. Cor. XV. 20. ubi dicitur *primitiae dormientium* i. e. mortuorum; qua metaphora probat Apoſtolus mortuorum reſurrectionem. Sicut enim oblationem primitiarum ſequebatur meſſis: ita Chriſtum a mortuis excitatum ceterorum quoque hominum ſequetur reſurrectio. *Quoniam quidem per hominem* (Adam) *mors: et* (vel *ita*) *per hominem* (Chriſtum) *reſurrectio mortuorum.* Hac ſimilitudine utitur Paulus, quod ea die, qua Chriſtus reſurrexit, nempe die dominica, eo anno primitiarum oblatio contigerit. 2. Ad credentes. Jac. I. 18. *Voluntarie enim genuit nos* (Deus) *verbo veritatis, ut ſimus primitiae quaedam creaturarum eius*, Vulg. *initium creaturae eius* h. e. ex toto hominum coetu delecti, et ipſi conſecrati, ſicut olim primitiae a reliquis frugibus ſeparatae, Deo offerebantur et conſecrabantur. Rom. VIII. 23. Iidem credentes *primitias Spiritus habere* dicuntur; quemadmodum enim Iſraëlitae ex primitiarum oblatione ſpem concipiebant reliquarum frugum abunde conligendarum: ita credentes ex donis Spiritus Sancti, quorum parte aliqua in hoc ſeculo donantur, eorumdem in altero plenitudinem, ſive gaudia aeterna pollicebantur. 3. Ad iudaeorum populum, qui vocatur *ſanctus Domino, et primitiae frugum eius* Jerem. II. 3. h. e. ex omnibus mundi populis ſelectus, ac Deo conſecratus, ut primitiae ex omnibus frugibus ſanctae erant, et Deo dicatae; unde ſequitur: *omnes, qui devorant eum, delinquunt;* ſicut

qui



qui primitias Deo oblatas intervertit, is reus est, et poenas luit ex lege Lev. V. 15. 21.

Denique *primitiis* Patriarchae et Judaeorum maiores significantur. Rom. XI. 16. *Quod si ἡ ἀπαρχὴ ἁγία primitiae sanctae* (sunt) *et massa* (sancta est) *et si radix sancta* (est) *et rami* (sancti sunt) h. e. si Patriarchae, qui fuerant primitiae et radix iudaicae gentis Deo consecratae, sancti sunt: profecto tota natio iudaica, et sanctorum illorum posteritas sancta est, i. ex mente Apostoli, ius habent ad sanctitatem et iustitiam, quae ex fide est, consequendam; proindeque non est de eius salute desperandum, ut contendebant nonnulli ex gentilibus ad fidem conversi.

Circumcisio peculiaris populi Dei character, et secundum Patres quosdam praesertim August. regenerationis instrumentum atque organum, ad denotandam renovationem et regenerationem Spiritus S. virtute factam, transfertur. Deut. X. 16. *Circumcidite praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius.* Coloss. II. 11. *In quo* (Christo) *circumcisi estis circumcisione non manufacta*, (scilicet) *in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi*, i. spirituali per Christum facta. Econtrario phrasis: *praeputiatum* et *incircumcisum esse corde* seu mente, et auribus, homines incredulos, impios et profanos significat. Lev. XXVI. 41. *Inducam illos* (impios Israelitas) *in terram hostilem, donec erubescat incircumcisum cor* (Vulg. *incircumcisa mens*) *eorum.* Ad alia etiam transfertur *circumcisio.* Heinc Exod. VI. 12. 30. Moses dicitur *incircumcisus labiis*, h. e. *gravis loquela*, ut vertit Chaldaeus, idque ob non exsectam carnem, quae orationem impedit. Denique quum metonymice iudaei

circum-

circumcisio dicantur, metaphorice etiam ea vox ad credentes transfertur Philip. III. 2. *Videte* (i. e. cavete) *canes* (iudaisantes, qui more canum ad vomitum, i. ad iudaismum redeunt) . . . *videte* seu *cavete* κατατομὴν *concisionem* (h. e. eiusmodi homines, qui parte tantum corporis concisi sunt, non vere circumcisi, nempe circumcisione cordis) ℣. 3. *Nos enim sumus circumcisio* (h. e. vere circumcisi) *qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne* (tantum circumcisa) *fiduciam habentes.*

Aspersio, quae super populum fiebat vel sanguine, vel aqua cineri Vaccae rufae mixta, spiritualem a peccato mundationem per sanguinem Christi metaphorice significat. Is. LII. 15. *Et asperget* (Christus) *gentes multas, super ipsum continebunt gentes os suum* h. e. eum reverebuntur.

Sabbathum Vitae aeternae requies est. Is. LXVI. 23. *Et erit* (in coelis) *mensis ex mense, neomenia ex neomenia* (qui dies erat festus iudaeis) *et sabbathum ex sabbatho* i. e. perpetua festivitas et requies. Nemo non novit sabbathum diem esse quietis; unde Hebr. IV. 9. *relinquitur sabbathismus populo Dei* i. e. aeterna requies.

Pascha, cui dies azymorum coniuncti erant, pulcherrimam metaphoram simul et allegoriam subpeditavit Apostolo I. Cor. V. 7. *Expurgate vetus fermentum* (incestuosum illum, de quo ℣. 1.) *ut sitis nova conspersio* sive *massa*, (h. e. nova creatura seu novus homo, depositio veteri) *sicut estis azymi* (vel potius debetis esse azymi, i. e. a peccati fermento inmunes, idque non septem dierum spatio duntaxat, sed cunctis vitae vestrae dies-
bus)



bus) *etenim pascha nostrum inmolatus est Christus.* ℣. 8. *Itaque epulemur* (vitam nostram instituamus) *non in fermento veteri* (peccatorum) *neque in fermento malitiae et nequitiae: sed in azymis sinceritatis et veritatis*, i. e. sinceritate et veritate. Heic autem dicitur Christus *pascha nostrum*, quod pro nobis inmolatus et occisus fuerit.

§. XXI.

De Allegoria simplici et adlusiva.

Allegoria tropi ac inprimis metaphorae continuatio est, qua aliud dicitur, aliud significatur, sed aliud verbis, aliud sensu ostenditur. Duplex est: *simplex* et *adlusiva*. Simplex est, quae a rebus quibuscunque naturalibus desumitur; adlusiva, quae ad alia sive dicta sive facta respicit. Allegoriae simplicis exempla sunt. Gen. III. 15. *Inimicitias ponam inter te* (o serpens) *et mulierem* et semen tuum et semen illius: הוּא *ipsum* (semen) *conteret caput tuum*, *et tu* תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב *conteres calcaneum eius*. Per *serpentem* eo loci allegorice intelligitur diabolus, qui in serpente latens Hevam adloquutus est; quique alias serpentis et Draconis nominibus designatur. Per *semen serpentis* tota diabolorum caterva, quae Messiae interitum machinatura erat. Per *semen* vero *mulieris*, Messias ex Ss. Virgine natus. Ipsum sanctissimum semen *contrivit caput serpentis* h. e. Diaboli imperium destruxit; sicut enim contrito serpentis capite, nihil ipsi veneni, roboris ac vitae superest: ita per Christi mortem sublata diaboli potentia, quam in homines per peccatum exercebat, nihil amplius in eos iuris ac roboris habet, nisi quantum ab ipsis ei tribuitur. Denique Messiae *calcaneum* contriturus diabolus dicitur, quo vaticinio declaratur, Messiam

ſiam ad paſſionem et mortem ignominioſiſſimam per diaboli membra iudaeos fore perducendum. Verum Deus Pater eum a mortuis ſuſcitavit, ac victorem dominumque inferni conſtituit. Quam ob rem in calcaneo tantum, non in capite, neque plaga inſanabili laeſus eſt a diabolo, qui econtrario, contrito capite, non calcaneo ſolum, penitus interiit.

Gen. XLIX. 11. *Ligans* (Juda) *ad vineam pullum ſuum, et ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, et in ſanguine uvae pallium ſuum* ℣. 12. *Pulchriores ſunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores.* Judaei cum Chriſtianis quibusdam haec explicant de fertilitate terrae tribus Juda, quae tanta heic futura praedicitur, maxime in vitibus et lacticiniis, ut eius incolae aſinas cum pullis ſuis ad vites, quaſi ad ſepes, et dumeta adligaturi ſint; et vino vice aquae ad res quaslibet, quae ſtola et pallio deſignantur, lavandas uſuri ſint; ex eoque tam large potaturi, ut rubicundi ſint futuri oculis, et ob maximam lactis copiam albi dentibus. At ſenſum procul dubio ſublimiorem in mente habuit S. Patriarcha, qui haec quoque Meſſiae, de quo in verbis immediate praecedentibus, adplicat. In his itaque hyperbole non eſt, ſed allegoria, cuius iſte videtur eſſe ſenſus. *Filius meus* (Chriſtus Meſſias) *ligabit* i. e. vocabit, et triplici fidei, ſpei et charitatis vinculo ligabit *ad vineam*, Eccleſiam ſuam, quae ſaepe in ſcripturis *vinea* adpellatur, *pullum ſuum*, populum gentilem, qui iugum legis nunquam tulit; *et ad vitem*, i. e. ad ſe, qui ſe ipſum vitem veram dicit Joan. XV. *aſinam ſuam*, populum iudaicum iugo legis adſuetum et adtritum. *Lavabit in vino*, ſanguine ſuo, *ſtolam ſuam*, carnem ſuam, quam Dei-

tas ſicut veſtimentum induit; vel Eccleſiam ſuam, qua veluti ſtola amicitur, quamque pretioſiſſimo ſanguine ſuo lavit, et peccatorum ſordibus emundavit; *et in ſanguine uvae pallium ſuum*, verborum praecedentium repetitio, et idem ſenſus. *Pulchriores ſunt oculi eius vino* cet. his et ſequentibus verbis ſpiritualis Chriſti pulchritudo deſcribitur. Metaphoricum oculorum ruborem, quod adtinet, reſpexit S. Patriarcha ad morem ſtibio oculos pingendi in Palaeſtina receptum. Vide IV. Reg. IX, 30.

Eccleſ. XII. Senectutem et mortem pulchra allegoria deſcribit Salomon.

Vers. 1. *Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae*, ama et cole creatorem tuum; verba enim notitiae, praxin et adfectum denotant. *In diebus iuventutis tuae*; neſcis enim, utrum ad ſenium perventurus ſis, et quia iuventus bene transacta maximum eſt ſenectutis ſolatium; vel etiam quia incommoda, quae ſenibus contingunt, eos ſaepe a cultu divino, ut par eſt, exequendo avocant. *Antequam veniant dies malitiae* ſeu *mali* (Vulg. *tempus adflictionis*) *et adpropinquent anni*, *de quibus dicas: non eſt mihi in eis voluntas* ſeu *beneplacitum* h. e. *diſplicent*.

Vers. 2. *Antequam tenebreſcat ſol et lumen et luna et ſtellae*, antequam caecutias, et ſol, lumen, luna et ſtellae reſpectu tui obtenebreſcant. Aliis non placet haec expoſitio, quod in verſu ſeq. oculorum caliginis fiat mentio. Per ſolem igitur, lumen, lunam et ſtellas, animae facultates intelligunt, videlicet intellectum, iudicium, perſpicacitatem, memoriam cet. quae in ſenibus plerumque debilitantur. Iſta explicatio eo videtur probabilior, quod quatuor ſequentes verſus ad partes corporis

poris referantur. Quare is mentem ſpectare debet, cuius alioquin, licet praecipua ſit pars hominis, infirmitates a Salomone omitterentur, quod veroſimile non eſt. *Et revertantur nubes poſt pluviam* i. e. calamitates calamitatibus ſuccedant. Notum proverbium: *Nubes poſt imbrem*, de malis ſibi cito ſuccedentibus; et contra: *poſt nubila phoebus*, de gaudio triſtitiam ſequente.

Vers. 3. *Quando commovebuntur* ſeu *trement cuſtodes domus*, quando manus et brachia erunt remiſſa, quae dicuntur cuſtodes domus i. e. corporis, quod eſt animae domus, quod univerſum corpus cuſtodiant, et ab eo mala propulſent. *Et nutabunt viri fortiſſimi*, genua et crura, quae ſunt Atlantes corporis, et in quibus hominis robur conlocatur. Pſal. CXLVI. hebr. CXLVII. 10. Cant. V. 15. *Et otioſae erunt molentes in minuto numero*, et ceſſabunt dentes molares iique in parvo numero, cibum mandere ob eorum imbecillitatem. *Et tenebreſcent videntes per foramina*, oculi per intervalla palpebrarum, ſive per orbitas, quae ſex oſſibus conſtantes fornicem efficiunt, proſpicientes. Heic etiam eſt metonymia organi pro cauſa eo utente, nempe anima.

Vers. 4. *Et claudent* ſive *claudentur oſtia in platea*, ſive *foris*, vel *exteriora* nempe labia, quae oris fores ſunt, *in humilitate vocis molentis*, propter tenuitatem vocis, quae in ore, quod veluti mola panaria eſt, dentium praeſertim ope formantur. LXX. *in infirmitate vocis molentis*. Eius autem, qui loqui non poteſt, clauduntur labia. *Et conſurgent ad vocem volucris*, ſummo mane, quo aves garrire ſolent. Vel ad galli cantum, ſeu potius tempore galli cantus; non enim ab eo excitantur, quandoquidem mox ſurditas ipſis tribuetur. Senes au-



tem parum vulgo dormiunt, *et obfurdefcent omnes filiae carminis*, aures fcil. quae quum ob id factae fint, ut voces et carmina audiant, eorum filiae effe videntur. Alii per *filias carminis* intelligunt cantatrices, quae fenibus obfurdefcunt, h. e. non audiuntur, (ficuti fol refpectu eorum obtenebrefcere fupra dictus eft) imo et difplicent, aut faltem iucundae non funt. Unde II. Reg. XIX. 35. *Octogenarius fum bodie* (inquid Berzellai ad David) *nunquid audire poffum ultra vocem cantorum atque cantatricum?* Quibusdam *filiae carminis* five cantici heic funt concentus mufici, harmoniae, et omnia, quae muficae inferviunt, vel in voce, vel in organis muficis, ut *filius hominis* idem eft, qui homo.

Vers. 5. *Excelfa quoque timebunt, et formidabunt in via*, loca alta fugiunt fenes five ob laffitudinem, five ob difficultatem fpirandi, five ob vertiginem, five ob lapfus metum cet. imo viam quamlibet averfantur, utpote qui vel ad feftucam impingant. *Florebit amygdalus*, caput confpergetur canitie, et albefcet ficut flores amygdali, cuius fimilitudine utitur Salomon, quod aliis arboribus citius floreat. Et recte id quidem; cani enim opinione citius emergunt, et non opinantibus obrepit fenectus. *Impinguabitur locufta*, adgravabitur fpina dorfi, quae ob multas eius vertebras locuftae comparatur. Ita LXX. et Vulg. per metonymiam antecedentis pro confequente; quae enim impinguantur, ea adgravantur. Hebr. יִסְתַּבֵּל הֶחָגָב *onerabitur* vel *adgravabitur locufta*, h. e. tam debilis erit fenex, ut vel fi locufta parvum licet animal ac leviffimum, fuper eum requieverit, ei futura fit oneri. *Et diffipabitur capparis* h. e. *libido refrigefcet*, *et organa coitus diffipabuntur* ut explicat S. Hieron. comm. in h. l. cappari enim excitatur adpetitus venereus.

reus. *Quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae*, sepulchrum, quod hominis domus dicitur If. XIV. 18. et quidem *aeterna*, five in *aeternum* Pfal. XLVIII. 12. h. e. in qua longiffimo tempore habitabit, nempe ad ultimum usque iudicium. Vox hebraica עוֹלָם et *aeternitatem* et *longum tempus* fignificat. *Et circuibunt in platea plangentes* amici, vel praefici et praeficae funus undique ambientes.

Vers. 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus*, medulla fpinae dorfi, quae alba eft ut argentum, et qua rupta vel laxata homo fit paralyticus, aut moritur. *Et recurrat vitta aurea*, ita Vulg. qui יֵתַרֵץ deducebat a רוּץ *currere, recurrere.* LXX. *καὶ συντριβῇ τὸ ἀνθέμιον τοῦ χρυσίου et conteratur vitta aurea* Hebr. וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב et *confringatur lenticula aurea* a רָצַץ *confringere* גֻּלָּה fignificare poteft et *vittam* et *lenticulam.* Per vittam autem five lenticulam aut phialam, heic intelligitur *μῆνιγξ* h. e. membrana, praefertim interior, quae cerebrum involvit, et in omnes eius anfractus alte fe infinuat, eisque firmiter adnexa fingulas partes in propriis fuis locis et texturis retinet. Aurea dicitur, quia rufa, et flava eft, et auro proprior, quam ulla alia pars corporis. Porro illa membrana, quae vulgo *pia mater* vocatur, inftante morte faepe rumpitur, et in fe recurrit, unde cerebrum fubfidit. *Et conteratur hydria fuper fontem, et confringatur rota fuper cifternam.* Hydria, de qua heic agitur, ex mente doctiffimi *Smith*, a quo maxima huius allegoricae expofitionis pars defumta eft, venae funt, verum ac proprium fanguinis vas five conceptaculum. Fons autem, dexter cordis ventriculus, vitae fpirituumque vitalium origo; venae fiquidem ab eo (dextro cordis ventriculo) proficifcuntur, quae quum a naturali actione et

 ufu



usu cessant, h. e. cum sanguinem nequeunt in cor refundere, sed stagnari eum in se sinunt, tunc *hydria super fontem conteri* dicitur. Confractionem rotae super cisternam quod adtinet, nihil aliud est, quam cessatio sive abolitio pulsus, quod symptoma morientis certum est indicium. Quod ut facilius intelligatur, sciendum est sanguinem naturaliter et sponte in venis ad cor tendere, indeque in reliquas corporis partes pelli, ac primo quidem in arteriam aortam, quae quum sit primum ac praecipuum *rotationis* sive circulationis instrumentum, *rota* merito a Salomone adpellatur; quumque officio suo fungi desinit, confringi dicitur super cisternam, i. sinistrum cordis ventriculum, cui adnectitur, et unde oritur. Ut autem maiori adhuc luce, quae dicta sunt, perfundantur, non ab re fuerit verba D. Smith circulationem sanguinis describentis heic adtexere.

» Sanguinis primaria sedes et fons est cor, ubi fit, » et unde dispergitur in totum corpus. In corde duae » sunt cavitates, sive ventriculi, dexter et sinister. » E dextro procedit magna illa vena *cava* dicta, et vena » arteriosa; e sinistro, arteria magna sive *aurea*, et ar» teria venosa; quarum omnium aditus valvulis claudi» tur atque munitur. Vena cava sanguinem leniter » transmittit in dextrum ventriculum cordis, qui » dilatatur in diastole sua ad ipsius receptionem, » et statim contrahens sese in systole sua (valvulis » tricuspidibus regressum in cavam prohibentibus) » necessario trudit sanguinem per venam arterio» sam, indeque (valvulis sigmoidibus regressum impe» dientibus) in pulmones, ac deinde in ramos ar» teriae venosae, per quam in sinistrum cordis ventri» culum perducitur, unde per pulsum expellitur in aor-

» tam

» tam (valvulis heic, ut antea, reditum intercludenti-
» bus) per cuius ramos transfertur ad omnes partes cor-
» poris, ut eas vivificet: quo peracto, reliquum san-
» guinis recipitur in venis capillaribus variarum partium,
» unde naturaliter transit in magnum truncum venae
» cavae, indeque in dextrum cordis ventriculum: et
» sic perpetua reciprocatione fertur. »

Vers. 7. *Et revertatur pulvis* i. e. corpus *in terram suam*, de qua formatum est, *et Spiritus* i. anima, *redeat ad Deum, qui dedit illum.* Plures Allegoriae in S. scriptura occurrunt; Canticum canticorum perpetua etiam est allegoria, qua Christi et Ecclesiae, sub sponsi et sponsae nominibus, mutui amores exprimuntur. Vide Is. XXVIII. 20. XXXVIII. 12. Jerem. XI. 16. 17. cet.

Allegoriae adlusivae haec inter alia ponuntur exempla. Psal. X. 6. *Pluet super peccatores* (Dominus) *laqueos, ignem et sulphur, et spiritum procellarum, partem calicis eorum.* Adludit Psaltes ad excidii Sodomitici modum.

Psal. XIX. 4. *Memor sit* (Dominus) *omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum* יְדַשְּׁנֶה *in cinerem redigat*, h. e. adceptum, gratum habeat. Heic respicitur ad sacrificiorum oblationem, quae, igne misso de coelo, quandoque in cinerem convertebat Dominus, eoque signo grata sibi esse declarabat. Vulg. *pingue fiat*, proin adceptum: pinguedo enim utpote pars animalis optima Deo peculiariter consecrata erat.

Psal. LIV. 10. *Praecipita*, vel *perde Domine*, *divide linguas eorum*, ubi adlusio fit ad linguarum confusionem; q. d. dissona sint eorum consilia, neque contra me conveniant. ℣. 16. *descendant in infernum viventes*, de inte-



ritu hoſtium, ut de ſubplicio Dathan et Abiron: q. d. repente, quin de morte cogitent.

In novo Teſtamento. Matth. VI. 17. *Tu autem, quum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava:* alludit Chriſtus ad phariſaeorum hypocriſin, qui faciem ſuam in ieiunio deformabant, eique obponit ℣. 16. ritum illius temporis, quo ſoliti erant, uti unctionibus in laetitia, et in conviviis. Vide ſupra. cap. I. §. IV. Apoſtolus Paulus a velamine, quod Moſes ponebat ſuper faciem ſuam II. ad Cor. III. 11. 15. pulcherrimam allegoriam ducit, qua novae legis dignitatem commendat. Dein iudaeorum, Chriſti hoſtium caecitatem demonſtrat, qui ſpiritualem Moſaicae faciei ſplendorem, i. e. ſcriptorum eius finem atque ſcopum, qui Chriſtus eſt, non vident. Nam *obtuſi ſunt*, inquit ℣. 14. *ſenſus eorum; usque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum; quoniam in Chriſto evacuatur* ℣. 15. *ſed usque in hodiernum diem, quum legitur Moſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* ℣. 16. *quum autem converſus fuerit* (Iſrael) *ad Dominum, auferetur velamen.*

Gal. IV. 22. Duo filii, quos Abraham habuit, unum de ancilla *Agar* nempe *Iſmaelem* ſecundum carnem natum; et unum de libera *Sara*, videl. *Iſaacum*, qui ſecundum repromiſſionem natus eſt, allegorice duo teſtamenta ſignificant, explicante ipſo Apoſtolo, unum quidem in monte *Sina* in ſervitutem generans: alterum vero in Jeruſalem, quae ſurſum eſt, libera, et eſt mater noſtra, ſcil. Chriſti Eccleſia, cuius filii ſumus; nos enim ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus, et filii liberae, qua libertate Chriſtus nos liberavit, a iugo Mo-

ſaicae

ſaicae legis adferendo. cet. Plures eiusmodi allegoriae occurrunt in S. ſcriptura, quas facile intelliges, ſi ritus populorum Orientalium praeſertim hebraeorum perſpe- ctos habeas, quibus utebantur tum in ſacrificiis, conviviis, iudiciis, atque in toto vitae genere; plurimum vero conducit hiſtoria gentis Iſraeliticae, atque ipſius terrae Chanaan notitia geographica.

CAPVT IV.

De reliquis figuris in S. ſcriptura occurrentibus.

§. I.

De Synchyſi.

Synchyſis figura eſt, qua vocum aut ſenſus ordo perturbatur et confunditur: eâ locum habet in vocibus ſimplicibus, in vocibus coniunctis, in tota propoſitione, in ſermone continuo, et tandem in diſtinctis rerum geſtarum enarrationibus.

I. In vocibus simplicibus. Exod. XXII. 20. *Qui immolat Diis, occidetur, praeterquam Deo ſoli* i. qui immolat Diis, praeterquam Domino ſoli, occidetur. Jerem. XIV. 1. אֲשֶׁר הָיָה דְבַר־יְהוָה *Quod factum eſt verbum Domini ad Jeremiam* i. e. Verbum Domini, quod factum eſt. Ibid. XXXI. 7. *Quia haec dicit Dominus: cantate Jacobo laetitiam* i. Haec dicit Dominus Jacobo: cantate. Philem. 5. *Audiens charitatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jeſu, et in omnes ſanctos* i. audiens fidem, quam habes in Domino, et charitatem, quam habes in omnes ſanctos.



II. In adverbiis haec figura locum habet, et quidem in adverbiis

Temporis. Rom. V. 6. *Adhuc enim Christus, quum essemus infirmi* cet. ἔτι γὰρ χριςὸς h. e. Christus enim, quum adhuc essemus infirmi.

Negandi. Joan. VI. 32. *Non Moyses dedit vobis panem de coelo*, i. e. Moyses non dedit vobis panem; non enim eo loci quaeritur, quis manna dederit, Moyses, an Deus? sed quid datum fuerit, an panis verus, an coelestis. Rom. I. 21. *Qui, quum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt* h. e. sicut Deum non glorificaverunt; nam adverbium negandi cadit in verbum *glorificare*, quod negat, nequaquam vero in adverbium *sicut;* secus enim posset quis cogitare, quod aliter eum glorificaverint. I. Cor. X. 5. *sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo* h. e. in pluribus eorum non beneplacitum est.

Excludendi Is. XXVIII. 19. וְהָיָה רַק־זְוָעָה *Eritque tantum commotio intelligere rumorem* h. e. eritque commotio, quum rumor tantum audietur.

Comparandi Gen. XVIII. 11. *Desierat esse Sarae* אֹרַח כַּנָּשִׁים *consuetudo secundum mulieres* h. e. secundum consuetudinem mulierum. Vulg. *et desierant esse Sarae muliebria.* Psal. CI. 10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam* i. sicut cinerem panem manducabam; panis non mihi magis sapiebat, quam cinis.

III. In vocibus coniunctis. Gen. XIII. 20. *Elevatis Lot oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quae universa irrigabatur, antequam subverterat Dominus Sodomam, sicut paradisus Domini, et sicut Aegyptus venientibus in Segor.*

gor. Horum verborum ordo genuinus est iste: Quae universa irrigabatur ut paradisus Domini, et sicut Aegyptus venientibus in Segor, antequam subverteret Dominus Sodomam. Cant. I. 5. *Nigra sum, sed formosa . . . sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* h. e. nigra sum sicut tabernacula Cedar, sed formosa, sicut pelles seu tentoria Salomonis, quae magnifica erant, ac regio adparatu digna.

IV. In continuo sermone. Sermonis continui partes per metathesin seu traiectionem quandoque enarrantur. Jos. II. 15. *Demisit ergo eos* (exploratores) *per funem de fenestra: domus enim eius haerebat muro* 16. *dixitque ad eos: ad montana conscendite . . .* ℣. 17. *Qui dixerunt ad eam . . .* Quae referuntur versibus 16. 17. ea procul dubio ante demissionem exploratorum per fenestrum dicta sunt; alioqui res facile prodi potuisset, si e fenestra foris eos constitutos adloquuta esset. Marc. XIV. 23. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes.* 24. *Et ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti* rel. Haec ℣. 24. dicta fuerant priusquam Apostoli bibissent vinum sanguinem Christi factum.

§. II.

De Hysterologia et Prolepsi.

Saepe numero in SS. scripturis res factae non eo, quo contigerunt, ordine; sed quandoque κατα προληψιν per *anticipationem*, quandoque καθ' ὑστερολογιαν per *hysterologiam* seu *recapitulationem* narrantur.

Gen. XI. 32. narratur mors *Thare* patris Abraham; et cap. XII. Ingressus Abrahae in terram Chanaan; quum tamen constet, Patrem Thare adhuc vixisse 130 annis

iuxta



iuxta meliorem chronologiam *). Pariter cap. XXV. narratur mors Abrahae ante nativitatem *Jacob* et *Esau*, et

*) Gen. XI. 26. *Vixit Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor et Aran.* Quod vero hoc 70 anno Thare genuerit Abram; ex scopo Moysis claret, qui voluit nobis integram et exactam patriarcharum conscribere historiam, ut patet in praecedentibus tum ante- tum post- diluvianis: Et Moyses semper indicat tempus nativitatis eorum, quorum texit genealogiam, ut sciremus aetatem mundi: sic determinat annum nativitatis *Seth*, non vero *Cain* et *Abel*. Dicitur Noe 500 annorum, et genuisse *Sem*, *Cham* et *Japhed*, ubi notatur praecise annus, quo natus est *Sem*: sic pariter, quia Abrahami tantum texitur genealogia, ille anno 70 *Thare* natus sit, oportet: alias Moyses inutile nobis reliquisset aenigma. Dein si Abraham natus fuisset anno patris sui 130, nullus stupori et admirationi Abrahae fuisset locus: *putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* exemplum sane recens habuisset in patre, qui centenario longe maior genuisset. Quod autem ex *Cethura* longe senior proles adhuc genuerit, extraordinario et singulari foecunditatis dono concedendum est. Aut potius dicendum, Abrahamum post mortem Sarae non duxisse Cethuram, sed hac in vivis adhuc existente. Nam tunc habitabat Abram in convalle Mambre Gen. XXIII. quae sita est ad plagam occidentalem; quando autem duxit Cethuram, et filios earum ab Isaaco separaverat, adhuc habitabat ad plagam orientalem. Dein mortua est Sara anno aetatis suae 127, dum Abraham erat 137, et Isaac 37; et antequam Isaac Rebeccam duceret anno suo 40, nati erant sex ex Cethura filii Gen. XXV. 2. quos Abraham ab Isaac separaverat: quis autem credat spatio duorum aut trium annorum Abrahamum sex ex Cethura genuisse filios? Moyses ergo usus fuit ὑστερολογια.

Difficultatem, et nodum inextricabilem vix non obiiciunt ex S. Stephano, qui ait Act. VII. 2. 3. quod Abraham post obitum patris Thare a Deo translatus fuerit *in terram istam:* at tunc Abraham erat 75 annorum, quos si subtrahas a 205, quos vixit Thare, remanebunt 130: ergo hoc anno fuit natus Abraham. Verum incertum relinquitur ex verbis S. Stephani; num Abraham in



et tamen illos 15 annis adhuc ſupervixit. Sic et mors Iſaaci narratur ſtatim poſt Jacobi e Meſopotamia reditum, et antequam Joſeph a fratribus ſuis venderetur; quum tamen longo poſt tempore mors illa contigerit, et Joſeph duodecim ſaltem annis in Aegypto commoratus eſſet. Id autem Moyſes ideo fecerat, quia intendebat hiſtoriam unius Patriarchae abſolvere, antequam novam inciperet, ut ſic confuſionem tolleret. Vide etiam III. Reg. XXII. 51. Mors Joſaphat narratur, quae tamen nonniſi aliquot poſt annis contigit; nam IV. Reg. III. 7. aſcendiſſe memoratur cum Joram contra Moabitas. Prolepſes itaque frequentes occurrunt in S. ſcriptura.

Huius

anno 130 patris, an ſerius natus fuerit: etenim ſtat cum proprietate ſermonis, Abraham annos natum 75 poſt mortem patris translatum fuiſſe, licet plures anni interceſſerint: nam non ſequitur: *Petrus duxit uxorem poſt mortem patris: ergo immediate poſt mortem patris?* quo autem plures anni interceſſerint, eo ſerius natum fuiſſe Abrahamum ſequitur. Dein ſi utriusque verba, Moyſis et Stephani in ſummo rigore accipi debeant, Moyſes potius, quam Stephanus, in ſtrictiore ſenſu intelligendus erit: nam prior partes hiſtorici agit; oratoris alter; ſolent autem oratores ſubinde obſcure, aenigmatice ac minus proprie loqui: hiſtorici econtra ſtilo plano ab omnibus facile perceptibili: Acta igitur ad geneſin, non geneſis ad acta examinanda ſunt, lignum ad normam exigendum eſt, non norma ad lignum. Tandem omiſſis aliis reſponſionibus de dupplici Abrahami egreſſu de Haran vivente adhuc patre, et poſt mortem; nam hoc nullo nititur fundamento: nam ſi Abraham annos agens 135 (totidem enim erat poſt mortem Patris, natus ſcil. anno 70) fuerit in Haran; quur tunc non accepit uxorem filio ſuo Iſaac? Quur oeconomus ille, qui quinque annorum ſpatio elapſo eam ob rem in Haran ablegabatur, de rebus Abrahami, de eius opibus, de filio ex Sara ſuſcepto, quaſi de rebus ignotis loquitur? Quur *Gen.* XXII. 20. Abra-

Huius quoque exempla in *nominibus propriis* locorum frequentissima sunt. Gen. XII. 8. *Bethelis* fit mentio tempore Abrahami, quum tamen id nominis huic loco inditum non fuerit, nisi ipsius nepotis Jacobi tempore, ut liquet Gen. XXVIII. 19. *Adpellavitque Jacob nomen urbis illius Bethel, quae prius Lachis vocabatur.* Gen. XIII. 10. Urbs *Segor* memoratur, quae nomen illud sortita non est, nisi cum *Loth* in eam se recepit Gen. XIX. 12. Num. XIV. 45. fit mentio loci *Horma*, qui tamen diu post sic vocatus fuit, nempe cap. XXI. 3.

Τςεξολογια seu *recapitulatio* figurae praecedenti respondet, quando nempe ex occasione aliqua narratur quidpiam gestum post tempus, quo reipsa contigit. Gen. XII. 1. linguarum confusio narratur, quum tamen praecesserit ea, quae cap. X. referuntur. Gen. XXXVIII. Judae historia narratur, postquam Joseph venditus est a fratribus suis, cuius tamen historiae pars ante illud tempus contingere debuit. Ab eo enim tempore, quo Joseph in Aegyptum abductus est, ac Jacob eodem descendit,

Abrahae nuntiatum est de filiis *Nachor* fratris sui, tanquam de ignotis, si eos ante 5 annos inviserat? Igitur congrue ille ex act. cit. nodus dissolvitur, si dicamus, non innui a S. Stephano terram Chanaan universim, sed eam partem duntaxat, quam iudaei tunc ut suam inhabitabant. Respicitur igitur habitatio Abrahae in Mambre, quando emto agro prope Hebron fixam, firmamque sedem habuit: erat tunc Abraham ann. 137. patet id ex emphatica S. Stephani loquutione, quam graecum exhibet: *εις την γην ταυτην in teram hanc ipsam*, suffecisset dicere, *in terram hanc, in qua nunc habitatis.* Et quur addidit *το νυνc?* nisi ut terram istam, in qua subsistebat iudeaorum respublica, ab aliis eiusdem regionis terris, aperte distingueret. Denique S. Stephanus ait, quod sola *promissio* facta fuerit Abrahae, *antequam ipsi nasceretur filius*, non autem *translatio*, quod bene notandum.

dit, 22 et 23 tantummodo anni effluxerant: nam 17 ſecundum hebr. vel 16 ſecundum Vulgatam annos natus a fratribus ſuis venditus eſt; quos ſi detraxeris ex 39, quos exegerat, quum Jacob veniret in Aegyptum, ſubpetunt 22 aut 23. Per id autem temporis Judas duxit uxorem *Sue* filiam Chananaei, ex qua tres ſuſcepit filios, quorum duo primi, alter poſt alterum, uxorem habuerunt *Thamar*, quae poſt multos viduitatis annos concipit ex *Juda*, paritque *Pharez* et *Zaram*. Pharez uxorem ducit, ex qua duos habet filios *Eſron* et *Hamul*, qui et ipſi cum Jacobo in Aegyptum deſcendunt. Quomodo iſta omnia tam brevi annorum 22 aut 23 intervallo contingere potuerunt? Saepius occurrit illud ὕστερον πρότερον.

§. III.
De Ironia.

Ironia (εἰρωνεία) tropus eſt, quo contrarium pro contrario, ſive obpoſitum pro obpoſito ponitur, vel quo ex re nominata, res huic contraria aut obpoſita intelligitur. Hic tropus locum habet I. in vocibus per ſe conſideratis, quae vulgo *Antiphraſis* adpellatur; et de hac egi ſupra in hebraismis antiphraſticis. II. In vocibus in oratione certa poſitis, et cum illuſione vel exprobratione quadam pronuntiatis, quae eſt *ironia*, cuius ſpecies quaedam eſt *ſarcasmus*, quum quis ironia acerbiore miſeris et calamitate obpreſſis inſultat. Et II. eſt ironia cum permiſſione non ut tali, ſed cum prohibitione.

Per Ironiam dicebat Deus Gen. III. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt,* adluſio fit ad ℣. 5. *Eritis ſicut*



ſicut Dii. Job. XII. 2. Ironia cum ſarcaſmo: *Ergo vos eſtis ſoli homines, et vobiscum morietur ſapientia.* IV. Reg. VIII. 10. *Dixit ei* (Hazaeli) *Eliſeus: vade, dic ei* (Benadad) *ſanaberis*: quod ironice dictum eſt, ut indicant verba ſequentia: *porro oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Aut ſi vis intellige Benadadum Regem ſanatum fuiſſe, et reſtitutum ſanitati, quantum ad conſtitutionem corporis et virium, niſi altero die ab ipſo Hazaele occiſus fuiſſet. Sic etiam III. Reg. XXII. 15. Michaeas reſpondet Achabo: *Aſcende, vade proſpere, et tradat eam Dominus in manus tuas*, Ironice, q. d. En! 400 coram ſtant prophetae tui, omnes fauſta prophetant: vade ergo proſpere rel. At Rex ſubodoratus ironiam adiurat prophetam, ut ſerio ediceret: ac ℣. 17. etiam ſerio reſpondit.

Ironice quandoque quidquam videtur permitti, quum tamen econtrario ſumma potius prohibitio fit. Jud. X. 14. *Ite et invocate Deos, quos elegiſtis: ipſi vos liberent in tempore anguſtiae.* Iſ. XVII. 3. *Et ceſſabit adiutorium ab Ephraim, et regnum a Damaſco, et reliquiae Syriae, ſicut gloria filiorum Iſrael* cet. gloriam per ironiam dictam accipe, pro *ignominia*, ſcribit S. Hieron. Zach. XI. 13. *Decorum pretium, quo adpretiatus ſum ab eis.* Ironia de pretio, quo per Judam tradendus erat Chriſtus.

Ad ironiam referuntur quaedam ſimulato animo et πειραστικῶς i. e. *tentandi ergo* prolata. Gen. XIX. 2. *Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri* (ſic duos angelos adloquitur Lot.) . . . . . *qui dixerunt: minime, ſed in platea manebimus.* Ita loquebantur angeli, ut Lot tentarent, eumque urgerent ad ſe compellendum, quod reipſa contigit; miſſi enim erant a Deo, ut apud eum diver-

diverterent, eumque et eius familiam e sodomitica conflagratione eruerent. Matth. XV. 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt domus Israel* . . ℣. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Tentationem et heic fuisse, et explorationem fidei mulieris, ex Christi elogio patet.

Quaedam cum dissimulatione et hypocrisi proferuntur, quae quidem in se vera sunt, at a loquentis mente aliena. Gen. XXXVII. 19. *Ecce somniator venit*: revera Joseph revelationibus divinis per somnia θεοπεμπτα a Deo inmissa informabatur; at longe aliter de eo fratres eius sentiebant. Vide II. Reg. VI. 20. Matth. XXII. 16. *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces* cet. Talis quidem erat Christus, sed illud in animum suum minime inducebant pharisaei, qui sic eum adloquebantur, ut ipsum caperent in sermone. Sic et Herodes adloquebatur tres Magos Matth. II. 8.

§. IV.
De Hyperbole.

Hyperbole (ὑπερβολη) tropi adfectio est, qua voces insolentius et audacius, rerum amplificandarum, aut extenuandarum gratia, a nativa sua significatione in aliam traducuntur. Duplex autem statuitur hyperbole, Rhetorica et logica. *Rhetorica* est, qua vocum ipsarum insolentior, audaciorque fit translatio. Logica vero, qua audacior, atque a veritate simplici alienior comparatio, verbis tamen propriis concepta atque expressa instituitur.



Hyperbole Rhetorica voces quaedam fumuntur:

Bellum pro quavis rixa privata. Jac. IV. 1. *Unde bella et lites in vobis?* Verbum hebr. נִלְחַם *pugnare* eodem fignificatu accipitur Jerem. I. 19. XV. 20.

Castrare fe ipfum, pro illicitis carnis voluptatibus et matrimonio ipfi nuntium remittere. Matth. XIX. 12. *funt Eunuchi, qui fe ipfos caftraverunt propter regnum coelorum.*

Coelum pro maxima altitudine, et econtrario, Abyssus five Infernus pro magna profunditate feu deiectione. Pfal. CVI. 26. *Afcendunt* (fluctus maris) *usque ad coelos, et defcendunt usque ad abyffos.* Gen. II. 4. Deut. I. 28. Thren. II. 1. Matth. XI. 23. cet.

Deserere feu relinquere pro pofthabere. Gen. II. 24. *quam ob rem relinquet homo patrem fuum et matrem fuam, et adhaerebit uxori fuae* i. e. anteponet uxorem patri cet. non enim hoc praecepto amor erga parentes prohibetur, fed amori coniugali poftponitur.

Lassitudo pro fumma contentione. Dan. IX. 21. *Ecce vir Gabriel . . . .* בִּיעָף *in laffitudine volans* i. cito; in fanctos enim angelos nulla cadit laffitudo.

Mundus pro plenitudine Jac. III. 6. *lingua ignis eft, mundus* (Vulg. *Univerfitas*) *iniquitatis* h. e. pleniffima malorum, ficuti mundus plurimis rebus repletus eft.

Nubes pro magna altitudine. Jerem. IV. 29. *fugit omnis civitas, ingreffi funt* בֶּעָבִים *in nubes* i. e. loca praealta, feu *ardua*, ut Vulg. afcenderunt, ut vitae fuae confulerent.

Odisse

Odisse pro posthabere, minus diligere. Gen. XXIX. 31. *Videns autem Dominus, quod exosa esset Lia* i. minus amata. Vide Luc. XIV. 26. Vide infra syntax. simpl.

Praedari seu exspoliare, pro ab aliquo accipere. II. Cor. XI. 8. *Alias Ecclesias* ἐσύλησα *depraedatus sum* (Vulg. *exspoliavi*) *accipiens stipendium ad ministerium vestrum.*

Rivi olei pro omnium bonorum abundantia. Job. XXIX. 6. *Quando . . . . petra fundebat mihi rivos olei.* Confer. XX. 17.

Tonitru pro forti hinnitu equi. Job. XXXIX. 19. *Nunquid . . . . circumdabis collo eius* (equi) רַעְמָה *tonitru* Vulg. hinnitum.

Turris pro suggesto. II. Esd. VIII. 4. *stetit autem Esdras scriba super* מִגְדַּל־עֵץ *turrim ligneam* h. e. suggestum.

In vocibus connexis seu in phrasi coniuncta hae occurrunt hyperbolae: Gen. XLI. 47. *Et fecit* (produxit) *terra septem illis annis saturitatis, ad manipulos* seu *manipulatim*, q. d. ex uno grano integer manipulus colligebatur; qua hyperbole maximus proventus innuitur. cap. XLIV. 28. *Et exiit cor eorum* i. animus eorum defecit. Plures eiusmodi hyperboles occurrunt maxime in hebraeo; Vulgatus hyperbolicum sermonem interdum in simplicem commutavit.

Hyperbolen logicam quod adtinet, illa occurrit praesertim in hyperbolicis comparationibus. Gen. XIII. 16. *faciam semen tuum sicut pulverem terrae* rel. rel. III. Reg. XX. 10. *Non sufficeret pulvis Samariae pugillis omnis populi, qui sequitur me*, thrasonica Benadadi regis Syriae iactatio, qua ingens copiarum eius numerus indicatur. Joan.

 XXI.



XXI. 25. *sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus . . , nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Luc. X. 4. *Neminem per viam salutaveritis*, qua hyperbole maxima inter eundum celeritas innuitur.

§. V.

De Interrogatione.

INTERROGATIO (ἐρώτησις) spectari potest *tum* quoad eius peculiarem vim et emphasin, *tum* quoad usum illius singularem.

QUIS? Non solum simpliciter et adfirmative quaerit: verum etiam quandoque absolute negat, dum de personis sermo est. Psal. CV. 2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* quod conciliari potest sic cum Psal. IX. 15. *Ut annuntiem omnes laudationes tuas* rel. quod in priori loco intelligitur *laus Dei* ob ea, quae fecit universo populo suo: in posteriori vero ob ea, quae Davidi seorsim exhibuit. Psal. XCIII. 16. *quis consurget mihi adversus malignantes?* i. nemo. Vide sup. in hebraismis adfirmantibus. Subinde interrogativum *quis* restringit, ut innuatur *paucitas*. Psal. LXXXIX. 11. *Quis novit potentiam irae tuae?* i. quam pauci sunt, vel norunt. vel *difficultas* Prov. XXXI. 10. *Mulierem fortem quis inveniet?* i. quam difficulter est invenire.

AN, NUNQUID praeter ordinariam suam adfirmative quaerendi vim, absolute negare solet, quum de re sermo est. Gen. XVIII. 14. *An difficile erit Domino verbum?* h. e. minime difficile erit. In quibusdam tamen locis adfirmative interrogat, seu adfirmativum sensum efficit; tuncque particula *non* cum interrogatione subintelligen-

da

da erit, ſic: *annon?* I. Reg. II. 27. *An manifeſtando manifeſtavi me domui patris tui* i. omnino.

Uſus interrogationis tam varius eſt, ut cuicunque propemodum adfectui exprimendo inſerviat. Eſt itaque interrogatio.

Abominationis ſeu abſurditatis declarandae. Joan. III. 4. *Quomodo poteſt homo naſci, quum ſit ſenex* cet. i. e. abſurdum hoc eſt.

Admirationis Gen. XVII. 17. *An centenario naſcetur filius?* Eſt interrogatio Abrahami divinam potentiam cum ſua et uxoris impotentia comparantis, admirantis, et ſuſpicientis, non vero diffidentis. Sic quoque intellige interrogationem B. V. Mariae: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco:* ſollicita erat de virginitate ſua, quam Deo voverat, unde merito quaerit de modo, quo id fiat.

Dubitationis. Gen. XVIII. 12. Interrogatio Sarae diffidentis et dubitantis fuit, unde et ab Angelo increpata fuit. Zacharias quoque Luc. I. interrogatione ſua animum diffidentem et incredulum prodidit, et ideo in poenam loquela deſtitutus fuit.

Exaltationis. Pſal. XXX. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abſcondiſti timentibus te?*

Expostulationis, Accusationis et exprobrationis. Gen. XII. 18. *Quidnam eſt hoc, quod feciſti mihi? quare non indicaſti mihi, quod uxor tua eſſet?*

Indignationis Pſal. II. 1. *Quare fremuerunt gentes?* rel.

Insultationis et Ironiae. Pſal. XLI. *Dum dicitur. mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?*

 Lamen-



LAMENTATIONIS Pf. XXI. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquifti me?*

· OPTATIONIS II. Reg. XXIII. 15. *Quis mihi dabit potum aquae de cifterna, quae eft in Bethlehem iuxta portam?* rel. rel.

Praetereo alias figuras, quae in S. fcriptura obcurrunt, et a commentatoribus facris referuntur, quia eas non adeo neceffarias effe cenfeo, et quasdam fupra in hebraismis expofitas habes. Videre autem eas et legere poteris apud Cl. P. Hieronymum *Bezange* vol. I. fect. V. pag. 114. Cl. P. Petrum Guarin tom. II. a pag. 264. et feqq.

§. VI.

De Sententiis et Phrafibus Proverbialibus.

PROVERBIUM fermo eft a publica loquendi confuetudine, quae vulgo etiam ignota non eft, petitus; unde graecis dicitur *παροιμια*, a vocibus *παρα a* vel *ab*, et *οἱμος via*, quafi fermo trivialis. Sed notionem proverbii in S. fcriptura frequentiffimi examinemus. Denotat ergo dictum *celebre*, ufu receptum atque pervulgatum: quale eft illud: *Num Saul inter prophetas?* 2. fententiam *obfcuram*, intricatam et explicationis indigam. Ezech. XX. 49. *Ipfi dicunt de me: Nunquid non per parabolas loquitur ifte?* hebr. Nunquid מְמַשֵּׁל מְשָׁלִים הוּא *proverbificator proverbiorum eft ifte?* i. parabolice i. e. obfcure loquitur. 3. Dictum *grave*, et paucis verbis res magni ponderis ac momenti complectens. Job. XXVII. *Addit quoque Job adfumens* מְשָׁלוֹ *parabolam fuam* i. ferium et magni momenti fermonem. vide Num. XXIV. 3. 15.

De

De Balaam. 4. Triſtem et querulam aut gravem lamentationem. Mich. II. 4. *in illa die adſumet ſuper vos* מָשָׁל *parabolam, et lamentabitur lamentum.* 5. Sermonem *ironicum* et inſultatorium. Iſ. XIV. 4. ubi laeta illa piorum cantio, beneficii divini celebratio, et contra impios inſultatio dicitur *parabola contra Regem Babylonis.*

Phraſis inde oritur: *eſſe* aut *ponere in parabolam*, eſt verſari in ore, aut ponere aliquem in os vulgi inſultantis aut ironizantis. Vide Pſal. XLIII. 15.

Proverbium et Paraemia eſt *ſermo utilis ſub umbra figuraque idonea expreſſus, multum et uſus et gravitatis complectens, in receſſu quoque multum altae ſententiae contegens.* S. Baſilius hom. in princip. Proverb. Perantiquus eſt apud veteres proverbiorum uſus: *familiare eſt*, inquit S. Hieron. in Matth. XVIII. *Syris et maxime Palaeſtinis* (Judaeis) *ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere: ut quod per ſimplex praeceptum ab auditoribus teneri non poteſt, per ſimilitudinem exemplaque teneatur.* Hanc docendi methodum Chriſtus ipſe ſequutus fuit.

Apud Pythagoram elegantiſſima eiusmodi proverbia reperiuntur, quae veteres ſumme celebrarunt: aliqua refert S. Cyrillus lib. IX. cont. Julian. *ſtateram ne tranſeas* i. e. ne avarus ſis. *Ne ignem gladio fodias;* i. impudentem et iratum animum aſperis verbis ne moveas. *Coronam ne vellices* i. leges ne offendas: nam civitatum coronae ſunt. *Ne cor edas* i. ne conficias te ipſum curis. *Neque ſuper choenicem vel modium ſedeas* i. ne ignaviter vivas. *Non ſuſcipiendas hirundines in domum* h. e. loquaces et impotentis linguae homines non eſſe faciendos contubernales. *Onus portantibus imponendum, non autem ſimul deponendum*, per quod monet, non opertere, cooperari cuipiam ad ignaviam, ſed ad virtutes et labores.

 Ele-



Elegantiora in S. ſcriptura inſpiciamus proverbia, quibus maxime excelluit mortalium ſapientiſſimus Salomon. Percurre librum proverbiorum, et miraberis. Obſerves tamen velim, in hoc libro plerumque omitti particulam comparationis, unde magna orta eſt libri huius obſcuritas. Subplendae itaque ſunt particulae illae comparationis aut ſimilitudinis *quemadmodum, ſic* etc. quarum loco hebraei paſſim ſubſtituunt coniunctivam *et:* ſic: *ventus aquilo diſſipat pluvias, et facies triſtis linguam detrahentem.* Interdum hanc particulam etiam ſubprimunt: *Nubes et ventus, et pluviae non ſequentes, vir glorioſus et promiſſa non implens.* Quod ſaepe difficultatem non levem parit, ut in illo: *amittit pallium in die frigoris. Acetum in nigro, qui cantat carmina cordi peſſimo* ſive adflicto, quae perſpicua fiunt, ſi particulam comparandi ſubpleveris hoc modo: *qui confidit ſuper infideli in die anguſtiae*, eſt ſimilis illi, *qui amittit pallium in die frigoris*, dum maxime opus habet, nempe omnem opem amittere; et ſicut acetum addere nitro, eſt acrimoniam addere acrimoniae, eamque augere: ſic ſane *muſica in luctu importuna narratio*, inquit Ecelus CXXII. 6. tempore recentis calamitatis et doloris cantus et inſtrumentorum ſonus non modo non lenit dolorem, ſed auget potius et exaſperat.

Phraſes quoque proverbiales frequentes ſunt. Sic Exod. XI. 7. *Apud omnes filios Iſrael non movebit canis linguam ſuam, ab homine uſque ad pecus;* qua phraſi tanta tranquillitas innuitur, ut ne canis quidem, qui vel minimo ſtrepitu excitari ſolet, cuiquam oblatraturus eſt. IV. Reg. IX. 8. Phraſis *perdere* ſeu *delere mingentem ad parietem*, extremam internecionem ſignificat, qua nec cani quidem parcitur, qui altero pede ſublato ad parietem mingere ſolet. Eſt. I. 22. *loqui linguam populi ſui*, in domo ſua dominari

minari seu imperium habere significat. Job. XVI. 10. *Maxillae percussio* graves iniurias et calamitates denotat: *exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Psal. III. 8. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi* לְחִי (in) *maxillā* Et ita iuxta hebraeum legendum esse, patet ex sequenti hemistichio: *dentes peccatorum contrivisti.* Prov. VI. 10. *Conserere* sive *complicare manus*, pro ignavia et turpi otio usurpatur. Sic Livius: *compressis manibus sedere.* et cap. XXVI. 17. *Adprehendere auribus canem*, periculis temere sese obiicere significat. Cap. XXVIII. 21. *Pro buccella panis praevaricari*, vel. ut Vulg. *deserere veritatem*, cadit in iudices, qui muneribus vel levissimis corrupti, ius pervertunt. Ita Cato apud Gellium: *frusto panis conduci potest, vel ut taceat, vel ut loquatur.* Act. IX. 5. *Contra stimulum calcitrare*, potentioribus se, et maxime Deo frustra et magno suo malo reluctari significat. Metaphora desumta est a bobus arantibus, qui, quum stimulis recalcitrant, non stimulos, sed se ipsos laedunt.

§. VII.

De תִּקּוּן סוֹפְרִים seu Correctione Scribarum.

Priusquam coronidem imponam operi, quaedam adhuc Philebraeo scienda sunt circa diversas exemplarium lectiones, quae vocantur תִּקּוּן סוֹפְרִים *Correctio* aut *coordinatio scribarum*; quia quum compilatio diversorum voluminum fieret temporibus Esdrae, lectio, quae fuit in pluribus et inlustrioribus exemplaribus, facta collatione exemplarium, illa inserta est textui, altera autem lectio notata in margine. Signum huius coordinationis et correctionis in modernis bibliis est parvulus circellus supra literam א̊, et vocatur קְרִי *lectum*, *lege*, et כְּתִיב



fcribe aut *fcriptum*, qui circellus et in margine adpofitum fignum ק̈ i. e. קְרִי *lege*, diverfas indicant lectiones, quae tamen plerumque funt amanuenfium fphalmata.

Subinde integrae voces in textu non fcribuntur, fpatio relicto, aut folis punctis vocalibus cum circello adfcriptis, literis vero in margine pofitis cum hac nota: קְרִי וְלֹא כְּתִיב i. e. *legitur* (haec vox) quamvis non fcribatur. Ut Jud. XX. 13. וְלֹא אָבוּ ° בִּנְיָמִין *noluerunt autem* ° *Beniamin*, fubple בְּנֵי *filii.* At voces, quae econtrario in textu fcribuntur, fed non leguntur, punctis deftitutae funt, habentque in margine כְּתִיב לֹא קְרִי *fcribitur* ea vox, *fed non legitur.* ut Ezech. XLVIII. 16. חֲמֵשׁ חמש מאות *quingenta*, ubi pofterius חמש abundat.

Subinde etiam vox quaedam coniungitur, quae tamen divifim legenda eft, ut notatur per ק̈. Gen. XXX. 11. בָּגָד pro בָּא גָד *venit turma.*

Erudita vero eft fcribarum obfervatio in Ifaia: *multiplicafti gentem*, *et non magnificafti laetitiam:* in textu hebraico legitur infertum לוֹ h. e. *magnificafti ei laetitiam*, et in margine legitur לֹא h. e. *non magnificafti laetitiam:* latina lectio ergo habetur in margine, non vero in textu. Item. Pfal. XCIX. legimus in latino: *Et non ipfi nos;* at in ipfo textu hebraeo non legitur לֹא h. e. *non*, fed legitur לוֹ *ipfi* i. e. nos fumus poffeffio לוֹ *ipfi* Deo, Deo propria, quia fumus ipfius חֵלֶק *portio*, *pars* cet. Plures eiusmodi obfervationes Mafforetharum in hodiernis bibliis adcuratioribus adnotatae occurrunt. Atque hifce phrafeologiam finio. Cuncta cedant ad maius linguae hebraeae emolumentum, atque perennem Verbi Divini Neonati, diebus hifce in carne vifibiliter ad parentis honorem et gloriam. Amen.

LACO-



LACONISMUS
DE
SYNTAXI HEBRAICA.

Feſſum in conſcribendo hoc opere calamum iam repoſueram, illudque virorum eruditorum iudicio ſubieceram, dum coeteros inter eruditione hebraica non vulgariter tinctus Vir ſuaſor hortatorque venit, ut dormientem paulisper calamum rurſus excitarem, regulas ſeu Canones ſyntaxeos hebraicae opuſculo adnecterem, quoniam iſti plurimum conferunt non tantum ad plenam linguae hebraicae notitiam adſequendam, ſed mirum etiam ſenſum S. ſcripturae inluſtrant. Neque diu reluctandum cenſui optimo conſilio, atque protinus operi me adcinxi, maxime quia videram, in optimis etiam grammaticis linguae hebraicae ſyntaxin plerumque deſiderari. Neceſſarios ſcitu canones heic adponam.

CAPUT I.
De hebraeorum articulo.

Defectus notitiae articuli hebraici, eiusque recti uſus multos in errores abſtraxit. Sciendum ergo articulum ה, cui reſpondent articuli graeci ὁ, ἡ, τὸ, omnibus caſibus poſſe praefigi, et iungitur 1. nominibus ſubſtantivis; 2. adiectivis; 3. quando ſubſtantivum et adiectivum coniunguntur, nunc alterutri, nunc utrique praeponitur. 4. Nominibus propriis locorum, fluviorum.



rum. 5. Nominibus gentilitiis הָעִבְרִי *hebraeus.* 6. Pronominibus tertiae perſonae, quae tunc adiective ponuntur יוֹם הַהוּא *die eo ipſo:* et pronominibus demonſtrativis אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה *domum hanc.*

At ה iſtud non iungitur 1. Nomini proprio hominis, *quia illud, tanquam individui nomen, ſui notitiam per ſe ſuo nomine exhibet, neque alio ſigno opus habet.* ait Qimhhi in Michlol. et ſi quibusdam nominibus propriis adponitur, iſta anomala ſunt, aut iſta nomina propria virorum potius nomina gentilitia ſunt. הָאָדָם ſubinde eſt nomen adpellativum *hominis.*

2. Articulus non praefigitur nomini conſtructo; *quia alterum ſubſtantivum prioris declaratio, et quaſi notificatio eſt; unde altero ſigno, nempe ה notificativo opus non habet.* Sunt tamen quaedam ſcripturae loca, in quibus ה nomini conſtructo praepoſitum eſt. Gen. XXXI. 13. *Ego ſum* הָאֵל בֵּית־אֵל *Deus Bethel.* Sed in his exemplis vel ſubintelligitur idem ſubſtantivum, ſed in forma conſtructa, et ſine ה repetitum, *ego ſum* הָאֵל אֵל *Deus,* Deus inquam, *Bethel,* et ſic habent formam abſolutam pro conſtructa; vel ſi in forma conſtructa ſunt, enallage eſt ſtatus conſtructi pro abſoluto.

3. Non praemittitur nomini cum adfixis coniuncto; *ipſum enim adfixum nominis notitiam indicat,* unde redundabit ה notificativum. Interdum tamen ad maiorem notitiam et emphaſin, articulus ה praefigitur. הָאָהֳלִי haoholi *tabernaculum meum,* aut in genitivo *tabernaculi mei.*

Canon I. *Articulus* ה *apud hebraeos quandoque emphaſin importat, unde vocatur* הֵ״א הַיְדִיעָה He notificationis, *quod*

quod nominis ſignificatum notius reddat, et quaſi oſtendat. dicitur etiam ה *demonſtrativum et ſuperlativum gradum nonnunquam exprimit. Saepe etiam emphaſi caret.*

I. Cum emphaſi ponitur Gen. III. 15. *Inimicitias ponam inter te et inter* הָאִשָּׁה *mulierem*, ubi non vulgaris quaedam, ſed excellens mulier intelligi datur. Pariter Iſ. VII. 16. *Ecce* הָעַלְמָה *virgo concipiet et pariet*, ſeu ut in hebraeo, *virgo concipiens et pariens*, ubi emphaſis maior, qua eximia virgo, nempe B. V. Maria deſignatur, quae nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Vide Eſth. VII. 7.

II. Saepe etiam ה emphaſin non habet, ſed ad ſolum orationis ornamentum adhibetur. Deut. VIII. 3. *ut oſtenderet tibi, quod non* עַל־הַלֶּחֶם לְבַדּוֹ *in ſolo pane vivat homo.*

Canon II. ה etiam ſignificat *qui, quae, quod, ó! an? num? numquid?* cet.

I. *Qui, quae, quod*, ſi addatur praeterito aut participio. Eſd. VIII. 25. *Appendique eis argentum et aurum et vaſa,* הַהֵרִימוּ *quae obtulerunt Rex et conſiliarii eius.* Participio: *Anima* הָאֹכֶלֶת *quae comederit.*

II. הַקְּרִיָּה ה״ *He exclamationis.* הַקָּהָל *o congregatio.*

III. הַשְּׁאֵלָה ה״ *He interrogationis.* In interrogationibus adfirmativis ה iſtud negat; in negativis adfirmat. הַאַתָּה *Numquid tu aedificabis mihi domum?* i. non aedificabis. Aliquando tamen adfirmat, ſed tunc eſt pro הֲלֹא *annon? nonne?* Sic I. Paral. XXI. 17. הֲלֹא *nonne ego ſum, qui iuſſi* i. revera is ego ſum.

Non-



Nonnunquam deeſt interrogandi particula ה. Gen. XXVII. 24. אַתָּה *Tu es filius meus Eſau?* ſubpie הַאַתָּה *num tu?* Job. XIII. 15. *Etiamſi occiderit me* (Dominus) לֹא אֲיַחֵל *non ſperabo?* pro nonne.

Obſervatio ſpecialis. Vocatur quidem articulus hic ה demonſtrativum, quatenus nempe rem alias communem, aut indeterminatam determinet ad rem certam et individualem, quanquam adhuc incognitam, et abſentem. Falſa ergo eſt perſuaſio eorum, articulum ה ita eſſe demonſtrativum, ut rem aut individuum praeſens neceſſario ſiſtat. Vel unicum ſupra adductum ex Gen. III. exemplum id commonſtrat: Quis enim catholicorum dixit unquam, הָאִשָּׁה *mulierem*, quae virtute feminis benedicti contritura eſt caput ſerpentis, tunc fuiſſe praeſentem? pariter intellige illud de הָעַלְמָה apud Iſaiam cap. VII. cit. Nam hebraeum ה eodem fungitur officio, eadem gaudet emphaſi, ac articulus graecus ὁ, ἡ, το: habetur apud graecos hic Canon:

Nomina adpellativa ſeu adiectiva virorum (adde et mulierum) qui in aliqua arte, ſcientia, dignitate, qualitate aut eminentia conditionis excelluerunt, neceſſario articulo inſigniri debent. Sic Ariſtoteles ſimpliciter dicitur ὁ φιλοσοφος, Homerus ὁ ποιητης, S. Paulus ὁ Αποςολος, Chriſtus Dominus ὁ προφητης *Propheta* Matth. XXI. 11. idque ἀντονομαςικως και κατ' ἐξοχην. Et ὁ Αποςολος vocat anti-Chriſtum *hominem peccati* cum articulo ὁ ἀνθρωπος ἁμαρτιας, qua expreſſione adiuncti articuli vult docere, anti-Chriſtum fore hominem non communis et ordinariae malitiae, ſed ſingularis plane et diabolicae. Idem dic de illa virgine apud Iſaiam, ubi in graeco pariter additus eſt articulus ἡ παρθενος, ut demonſtret et determinet, virgi-

virginem illam singularem et eminentem fore: Emphaticum itaque hac loco est hebraeum ה et graecum ἡ. Interim docti et intelligentis interpretis est expendere, quandonam isti articuli cum emphasi accipiendi sint, nec ne?

Scholion. Ex curiosa et minus necessaria articuli graeci consideratione falsae hypotheses et errores oriuntur. Didymus Alexandrinus hanc olim de Spiritu Sancto regulam tradidisse legitur: *Apostoli, quando intelligi volunt personam Spiritus S. addunt articulum το πνευμα, sine quo Spiritus S. dona significantur.* Incerta est et fallit haec regula, quia το πνευμα cum articulo, quandoque Spiritus Sancti dona significat I. Thessal. V. 19. *το πνευμα spiritum nolite extinguere* h. e. Spiritus S. dona. Et vicissim πνευμα sine articulo Spiritus S. personam significat I. Cor. XII. 11. *Haec autem omnia operatur unus atque idem πνευμα Spiritus.*

Photiniani et Sociniani hanc tradunt regulam: *nomen θεος cum articulo, verum Deum notat, sine articulo vero minime.* Falsa est haec regula, nam ὁ θεος cum articulo interdum idolis tribuitur Act. VII. 43. et XIV. 11. rel. Et vicissim θεος sine articulo verum Deum designat. Matth. IV. 4. *Non in solo pane vivit homo*, sed in omni verbo, quod procedit *δια σοματος θεου de ore Dei.* Vide V. 9. VI. 24. rel.

CAPUT II.
De Nomine proprio.

Canon I. *Quaedam nomina propria licet significatione singularia, formam tamen pluralem aut dualem obtinent.*

Haec



Haec autem nominum propriorum forma plane insolens videri non debet, quandoquidem nomina sunt adpellativa, quae singulari numero, terminatione tamen plurali gaudent. תָּמִים *perfectus.* מֵרִים *exaltans.*

Canon II. *Multa nomina propria ex vocibus simplicibus, interveniente lineola* Maqqaph, *vel sine ea componuntur.* בֵּן־יָמִין *Beniamin* ex בֵּן *filius*, et יָמִין *dextera*, quae tamen vox coniunctim legenda est. מַלְכִּי־צֶדֶק *Melchisedech*, cum ' paragogico. Et sine maqqaph. אַבְרָם *Abram* ex אָב *pater* et רָם *excelsus.* Et אַבְרָהָם *Abraham*, ex הָמוֹן *multitudo*, sublata terminatione ן euphoniae caussa.

Nomen Dei יָהּ abbreviatum ex יְהוָה format nomina propria, tuncque excidit mappiq ex litera ה. ut: עוֹבַדְיָה *Abdias* i. עוֹבֵד *servus* seu *serviens*, et יָהּ *Deus.* Pariter ex nomine tetragrammato יְהוָה praeter duas priores literas יה, etiam tertia ו adsumitur. חִזְקִיָּהוּ *Ezechias* i. *fortitudo Domini* ex חָזָק *fortitudo* et יְהוָה *Dominus.*

Canon III. *In hac nominis proprii compositione brevitatis ergo quandoque prior quandoque posterior pars, omissa altera, exprimitur.* Num. XIII. 26. Locus, qui dicitur קָדֵשׁ *Cades*, Num. XXXII. 8. vocatur קָדֵשׁ בַּרְנֵעַ *Cadesbarne.* Oseae X. 14. שַׁלְמַן *Salman* videtur idem esse, atque שַׁלְמַנְאֶסֶר *Salmanesser* i. Salmanasar. Sic filius יְמִינִי *Jemini* ex voce בִּנְיָמִין.

Canon IV. *Unum idemque nomen proprium variationi et mutationi in literis vel syllabis quandoque obnoxium est.*

1. Ini-

1. Initio. Qui I. Paral. II. 9. רָם *Ram* dicitur, is Matth. I. 3. *Aram* vocatur. Et II. Paral. XXII. 5. אֲרָם *Aram Syria*, Job. XXXII. 2. רָם *Ram* adpellatur per aphaeresin. Sic יִשַׁי *Isai* scribitur etiam אִישַׁי praeposito א,

2. In medio. II. Reg. XVII. 25. quae אֲבִיגַל *Abigal* vocatur, ea I. Paral. II. 16. אֲבִיגַיִל *Abigail* adpellatur. דַּמֶּשֶׂק *Damascus*, II. Paral. XXVIII. 5. dicitur דַּרְמֶשֶׂק

3. In fine. Is. XVI. 7. קִיר־חֲרֶשֶׂת *Qir-hharesetb* urbs quaedam nominatur, quae ỳ. 11. dicitur קִיר־חֶרֶשׂ *Qir-hhares* LXX. habent Δεσεθ pro ר Resch legerunt ד *Daleth*, et literam ת omisere, quod interdum solent facere.

4. *In permutatione literarum*. IV. Reg. XX. 12. בְּרֹאדַךְ *Berodach* cum א epenthetico, ut volunt, sed potius antiqua vocali o, hic Rex Is. XXXIX. 1. vocatur מְרֹאדַךְ et extrito א utpote inutili post adscripta puncta. Jos. VII. 1. עָכָן *Achan* dicitur I. Paral. II. 7. עָכָר *Achar*, mutato ן in ר ob adlusionem, quae fit ad verbum sequens עָכַר *turbavit*. II. Reg. XI. 3. בַּת־שֶׁבַע *Bathscheva* Vulg. *Bethsabee* uxor Uriae, postea Davidis I. Paral. III. 6. בַּת־שׁוּעַ *Bathschua* mutato ב in ו.

5. Literarum ר et ד frequens est commutatio, quae tamen amanuensium incuriae adscribi potest. Vide Gen. X. 3. 4. XXXVI. 26. Num. I. 14.

6. Reperitur etiam metathesis literarum. II. Reg. XI. 3. pater Bethsabee dicitur אֱלִיעָם *Eliam*, qui I. Paral.



III. 5. vocatur עַמִּיאֵל *Ammiel*, ubi integrae transponuntur literae, nomine et significatione manente eadem; utraque enim vox *populum Dei* significat. IV. Reg. XXIV. 6. 8. יְהוֹיָכִין *Jehoiachin* Vulg. *Joachim*, יְכָנְיָה *Jechonia* Vulg. *Jechonias* I. Paral. III. 16. כָּנְיָהוּ *Coniahu* Vulg. *Jechonias*. Vide cap. XV. 29.

CANON V. *Hebraeorum nominum propriorum origo in hebraea; graecorum in graeca, latinorum in latina lingua quaerenda est, neque ex aliena deducenda.* Sic *Pascha* non venit a πασχω *patior*, sed a פֶּסַח *transitus*. *Jesus* hebraicam originem habet, non graecam ab ιαω *sano*, fut. ιασω mutato α in η, ιησω: sed vox ista derivatur a יָשַׁע *salvavit*, quia *salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Sic et *Moyses* non est nomen deductum ab aegyptio *Moi*, quod *aqua* significat, sed ab hebraeo מָשָׁה *extraxit*, *quia de aqua* מְשִׁיתִהוּ *traxisti eum*, inquit Mater Moysis ad filiam Pharaonis.

CANON VI. *Nomina propria in versionibus retinenda sunt, neque ut adpellativa interpretanda.* Ab hac regula saepe discedunt LXX. cum aliis graecis interpretibus, ut patet conferendo plura loca cum fonte hebraeo, et nostra Vulgata: atque inde graves difficultates quandoque, et obscuritates ortae sunt. Sic Psal. XXVIII. 6. *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani et* DILECTUS *quemadmodum filius unicornium*; dilectus heic sumendum est pro nomine proprio שִׂרְיוֹן seu ut legit S. Hieron. *Sarion*, quo nomine adpellabant Sidonii montem *Hermon* Libano contiguum Deut. III. 9. Ipse quoque Interpres latinus sequutus LXX. quaedam nomina propria adpellative accepit. Gen. II. 8. *Plantavit autem Dominus Paradisum* בְּעֵדֶן *volupta-*

voluptatis pro *in Eden.* Vide cap. X. 11. *Et aedificavit* (Aſſur) *Niniven* וּרְחֹבוֹת עִיר *et plateas civitatis*, pro et *Rhooboth* civitatem.

Canon VII. *Nominis proprii quandoque periphraſis eſt ſive circumloquutio.* I. Paral. XVII. 13. *Et miſericordiam meam non auferam ab eo* (Salomone) *ſicut abſtuli ab eo, qui ante te fuit.* Sic Joannes ſe ipſum circumſcribit: *bic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus.*

Canon VIII. *Plurima nomina propria perſonarum a Deo et Hebraeis impoſita ſunt ab aliquo eventu.* Hebraei veteres nominum liberis imponendorum certas cauſas habuere, quae aliquando exprimuntur in ſcriptura, ſaepe etiam omittuntur, et in omiſſis non eſt, quod nos immodice torqueamus, aut certe aliquid pronuntiemus temere, quum multis coniecturis locus eſt. Sic *Iſaac* a riſu, non Sarae matris, ſed patris Abraham, צָחַק *ridere* ſignificat, unde יִצְחָק. Percurre hiſtoriam primorum Patriarcharum, et plurimorum nomina ob eventus cuiusdam circumſtantiam eis impoſita reperies. Sic et nomina civitatum. *Babel* a confuſione linguarum, derivatur a rad. בָּלַל *confudit.* Nomina gentilitia. *Aſſyrii* ab *Aſſur*, deducitur a rad. אָשַׁר *beavit*, quia regionem temperatiſſimam atque beatiſſimam אָשׁוּר *conſequutus eſt.* Arabes conſtituunt gentem ex diverſarum nationum permixtione coaleſcentem, diverſisque alborum Syrorum, et nigrorum Aethiopum coloribus confuſe infectam: Unde *Arabs* derivatur ab hebr. עָרַב, quod ſignificat *permiſcere*, et *res diverſas confuſe coniungere;* unde עֶרֶב *veſpera* ex reſidua diei fulgentis parte, et parte adventantis noctis compoſita dicitur.



Canon IX. *Uni eidemque personae duo vel plura quandoque imposita leguntur nomina propria.* I. Reg. XXI. 1. *Achimelech* vocatur etiam *Abimelech*, mutato ח in ב, is quoque dicitur *Abiathar* Marc. II. 26. Imo siquis conferat I. Paral. XXIV. 3. et. II. Reg. VIII. 17. cum II. Reg. XV. 29. 35. et III. Reg. II. 26. deprehendet et patrem et filium binomines fuisse, et utrumque modo Abimelech aut Achimelech, modo *Abiathar* nominari. IV. Reg. VIII. *Ochosias* filius Joram Rex Juda vocatur *Azarias*. II. Paral. XXII. 6. II. Paral. XXVI. 1. *Ozias* Rex Juda vocatur *Azarias* IV. Reg. XV.

Canon X. *Uni eidemque loco plura interdum leguntur nomina imposita.* Gen. *XIV.* 7. Fons *Mispbat* vocatur etiam *Cades*. Agyptus vocatur *Cham*, a Chamo Noe filio. If. LI. 9. vocatur רָהַב *Rahab* propter summam eius superbiam, רָהַב enim adpellative id significat; unde Vulg. *superbum* interpretatur. If. *XXIX.* 1. Jerusalem dicitur *Ariel*, quia replenda erat interfectorum sanguine, sicut altare holocaustorum, quod etiam *Ariel* vocatur. Ezech. *XLIII.* 15. 16. ad quod respicit propheta, sanguine victimarum spargebatur.

Canon XI. *Personis iam antea nomina sua habentibus, alia quandoque leguntur superimposita, ob certam rationem in S. Scriptura plerumque expositam.* De nomine *Abram* in *Abraham*, item *Jacobi* in *Israel* supra egi. שָׂרָי uxoris Abrahae nomen mutatum fuit in שָׂרָה. S. Hieron. quaest. in Gen. dicit: *Causa autem ita nominis inmutati haec est, quod antea dicebatur* PRINCEPS MEA, *unius tantum domus mater familias: postea vero dicitur absolute* PRINCEPS *i. e.* ἄρχουσα . . . . . *in hebraeo habetur:* non vocabis nomen eius Sarai, *i. e. non dices ei* Princeps mea *es, omnium quippe gentium*

gentium futura iam princeps est. Joan. I. 42. 43. *Simoni* a Christo imponitur nomen *Cephas* h. e. *petra*, seu *Petrus*, quia super eum, tanquam supra firmam petram aedificaturus erat Ecclesiam suam. Vide Gen. *XXXV.* 18. Num. *XIII.* 16. Prov. *XXXI.* 1. *Salomon* a matre blandiente vocatur למואל i. *cuius Deus est*, vel *qui stat a Deo*, vel *quem Deus fovet*. rel.

Canon XII. *Plures unius Regni aut Provinciae reges, sive principes sibi invicem succedentes, saepe uno eodemque nomine vocantur.*

Pharao commune regum Aegyptiorum nomen fuit. *Pharao Nechao* memoratur *IV.* Reg. *XXIII.* 29. *Pharao Ephree* Jerem. *XLIV.* 30. Post Alexandri M. tempora Reges Aegypti vocati sunt Ptolomaei a voce graeca πολεμος, et inserto τ, πτολεμος, *bellum* q. d. *bellatores.* Sic *Ptolomaeus Lagi*, *Ptolomaeus Philadelphus*, *Ptolomaeus Philopator.* Abimelech Philistinorum Regum in scripturis nomen est. Artaxerxes Reges Persarum vulgo nominati sunt; *Xerxes* iuxta Herodot. bellatorem, *Artaxerxes* magnum bellatorem significat. Benadad commune regum Syriae nomen fuisse scribit S. Hieron. comm. in Amos cap. I.

Canon XIII. *Quaedam nomina dubiae sunt significationis, propriane sint, an adpellativa.* Num. XXIV. 17. *Orietur stella ex Jacob* . . . vastabitque omnes filios שֵׁת *Seth.* Chaldaeus: *dominabitur in omnes filios hominum:* a Setho omnes prognati sumus, quum in diluvio Caini proles extincta fuerit, et Noe, a quo genus humanum reparatum est, a Seth suam traxerit originem. Plura eiusmodi exempla in dictionariis reperire est.

Canon XIV. *Quandoque rei nomen pro re ipsa ponitur.* If. VII. 14. *Emanuel* i. e. *nobiscum Deus*, pro ipso Messia.

 Hic



Hic idem cap. IX. 6. vocatur *admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus*, *fortis*, *princeps pacis*, i. e. erit: Sicque nomen *vocari* ſaepius pro *eſſe* ponitur. Zach. VIII. 3.

Canon XV. *Nomen proprium unius ob quamdam ſimilitudinem vel etiam typum alteri quandoque imponitur.* IV. Reg. IX. 31. *Jehu* vocatur a Jezabele *Zambri*, quia ſicut Zambri occiderat Dominum ſuum, ita Jehu. Joannes Baptiſta vocatur *Elias*, quia in Spiritu et virtute Eliae anteceſſit Chriſtum. Similis erat S. Joannes Eliae ratione veſtis. Item hic libera ſua increpatione offenderat Jezabelem, hic Herodiadem. cet.

CAPUT III.
De Nomine adpellativo.

Canon I. *Adiectivum ſeu concretum pro ſuſtantivo ſeu abſtracto interdum ponitur.* Gen. XXI. 16. כִּמְטַחֲוֵי קֶשֶׁת *ſicut iaculantes arcu.* Vulg. *quantum poteſt arcus iacere.* Num. XXIV. 20. עֲדֵי אֹבֵד *usque ad pereuntem* i. perditionem. Pſal. CXVIII. כְּשֶׂה אֹבֵד *ſicut ovis pereuntis* i. perditionis. שֶׂה enim eſt in forma conſtructa, ut . . denotat. Dan. IX. 24. *ad obſignandam viſionem* וְנָבִיא *et prophetam.* i. e. prophetiam.

Canon II. *Denominativa ſeu epitheta quandoque de ſubiectis ſuis praedicantur, etiamſi fundamentum ipſorum et denominationis ratio perierit.* Et viciſſim *denominantur quaedam talia, etiam ante rem ipſam, ob quam iſta ſit denominatio.* Exod. VII. 12. Virga Aaronis in ſerpentem converſa, adpellatur virga, quia talis erat natura ſua, et mox in priſtinam formam erat reditura. Iſ. XI. 6. *habitabit lupus cum agno* i. qui erat prius lupus. Qua metaphora intelliguntur homines feri, qui per ſuſceptionem Evange-

lii

lii mansuescunt. Sic *Coeci vident* cet. Joan. IX. *Dicunt ergo coeco iterum* i. qui fuit coecus. Matth. XXI. 31. *Publicani et meretrices praecedent vos in Regnum Dei* i. qui fuerunt publicani. I. Cor. XI. 26. 27. 28. Corpus Christi dicitur *panis*, et sanguis eius *vinum* seu calix per metonymiam continentis pro contento.

CANON III. *In sacris literis res interdum describitur non qualis nunc est, sed qualis futura est.* Gen. III. 20. Adamus nominat uxorem suam *Hevam*, *eoquod*, (futura) *esset* mater *cunctorum viventium.* Gen. XXIX. 21. Deut. XXII. 24. *desponsata* vocatur *uxor*, quia est uxor promissa et futura. Sicut econtrario, quae *nupta* est et *uxor* viro iuncta, quamdiu matrimonium non est consummatum, vocatur *desponsata* Luc. II. Ioseph ivit in Bethlehem, *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.*

CAPUT IV.
De Nomine substantivo.

CANON I. *Substantivum cum substantivo eiusdem rei, in eodem genere, numero et casu convenit, quam constructionem latini adpositionem vocant.* Sic dicitur נַעֲרָה בְתוּלָה *puella virgo.* אֲנָשִׁים אַחִים *viri fratres.*

In hac substantivorum adpositione utrique saepe articulus, praepositio, aut alia litera servilis praeponitur, pleonastice quidem, sed elegantia et emphasi singulari. Gen. XXXII. 18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב *servi tui Jacobi.* II. Reg. XVIII. 18. בַּנַּעַר בְּאַבְשָׁלוֹם *in puerum istum, in Absalon.*

Loco adpositionis interdum status regiminis ponitur. Gen. XV. 18. נְהַר פְּרָת *fluvius Euphratis.* Amos. V. 2. בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל *Virgo Israelis* pro Virgo Israel i. e. populus Israeliticus.



Canon II. *Idem substantivum, eodem casu et numero, saepius in S. scriptura repetitur, idque ad emphasin et evidentiam vel etiam continuationem designandam.* Deut. II. 27. בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ *in eadem via, in eadem via procedam* h. e. continuo eadem via procedam, *non declinabo ad dexteram vel sinistram.* Cap. XVI. 20. צֶדֶק צֶדֶק *iustitiam iustitiam sectaberis*, i. indefinenter et constanter. Vide supra in hebraismis periphrasticis de formatione superlativi. Ezech. XXI: 27. *Perversitatem, perversitatem, perversitatem ponam eam* (coronam) i. regnum Israeliticum funditus evertam.

2. Ad *multitudinem significandam*, quod plerumque in repetitione substantivorum pluralium fit. Gen. XIV. 10. *Vallis autem Siddin* (Vulg. sylvestris) *erat putei putei bituminis* i. habens plures puteos bituminis. Exod. VIII. 14. *Et colligebat eas* (ranas) *acervos acervos* i. acervatim. If. XXV. 7. *Et praecipitabit* (Dominus) in monte hoc faciem הַלּוֹט הַלּוֹט *vinculi vinculi* h. e. multitudinis vinculi. Vulg. *Vinculi conligati*, pro ultimo הַלּוֹט legebat הלוט in participio. Aq. cum Theod. teste. Hieron. comm. in h. l. *faciem tenebrarum* interpretatus est. At Symm. ἐξουσιαςου του εξουσιαζοντος *Dominatoris dominantis*, quae omnes interpretationes eumdem sensum efficiunt; vincula enim sive involucra, victoris potentiam denotant, et infelicem captivorum statum, quem *tenebrarum* nomine metaphorice expressit Aquila. Sensus autem literae est is: post reditum e captivitate babylonica conteret Dominus in monte Sion vincula, quibus adligati fuerant omnes populi, nempe Israelitae. Clarius autem innuitur gentium ad Christi fidem conversio.

3. *Ad distributionem* indicandam. Gen. XXXII. 16. *Et dedit* (Jacob) *in manus servorum suorum gregem gregem seorsim*

feorſim h. e. ſingulos greges ſeorſim. Num. V. 12. *Vir Vir, quum declinaverit uxor eius* i. cuiuscunque viri uxor. Cap. XXVIII. 21. *decimam decimam parato* i. ſingulas decimas.

Eadem fere ratio eſt adiectivorum numeralium, quae ſi geminentur, diſtributiva ſunt. Gen. VII. 9. *Duo duo ingreſſa ſunt* i. bina.

4. *Ad diverſitatem et varietatem* innuendam. Quod fit, ſi copula ו *Vaf* interponatur, etſi exempla quaedam in praeced. numero poſita oſtendant diſtributionem indicati, etiam dum copula illa interiicitur. Deut. XXV. 13. *Non erit tibi pondus et pondus* i. diverſa pondera. Vulg. maius et minus. Pſal. XI. 3. *In corde et corde loquentur* i. e. duplici corde. Pſal. LXXXVI. 5. *Homo et homo natus eſt in ea* i. quam plurimi homines. Sic in diverſo genere et numero. Iſ. III. 1. *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Jeruſalem et Juda* מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה *ſcipionem et ſcipionem*, i. hunc et illum robuſtum. Eccl. II. 8. *Cantores et cantatrices* i. varios cantores, diverſa muſices inſtrumenta.

Joel III. 14. Multitudinem damnatorum hac allegoria eleganter expreſſit: *multitudines multitudines* (Vulg. *populi populi*) *in valle conciſionis* h. e. tanta erit ſtrages, ut cumuli cadaverum paſſim coacervatim adpareant.

CAPUT V.

De Nomine Adiectivo.

Canon I. *Duo nomina ſubſtantiva vel ſynonyma, vel diſparatae ſignificationis coniunguntur, et eorum alterum vicem adiectivi cum emphaſi ſuſtinet.* Haec loquendi forma adpellatur vulgo *Hendyadis* h. e. *εν δια δυοιν unum per duo*,

 quan-

quando scilicet una res per duo vel synonymae vel disparatae significationis vocabula exprimitur. Gen. I. 26. *Ad imaginem et similitudinem suam* i. imaginem simillimam. Cap. XIX. 24. *Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem* i. sulphur igneum vel ignem sulphureum. Job. IV. 16. דְּמָמָה וָקוֹל *silentium et vocem audivi* h. e. tacitam et submissam vocem. Cap. X. 17. חֲלִיפוֹת וְצָבָא *mutationes et exercitus* (sunt) *contra me* h. e. quasi exercitus aliis aliis succedentes me obpugnant. Exercitus illi poenae, calamitates sunt. Jerem. XXII. 3. *facite iudicium et iustitiam* i. iudicium iustum. Matth. III. 11. *Ipse baptisabit in Spiritu S. et igne*, h. e. in Spiritu S. ignito, inluminante, inflammante et purificante corda vestra. Act. XIV. 12. *Sacerdos Jovis . . . tauros et coronas adferens* i. tauros coronatos.

Canon II. *Saepius abstractum pro concreto, sive substantivum pro adiectivo cum insigni emphasi et energia ponitur.* Sic Gen. XLVI. 34. תּוֹעֲבַת *Abominatio Aegyptiorum* i. summe abominabilis. Psal. V. 10. *Cor eorum* הַוּוֹת *perversitates* i. perversum maxime. Agg. II. *desiderium omnium gentium* i. Messias ardenter desideratus. Luc. XVI. 15. *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum* i. summe abominabile.

Canon III. *Ex duobus substantivis, quorum alterum altero regitur, modo prius, modo posterius loco adiectivi ponitur: quandoque etiam utrumvis pro adiectivo potest accipi.* Gen. XVII. 5. *Patrem* הֲמוֹן *multitudinis gentium constitui te* i. multarum gentium. Cap. XLV. 22. *mutationes vestium*, vestes mutatoriae. *Juramentum obligationis*, i. obligatio iuramento firmata. *Proceritas cedrorum* i. cedri procerae. Psal. XCVIII. 4. *fortitudo* Vulg. *honor regis iudicium*



dicium diligit. i. Rex fortiſſimus, honoratiſſimus. 1. Cor. 1. 21. *Stultitia praedicationis* i. ſtulta coram ratione humana praedicatio. Gal. III. 14. *Promiſſio Spiritus* i. Spiritus promiſſus.

Poſterius ſubſtantivum loco adiectivi eſt et viciſſim. *Vir belli* ſeu *pugnae* i. bellicoſus, pugnator. *Petra fortitudinis, domus munitionum* i. petra fortis, domus munita. Pſal. LIV. hebr. LV. 9. רוּחַ סֹעָה *Spiritus profectionis* i. Spiritus ſeu ventus rapidiſſimus, cuius impetu omnia diſpelluntur, et quaſi e loco ſuo proficiſcuntur. Pſal. LVIII. 31. חַיַּת קָנֶה *catervam arundinis* i. ſagittis, quae ex arundinibus fiebant, armatam. Vulg. *feras arundinis.* Videtur legiſſe חַיּת i. quae in arundinetis degunt: חַיָּה et *feram* et *catervam* ſignificat. *Vir violentiae*, i. e. violentus. *Lupi veſperae* Habac. I. 8. i. e. veſpertini, qui cum nihil praedae tota die nanciſci potuerint, de nocte graſſantur. Matth. XXVI. 64. *a dextris virtutis Dei* i. ad dexteram potentiſſimam Dei. Rom. VII. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis huius* i. de mortali hoc corpore. Epheſ. IV. 24. *Juſtitia et ſanctitas veritatis* i. vera et non ficta ſanctitas Philip. III. 21. *Corpus humilitatis noſtrae* i. corpus humile aut humiliatum. *Vultus nativitatis* i. nativus. *Sectae perditionis* i. perdentes, pernicioſae. *Semen virorum* i. virile, Vulg. optime *ſexum virilem* reddidit. Pſal. XXIII. 2. *ſuper aquas* מְנוּחוֹת *quietum* i. quietas, et leniter fluentes, non turbidas et exitioſas. Vulg. *refectionis.* Prov. *Cerva amorum* i. chariſſima. Matth. XXIV. 15. *Abominatio deſolationis* i. abominabilis deſolatio.

Canon IV. *Adiectivum eleganter exprimitur per ſubſtantivum cum aliqua ex his praepoſitionibus* ב, ל, מ vel מִן *coniunctum.*

I. cum

I. cum ב *in*. Exod. XXXII. 22. *quia* בְּרָע *in malo eſt* i. malus. cap. I. 14. *In omni opere in agro* i. agreſti. I. Paral. XXVI. *conſiliarius in intellectu* i. intelligens. Pſal. XXVIII. 4. *Vox Domini in magnificentia, vox Domini in virtute*, i. potens et magnifica. Pſal. LI. 7. *Ecce in iniquitate formatus ſum, et in peccato concepit me mater mea* i. iniquum et peccatorem, peccato ſcil. originali. Pſal. LXXXIX. 5. *Cuſtodia in nocte* i. nocturna. Cant. III. 8. *propter timorem in noctibus* i. nocturnum. Luc. IV. 32. *quia in poteſtate erat ſermo eius* (Chriſti) i. quia potens erat ſermo eius. vel *quia loquebatur tanquam poteſtatem habens*. Joan. IX. 34. *In peccatis totus natus es* h. e. omnino ſceleratus et peccator. I. Cor. II. 7. *loquimur Dei ſapientiam in myſterio* h. e. myſticam, et huius mundi ſapientibus *incognitam* ſeu *abſconditam*. Huc etiam referuntur haec. Marc. V. 2. *homo in ſpiritu inmundo* i. habens ſpiritum immundum. *mulier in fluxu ſanguinis* ℣. 25. i. fluxum ſanguinis habens.

II. cum ל *ad* vel *in*. Iſ. IV. 2. *In die illa erit germen Domini* (Meſſias) *in magnificentiam et gloriam* i. magnificum et glorioſum. ibidem. *Et fructus terrae* (Meſſias rurſus ex terra benedicta nempe B. V. Maria) *in ſublimitatem et decorem* i. ſublimis et decorus. Pſal. C. 1. *Pſalmus* לְתוֹדָה LXX. εἰς ἐξομολόγησιν *ad confeſſionem* i. ad confitendum ſive gratias agendum compoſitus. Tob. XIII. 1. *Precatio ad exultationem* i. exultatoria, qua Deo grates perſolvuntur cum ſingulari mentis gaudio, quale fuit canticum B. V. Mariae, *Magnificat anima mea*. cet.

III. Cum מ vel מִן *a, ab, de, ex*. Pſal. XVI. 4. *Non libabo libamina* מִדָּם *de ſanguine* i. ſanguinea nempe inmunda: nam ſanguis cenſebatur inmunda res, quo non ve-

vescebantur iudaei, bene vero idololatrae; unde Isaias dicit, mundandum esse sanguinem in Jerusalem. Joan. III. 31. *Qui de terra est* i. terrenus, *de terra loquitur* i. terrena.

Praepositio etiam *cum* adiectivum format. Psal. LXXXVIII. 14. *Tuum brachium cum potentia*, h. e. potens est. I. Timoth. III. 4. *filios habentem in subiectione* (Vulg. *subditos*) *cum omni castitate* i. honestissimos. Item *secundum*. II. Cor. VIII. 2. *secundum profunditatem paupertas eorum* i. profundissima.

Comparativum quoque hebrai formant addendo praepositionem מ aut מִן *prae*. Eccl. IV. 9. *Boni sunt duo* מֵאֶחָד, aut מִן־הָאֶחָד *prae uno* i. meliores. Agg. II. 10. *magna erit gloria domus huius posterioris* מִן־הָרִאשׁוֹן *prae priore illa* i. maior, praestantior. Enallage heic etiam locum habet, quando positivus pro comparativo, et superlativus pro comparativo ponitur, sicut et quandoque comparativus pro superlativo. Matth. XVIII. 8. *bonum tibi est ad vitam ingredi debilem* cet. i. e. melius tibi est. Sic apud profanos: *bonum est non vivere*, *quam misere vivere.* Ibid. cap. XI. 11. *Qui minor est in regno coelorum*, *maior est illo*, Joanne Baptista i. qui minimus est. Cap. XIII. 32. *quod* (granum sinapis) *μικροτερον minus quidem est omnibus seminibus* i. minimum. Vulg. *quum autem creverit μειζον maius est omnibus oleribus* i. maximum.

Canon V. *Adverbium substantivo additum*, *adiectivi significationem non raro induit.* I. Reg. XXV. 31. *quod effuderis sanguinem* חִנָּם *innoxie* i. innoxium. Prov. III. 25. *Non timebis a timore* פִּתְאֹם *subito* i. subitaneo. Luc. X. 30. *και τις ἐστι μου πλησιον Et quis est meus prope* i. proximus.

CAPUT



CAPUT VI.

De Hebraeorum numero et casu.

Canon I. *Quaedam vocabula in plurali numero modo cum emphasi, modo sine emphasi, et ex solo linguae usu, efferuntur.* Vide supra in hebraismis enallagicis. Psal. CIX. 1. *sede a dextris meis*, in hebraeo habetur לִימִינִי *ad dexteram meam.* In novo testamento saepe ponitur *Sabbathum* in plurali. Eadem vox sive in plurali sive in singulari numero, dies septimanae, seu septimanam integram synecdochice denotat. Matth. XXVIII. 1. *Vespere autem σαββατων Sabbathorum, quae lucescit εις μίαν σαββατων in una Sabbathorum* i. in prima die septimanae. I. Cor. XVI. 1. *In una Sabbathorum* i. prima die septimanae: in his exemplis *una* est pro *prima*; saepe enim numerus cardinalis pro ordinali ponitur. Sic et illud Luc. XVIII. 12. *Jeiuno bis in Sabbatho* i. in septimana.

Canon II. *Pluralis numerus pro uno aliquo non definito, seu plurale pro uno ex pluribus quandoque ponitur.* Gen. VIII. 4. *Requievit arca super montes Ararat*, i. e. super unam montium. Jud. XII. 7. *sepultusque est* (Jephte) בְּעָרֵי *in urbibus Galaad;* in una urbium. Unde volunt in his exemplis esse *ellipsin* distributivi. אֶחָד *unus*, אַחַת *una.* Vide supra in hebr. ellipt.

Canon III. *Nominativus in oratione quandoque absolute ponitur*, adeo, ut *vim integri membri in sententia absolvat.* Psal. X. 4. *Dominus, in coelo sedes eius*, Dominum quod adtinet, sedes eius in coelo est. Psal. XVII. 31. *Deus perfecta via eius.* In his exemplis videtur esse pleonasmus pronominis, atque *το eius* redundare, ut sensus sit: *Domini sedes in coelo est, Dei via perfecta est.* Hic hebraismus etiam in novo Testamento occurrit Matth. XXII.

42. *La-*

42. *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.*

Canon III. *Casuum inter se enallage seu permutatio non raro occurrit*; praecipue Nominativus pro vocativo, vel potius nominativo similis est vocativus, quod ad dialectum Atticam pertinet. Specialius observandum, quod adcusativus frequenter pro nominativo ponatur. Nehem. IX. 19. אֶת־עַמּוּד *columna nubis non recessit ab eis.* I. Reg. XVII. 34. *Et veniebat leo* וְאֶת־הַדּוֹב *et ursus.* Praeterco alia exempla, tum quia aliter explicari possunt; tum quia אֵת certa non est articuli nota; nam etiam *ablativum*, et *nominativum*, maxime in verbis passivis et intransitivis indicat.

CAPUT VII.

De nominum hebraeorum regiminis statu.

In regiminis statu quinque notanda sunt; *Idiotismus, Pleonasmus, Ellipsis, Enallage, Hypallage.* De quatuor ultimis supra iam egimus. Idiotismus occurrit tum in genere, tum in specie. *In genere* ratione *significationis*, et ratione *constructionis.* Ratione *significationis* hic statuitur

Canon *Nomen rectum in genitivo casu, ratione usus et significationis varie accipitur*, denotatque causam efficientem, materialem rel. vide supra §. xi. de hebraismis regiminis.

Ratione *constructionis* sequentes observentur canones.

Canon I. *Infinitivus ceu nomen substantivum, quandoque ab altero nomine substantivo regitur.* Gen. II. 4. בְּיוֹם עֲשׂוֹת *in die facere* i. factionis seu quo fecit Dominus. *In*

diebus



diebus iudicare iudices i. iudicii iudicum, quando iudices praeerant. *In anno venire* i. adventus. Mich. VII. 15. בִּימֵי צֵאתְךָ *in diebus egredi te* i. egreſſionis tuae.

Sic etiam participia quandoque regunt infinitivum. Sic Pſal. CXXVII. 2. *diluculantes ſurgere*, *tardantes ſedere* i. qui ſummo diluculo ſurgitis, et ſero ſedetis. *Amantes dormire* i. dormitionem.

Canon II. *Duorum ſynonymorum rectio auxeſin et evidentiam denotat.* Pſal. X. 6. *Spiritus* ſeu *ventus procellarum* i. procelliſſimus. Pſal. XVI. hebr. XVII. 5. *Dominus pars portionis meae* Vulg. haereditatis meae i. haereditas mea omnimoda. Pſal. XXXI. 5. *Remiſiſti iniquitatem peccati mei* h. e. peccatum meum graviſſimum. Vel iniquitas ſumitur pro poena peccati. Zach. X. I. *pluviam imbris* i. abundantiſſimam. *Caligo tenebrarum* i. denſiſſimae tenebrae, horribilis caligo.

Idem obſerva in adiectivis ſynonymis *fortes potentum* i. duces potentiſſimi. סָרֵי סוֹרְרִים *contumaces contumacium* h. e. contumaciſſimi.

Interdum tamen illa emphaſis locum non habet, ſed duntaxat pleonaſmus eſt. Sic Num. XIX. 2. *hoc eſt* חֻקַּת הַתּוֹרָה *ſtatutum legis*, i. ſtatutum, ſive lex. *Pſalmus cantici*, ſimpliciter pſalmus, vel canticum. *Domus tabernaculi*, domus, tabernaculum. Epheſ. IV. 23. *Renovamini Spiritu mentis veſtri* i. Spiritu, mente.

Canon III. *Adiectiva nominalia et participialia regunt genitivum, qui diverſimode a latinis exprimuntur.*

I. Per ablativum, ſi genitivus iſte *rei* ſit, ſi *perſonae* per adcuſativum cum praepoſitionibus *inter*. Pſal. hebr. XXIV. *innocens manuum* i. manibus. Jerem. XXXIII.

19.



19. גְּדוֹל הָעֵצָה *magnus confilii* i. confilio. If. III. 3. חֲכַם חֲרָשִׁים *fapientem artificum* i. inter artifices.

II. Causa efficiens, et explicatur per *a*, vel *prae.* Gen. XXIV. 31. *Ingredere* בְּרוּךְ יְהוָה *benedicte Domini* i. a Domino. Cant. II. 5. *aegra amoris* i. prae amore.

III. Subiectum, recipiens, exprimitur genitivus ifte vel per adcufativum, vel per ablativum. Sic *contritus Spiritus* i. Spiritu. *pollutus labiorum* i. labiis. *Timens Domini* יְרֵא יְהוָה i. timens Dominum.

CAPUT VIII.

De Enallage Nominum.

De Enallage fupra §. v. in hebraismis iam actum eft. Sequentia adhuc notanda funt.

Canon I. *Nomina verbalia tam abfoluta, quam conftructa, cafum verbi fui regunt, qui latinis per genitivum explicandus eft.* Num. X. 2. *Ad convocationem coetum*, i. coetus, *et admotionem caftra* i. caftrorum. If. XI. 9. *Repleta eft terra* דֵּעָה אֶת־יְהוָה *fcientia Dominum* i. Domini.

Si aliud nomen vel pronomen genitivi cafus fubftantivo verbali addatur, tum adcufativus, qui per fubftantivum illud verbale regitur, per accufativum cum praepofitione, aut alia ratione exponendus eft. Deut. I. 27. *Propter odium Domini nos* מִשִּׂנְאַת יְהוָה אוֹתָנוּ i. e. *adverfum nos*; vel per ellipfin verbi coniugati, i. שָׂנֵא *odio habuit*, quod includitur in nomine fubftantivo שִׂנְאָה *odium*, fic: *propter odium Domini*, quo odit nos. II. Reg. III. 11. *Propter timorem eius ipfum*, i. *ab ipfo* Vulg. quia metuebat illum. If. XXIX. 3. *timor eorum me* i. erga me; Vulg. *timuerunt me.*



Canon II. *Inter duo ſubſtantiva per copulam* ET *connexa, alterum per genitivum quandoque exponitur.* Gen. III. 16. *Multiplicabo dolorem tuum, et conceptum tuum* i. dolores conceptus tui. Iſ. I. 13. *Non poſſum* (ferre) *iniquitatem et coetum* h. e. iniquitatem coetus. Jerem. XXXVI. 27. *Poſtquam combuſſerat Rex volumen et ſermones* i. volumen ſermonum. Rom. I. 5. *Per quem accepimus gratiam et apoſtolatum* i. gratiam apoſtolatus.

CAPUT IX.

De Pronomine Demonſtrativo.

De pronomine conſideranda ſunt duo, ſcil. *generalia* et *ſpecialia.* Generalia ſunt eius repetitio, Pleonasmus et Enallage.

Canon I. *Demonſtrativi pronominis repetitio diſtributionem indicat.* Num. XXII. 24. *ſtetit Angelus Domini in tramite vinearum* גָּדֵר מִזֶּה וְגָדֵר מִזֶּה *maceria ex hoc et maceria ex hoc* i. heinc illeinc ſeu utrinque maceriam habente. Jud. XVIII. 4. כָּזֹה וְכָזֶה *ſecundum banc* *ſecundum hunc fecit mihi.* i. haec et haec praeſtitit mihi. Pſal. XIX. 8. אֵלֶּה *hi in curribus* וְאֵלֶּה *et hi in equis.* h. e. alii in curribus, alii in equis.

Canon II. *Pronomina demonſtrativa nominibus ſubiuncta, verbi ſubſtantivi loco, ſingulari cum elegantia ponuntur.* Gen. III. 10. *Timui eoquod* עֵירֹם הָנֹכִי *nudus ego,* h. e. nudus eſſem. Cap. VI. 2. *Videntes . . . filias hominum, quod* טֹבֹות הֵנָּה *bonae* ſubple forma. Vulg. quod pulchrae eſſent.

Quando nominibus praeponuntur, verbi ſubſtantivi *ſum* ellipſis eſt, remanente pronominum illorum ſignificatione.

ficatione. Gen. VI. 9. אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת *istae* (sunt) *generationes*. הוּא מֶלֶךְ *iste* (erat) *Rex*.

Canon III. *Loco pronominis demonstrativi primae et secundae personae, quandoque ipsum nomen eius, qui loquitur, vel ad quem fit sermo, ponitur.* Exod. XXX. 16. *Eritque filiis Israel monumentum coram Domino* i. e. coram me, loquitur enim Dominus. Lev. X. 11. *Doceatisque filios Israel omnia . . . . quae loquutus est Dominus ad eos*, i. quae loquutus sum; sunt verba Domini ad Aaronem. Psal. Hebr. L. 14. *Immola Deo laudem* Vulg. *immola Deo sacrificium laudis*. h. e. immola mihi. Loquitur heic Deus. Ps. CXXXI. 1. *Memento Domine David* h. e. memento mei. Et utriusque personae. Num. XXVII. 11. *Sicut praecepit Dominus Moysi* h. e. sicut praecepi ego Dominus tibi: Deus enim Moysen adloquitur.

Canon IV. *Pronomina demonstrativa* הוא *et* זֶה *quandoque cum emphasi maiori, quam proprie sonant, vel in alia paululum diversa significatione accipiuntur.*

הוא *ipse* de Deo usurpatum, inmutabilitatem eius notat. Psal. CII. 28. וְאַתָּה הוּא *Tu autem idem es*, sequitur explicatio: *et anni tui non deficient.*

זֶה pro indefinito *quidam* interdum sumitur. I. Reg. XVII. 12. *David autem erat filius viri Ephrataei* הַזֶּה *illius* i. cuiusdam. Ibid. ℣. 34. *veniebat leo et ursus, et tollebat* זֶה *illud de medio gregis* i. aliquid. Deut. V. 29. *Utinam cor eorum esset* זֶה *illud ad timendum me* i. tale.

CAPUT X.

De Pronomine relativo.

Relativi pronominis voce non solum eo loci intelligitur אֲשֶׁר vel שֶׁ *qui, quae, quod*; verum etiam ipsa



pronomina primitiva, et quae ex eis deducuntur, adfixa, quae eo etiam nomine insigniri possunt, quod ad rem, vel personam, de qua habetur sermo, referantur. Circa pronomen relativum consideranda sunt quatuor, I. *Idiotismus*, II. *Enallage*, III. *Ellipsis*, IV. *Pleonasmus.*

CANON I. *Relativum* QUI, QUAE, QUOD אֲשֶׁר *determinatur ad certum genus, casum, et numerum per suffixum, quod habetur reiectum post verbum.* Sic אִישׁ אֲשֶׁר נָתַתִּי לוֹ *vir, qui dedi ipsi*, i. e. cui dedi. Gen. I. 12. *facientem fructum* אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ *in quo est semen eius.*

CANON II. *Relativa quandoque referunt ea, quae remotius distant, licet adsint propiora, ad quae referri posse videantur.* II. Reg. XX. 6. *Tolle ergo servos Domini tui, et persequere eum*, non Dominum tuum, sed Sebam, cuius mentio praecessit. Psal. XCVIII. 6. *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos, qui invocant nomen eius.* ℣. 7. *in columna nubis loquebatur ad eos* scil. ad Moysen et Aaron, non ad Samuelem.

CANON III. *Aliquando relativum respicit ad consequens, sive ad id, quod in textu sequitur.* Num. XXIV. 17. *Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope*, illum scil. de quo mox dicturus sum, nempe *orietur stella* rel. quae stella Christus est. Stella hebr. כּוֹכָב a rad. arab. *cavcebh*, quae *micandi* et *fulgendi* notionis est, non tatum sidus coeleste micans et fulgens, sed etiam eleganti metaphora a splendore sideris deducta hominem conspicuum, inlustrem, et praesertim Regem et doctorem significat, propter dignitatis et doctrinae splendorem. Confer. Gen. XXXVII. 9. If. XIV. 12. Dan. VIII. 10. Apoc. XV. 20. Heinc Onkelos, Jonathan et Targum Jeros. *Regem* vertunt. Stellam itaque non pro sidere

re accipiendum eſſe, patet ex ſequentibus verbis: *Ex Jacob:* ſidus enim nemo dixerit *ex Jacob* ortum fuiſſe: et ſtella, quam viderant magi in Oriente, non erat ipſe Rex, ſed eius ſignum.

De ENALLAGE *relativi* vide ſupra in hebraismis, inſuper ſequentia obſerva.

CANON IV. *Relativum ſaepius pro ipſo antecedente ponitur.* Num. VII. 89. *Quumque ingrederetur Moyſes tabernaculum foederis* לְדַבֵּל אִתּו *ut loqueretur cum ipſo* i. cum Deo, Vulg. *ut conſuleret oraculum*, ſenſum, non verba retulit. Ibid. XXV. 4. *Tolle cunctos principes populi, et ſuſpende illos* i. e. illos, qui initiati ſunt *Beelphegor*. ut ꝟ. 5. explicatur. II. Reg. XI. 25. *Conforta* מִלְחַמְתְּךָ *praelium tuum . . .* וְחַזְּקֵהוּ *et confirma eum* h. e. militem tuum. Optime Vulg. *Conforta bellatores tuos . . . et exhortare eos;* abſtracto per concretum reddito.

CANON V. *Pro relativo et reciproco, et interdum etiam poſſeſſivo pronomine, ſaepius ponitur antecedens in textu repetitum.* Gen. I. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum* i. ad imaginem, inquam, ſuam creavit illum. Gen. IV. 23. *Dixitque Lamech uxoribus ſuis . . . audite vocem uxores Lamech* i. uxores meae. Gen. XII. 5. XVI. 16.

Sunt tamen quaedam loca, in quibus antecedentis repetitio perſonarum diſtinctionem denotat.

Gen. XIX. 24. *Igitur* יְהוָה *Dominus pluit ſuper Sodomam et Gomorrham ſulphur et ignem* מֵאֵת יְהוָה *a Domino de coelo* h. e. Deus Pater pluit ſulphureum ignem de coelo a, h. e. per Dominum filium ſuum; *quaecunque enim ille fecerit, haec et filius ſimiliter facit*, Joan. V. 19. Nullus autem ſenſus eſſe videtur, ſi dicatur Deus pluere



ignem a ſe ipſo. Pſal. CX. *Dixit Dominus Domino meo* i. e. Chriſto Deo filio ſuo et Domino meo. Oſe. I. 7. Jerem. XXIII. 5.

Canon VI. *Loco pronominis relativi* אֲשֶׁר, *interdum ponitur demonſtrativum* זֶה vel זוּ *iſte.* Pſal. IX. 16. *in laqueo* זוּ *iſtum abſconderunt mihi* i. אֲשֶׁר *quem.* Pſal. CIV. 8. *in locum* זֶה *iſtum fundaſti eis* i. quem. Vide Pſal. CXLII. 4. Iſ. XLIII. 21.

Canon VII. *Loco pronominis relativi, quandoque uſurpatur coniunctio* Et.

Exod. X. 25. *Hoſtias quoque et holocauſta da nobis* וְעָשִׂינוּ *et offeremus Deo noſtro* i. quae. Ruth. III. 16. *Et venit ad ſocrum ſuam* וַתֹּאמֶר *et dixit ei* i. quae dixit ei. I. Reg. XX. 2. *Neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum,* וְלֹא *et non indicabit mihi* i. quod non.

Subinde adhibetur etiam particula cauſalis כִּי *quia.* Gen. III. 19. *Donec revertaris in terram* כִּי מִמֶּנָּה *quia ex ea ſumtus es* pro אֲשֶׁר מִמֶּנָּה *de qua ſumtus es.* Gen. IV. 25. *Poſuit mihi Deus aliud ſemen pro Abel,* כִּי *quia occidit eum Cain* i. quem occidit. Pſal. LXXI. 15. *Os meum adnuntiabit iuſtitiam tuam et ſalutare tuum* כִּי *quia non novi numeros* i. cuius non novi numeros h. e. amplitudinem, copiam beneficiorum tuorum numerare nequeo. Vide Pſal. XC. 4. Prov. XI. 15. XX. 16.

De Ellipsi pariter ſupra actum: ſunt vero ſequentia adhuc notanda.

Canon VIII. *Relativum* אֲשֶׁר *qui, quae, quod, cum particulis* ־אֶת, ל, מ, ב *coniunctum, non raro antecedens ſuum includit, quod commode ſubintelligendum eſt.* Gen. XLIV.

XLIV. 1. *Praecepit autem Joseph* אֶת־אֲשֶׁר *cui praeerat domui suae* i. illi, qui praeerat.

Quum de *loco* sermo est, frequens est haec ellipsis. Gen. XXI. 17. *Exaudivit enim Deus vocem pueri* בַּאֲשֶׁר הוּא שָׁם *in quo ipse est*, subple בַּמָּקוֹם *in loco*, *in quo ipse est* Vulg. *de loco*. Sic cum demonstrativo. Gen. XXXVII. 17. *recesserunt* מִזֶּה *de hoc* Vulg. de loco hoc. Num. XIII. 17. עֲלוּ זֶה *ascendite hac*, subple דֶּרֶךְ *via*.

Pleonasmum relativi, et ad quod refertur, substantivi, vide in hebraismis pleonasticis; sequentes adhuc canones observa.

Canon IX. *Antecedenti substantivo relativum quandoque adiungitur, pleonastice quidem, sed evidenter et cum energia; quum alioquin solum substantivum sufficeret.* In hoc idiotismo relativum modo praeponitur, modo postponitur. Et primo

Praeponitur. Exod. II. 6. *Et aperuit* (arcam) וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *et vidit eum puerulum ipsum.* I. Reg. XXI. 13. וַיְשַׁנּוֹ אֶת־טַעְמוֹ *et mutavit eam speciem suam.* Job. XXXIII. 20. Prov. V. 22.

Postponitur. Gen. II. 17. *de arbore autem scientiae boni et mali non comedes* מִמֶּנּוּ *ex ea* h. e. ex ea, inquam, plane non comedas. If. VIII. 13. *Dominum exercituum ipsum sanctificate.* Vide XLV. 9. Ezech. XXXIII. 2. rel.

Canon X. *Duplex relativum quandoque usurpatur, quum unum sufficeret.*

I. Adfixum et integrum pronomen interdum cum eleganti emphasi coniunguntur. IV. Reg. IX. 27. גַּם אֹתוֹ הַכֻּהוּ *etiam hunc percutite ipsum.* Psal. IX. 7. אָבַד

 זִכְרָם



זִכְרָם הֵמָּה *periit memoria eorum ipsorum*, vel *ipsi* in solidum perierunt.

CAPUT XI.
De Verbo.

§. I.
De Verborum Idiotismo.

Idiotismus verborum tum *significationem*, tum *constructionem* spectat. Significatio verborum vel *generalis* est, vel *specialis*, de utraque agetur.

CANON I. *Simplicia verba apud hebraeos, adiectis praepositionibus, et saepe etiam sine iis, habent compositorum significationem.*

Omnia verba apud hebraeos simplicia sunt; nulla composita: praepositio igitur, quam graeci et latini cum verbo coniungunt diversarum significationum causa, ab hebraeis inter *verbum* et *nomen* sequens disponitur, ut v. g. הָלַךְ *ire*, cum praepositione אֶל *ad* significat *adire*, cum מִן *ab*, *abire*, cum לִפְנֵי *ante*, *praeire*, cum אַחַר *post*, *sequi*.

Quandoque etiam sine eiusmodi praepositionis adiectione, verbum simplex compositi significationem obtinet, quod ex contextu ipso eruendum. Sic עָמַד *stare*, etiam sumitur pro *obstitit*, *restitit*, *substitit*, *restitit*, *superstitem esse* etc. רָעָה *pascere* et *depascere*, *perdere* cet. Quae verba adcurate adnotantur in dictionario P. Guarin et aliorum.

CANON II. *In uno eodemque verbo quandoque duae significationes concurrunt, seu unicum verbum pro duobus ponitur.* Gen. XII. 15. וַתֻּקַּח *Et capta est mulier in domum Pharaonis*

racnis i. capta perducta eſt. Sic לָקַח ſubin accipitur Gen. XV. 9. 10. Exod. XVIII. 2. Gen. XLIII. 33. וַיִּתְמְהוּ *Et mirati ſunt homines illi, quisque ad proximum ſuum.* i. mirantes reſpexerunt alter ad alterum. ỽ. 34. וַיִּשָּׂא *Et accepit* (Joſeph) *fercula de eo, quod erat in conſpectu ſuo, ad eos* h. e. accipiens miſit ad eos. Pſal. XXII. 22. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium* עֲנִיתָנִי *exaudies me* i. exaudiens liberaſti me. LXX. et Vulg. *humilitatem meam*, pro עֲנִיתָנִי legebant עֲנוֹתָנִי ab עֲנָוָה *manſuetudo, humilitas* cum Vaf loco י, et adfixo verbali נִי, loco י. Pſal. CXVIII. *Et exaudivit me in latitudine* i. exauditum conlocavit me in latitudine: *latitudo* obponitur anguſtiae, et ſignificat a malis liberationem. Pſal. LXVIII. *Accepiſti dona in hominibus* i. accipiens dediſti hominibus. Iſ. XXXVIII. 17. Tu autem חָשַׁקְתָּ *amaviſti animam meam ex fovea conſumtionis* i. amando eruiſti me. Cap. XIV. 17. Vinctos ſuos non ſolvebat בֵּיתָה *domum* h. e. ut domum reverterentur. Ibid. XLVI. 6. *Vilipendentes aurum de crumena* i. aurum vilipendentes illud produxerunt de crumena. Jerem. XLI. 7. *Et iugulavit eos in medium foveae* i. iugulatos eos proiecit in medium foveae.

Canon III. *Verbum, quod actum completum ſignificat, accipiendum eſt quandoque inchoatiue.* Et viciſſim, *quod actum inchoatum denotat, accipiendum eſt quandoque completive.* Sic II. Reg. II. 10. *quadraginta annorum erat Isboſeth, quum regnaret* i. regnare coepiſſet. III. Reg. VI. 4. 480. *anno* . . . *aedificavit* (Salomon) *domum Domino* i. aedificare coepit. Verba quaedam inchoativa completive intelligenda ſunt.

Accipere pro acceptum retinere. Gen. XXXVIII. 23. תִּקַּח *accipiat ſibi* h. e. acceptum retineat.



Congregare pro congregatos retinere. I.Paral.XVI.35. *Salva nos, et congrega nos* i. congregatos contine, ne difsipemur; nam tunc temporis inter gentiles dispersi non erant Israelitae.

Aperire pro apertum tenere. Is. LX. 11. *Et aperient portas tuas iugiter*, i. apertas tenebunt Ministri Ecclesiae, ut singulis horis animas lucrifaciant Christo, et intromittant in Ecclesiam.

Vincire, *ligare* pro vinctum retinere Marc. V. 3. *Et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare* i. ligatum retinere.

Sic etiam verbum *incipiendi* cum altero coniungere. Gen. IX. 20. ויחל *Et coepit Noe vir terrae* i. agricola, *et plantavit vineam* i. e. Noe autem plantavit vineam. Act. I. 1. *Et coepit Jesus facere et docere* i. fecit, docuit. Hoc idiotismo explicant quidam illud Luc. III. 23. *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta* i. triginta annos natus; adverbium enim *quasi* heic non dubium, sed rem certam indicat. Vid. sup. in hebraismis adfirmantibus.

Canon IV. *Verbum quandoque de continuatione rei significatae intelligendum est*, sive, res saepe fieri dicitur, quum continuatur et augescit. Gen. XV. 6. *credidit Abraham Deo* rel. i. fides eius continuata et confirmata est; iam enim ante crediderat. Lev. VI. 5. *Ignis autem in altari semper ardebit* i. perget ardere. Luc. XI. 13. quanto *magis pater vester de coelo dabit Spiritum bonum petentibus se* i. dona Spiritus S. augebit: neque enim eo loci agitur de prima eorum conlatione; quandoquidem sine Spiritu S. preces Deo gratae fieri non possunt, minus impetratoriae. Joan. II. 17. *Et crediderunt in eum discipuli* i. in fide confirmati sunt.

Huc



Huc pertinet verbum *innovari* seu *renovari*, quod interdum pro incremento novitatis a Spiritu Sancto impertitae accipitur. Gen. IV. 26. *Tunc coeptum est invocari in nomine Domini;* h. e. Enos cultum divinum instauravit; nam procul dubio primi parentes invocaverant nomen Domini. II. Reg. XIX. 23. *An ignoro hodie me factum regem super Israel?* i. me esse confirmatum regem.

Canon V. *Verbum, quod actionem seu effectum notat, de potestate seu facultate agendi non raro intelligendum est, et per* possum *cum infinitivo exponendum.*

Gen. XVI. 10. *Et non numerabitur prae multitudine* h. e. non poterit numerari. Exod. IX. 15. *Quia iam extendi manum meam, et percussi te* h. e. extendere potuissem et percutere. IV. Reg. V. 11. Job. IX. 6. *Qui commovet terram de loco suo* i. potest commovere. ℣. 7. *Qui praecipit soli et non oritur* i. potest praecipere. Psal. XXII. 18. אֲסַפֵּר *numerabo omnia ossa mea*, i. numerare possum prae macie.

Canon VI. *Verbum quod actionem seu effectum notat, de iure ac debito quandoque intelligendum est, et per* debeo *sequente infinitivo vertendum.*

Psal. XXXI. 8. *Instruam te in via, qua gradieris* i. gradi debeas. Gen. XX. 9. opera, *quae non* יֵעָשׂוּ *fient, fecisti mecum*, i. quae non fieri debent. Ezech. XXXIV. 2. *Vae pastoribus Israel, qui* הָיוּ רוֹעִים אוֹתָם *pascebant eos* i. pascere deberent. Vulg. *pascebant semetipsos*, אוֹתָם reciproce accepit, quod in hebraeo rarissimum. Malach. II. 7. *Labia sacerdotum custodiunt scientiam* i. custodire debent. Luc. VII. 42. Hebr. V. 4.

Canon VII. *Verbum quod actionem seu effectum notat, de voluntate et voto agendi non raro intelligitur*, et per *volo*, seu *opto* cum infinitivo exponitur.

Exod.



Exod. XV. 23. *Quod coquetis, coquite* i. quod vultis coquere. Gen. XXIV. 58. *Num* הֲתֵלְכִי *ibis cum homine isto?* i. ire vis. Exod. XII. 48. *Et si peregrinabitur apud te peregrinus.* וְעָשָׂה *et fecerit pascha Domini* i. et voluerit facere. Matth. XIII. 13. *quia videntes non vident, et audientes non audiunt* i. videre, audire nolunt. Luc. XI. 52. *Ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis,* i. qui introire volebant. Ibid. cap. XXII. 26. *Qui maior est in vobis* i. qui maior esse desiderat. Act. VII. 26. *et reconciliabat eos dicens* i. reconciliare volebat.

Canon VIII. *Verbum, quod actionem aut effectum notat, de conatu agendi quandoque intelligitur,* exponiturque per *conor* cum infinitivo.

Gen. XXXVII. 21. *Et audivit Ruben, et liberavit eum* i. nitebatur eum liberare. Exod. VIII. 14. *Et fecerunt similiter* (magi pharaonis) h. e. conati sunt facere; neque enim cyniphes eduxerunt. Deut. XXVI. 5. Syrus אֹבֵד אָבִי *perdidit patrem suum* h. perdere conatus est. Syrus eo loci est Laban, qui Gen. XXVIII. 5. dicitur אֲרַמִּי *Syrus*: is dura servitute premebat Jacobum, et persequebatur in patriam redeuntem. Act. VII. 15. I. Cor. X. 33.

Canon IX. *Verbum, quod actionem seu effectum notat, de consuetudine agendi quandoque intelligendum est,* et per *soleo* exponendum. Gen. VI. 21. *Tolles igitur tecum de omni cibo, qui* יֵאָכֵל *comeditur* h. e. comedi solet. Cap. XXIX. 26. *Et dixit Laban:* לֹא יֵעָשֶׂה כֵן *Non fiet sic in loco nostro* h. e. fieri non solet, seu ut optime Vulg. *non est in loco nostro consuetudinis.* I. Reg. XX. 2. *Pater meus non facit quidquam grande vel parvum* i. non solet facere. Marc. XV. 6. *Per diem autem festum* ἀπέλυε *dimittebat illis unum*

ex

ex vinctis h. e. solebat dimittere. I. Reg. XX. 5. XXIII. 21. Joan. XII. 20.

Canon X. *Verbum, quod actionem seu effectum notat, de occasione eius quandoque intelligendum est*, ac per *occasionem dare* explicandum.

Gen. XLII. 38. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos* h. e. morti meae occasionem praebebitis. II. Reg. XII. 14. *Verumtamen, quia blasphemare fecisti inimicos Domini* i. e. blasphemandi occasionem tribuisti. III. Reg. XIV. 16. *Propter peccata Jeroboam, qui peccare fecit Israel* i. occasionem idololatriae dedit. Act. I. 18. *Hic* (Judas) *acquisivit agrum de mercede iniquitatis* i. occasio acquirendi extitit.

Canon XI. *Verbum, quod actionem seu effectum notat, de permissione seu concessione quandoque intelligendum est*, et per *sino, permitto* exponendum.

Deut. II. 28. *cibum pro pecunia* תַּשְׁבִּרֵנִי *comparare me facies*, i. comparandi facultatem mihi concedes. Job. I. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit* i. auferri permisit. Psal. CXVIII. 31. *Noli me confundere*, i. noli permittere, ut confundar. Is. LXIII. 17. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurasti cor nostrum* i. quare permisisti, ut erraremus. Matth. VI. 13. *Et ne nos inducas in tentationem* i. ne sinas nos induci. In eadem significatione sumitur quandoque verbum נָתַן Gen. *XX. 6. propterea* לֹא נְתַתִּיךָ *non dedi tibi, ut tangeres eam* i. e. non permisi. Vide. Gen. XXXI. 7. Exod. III. 19. Apocal. XIII. 7. *Datum est bestiae* i. permissum.

Item חָיָה et הֶחֱיָה *vivificare* pro in vita relinquere, seu vivere permittere. Exod. I. 17. *Timuerunt autem obstetrices Deum* . . . וַתְּחַיֶּיןָ *et vivificarunt mares* i. vi-



i. vivere permiserunt. Deut. XX. 16. Jos. II. 13. IX. 15. 20. rel.

Permissio autem negotii alicuius apud hebraeos petitur in futuro rei agendae. Deut. II. 27. *Transibo per terram tuam* h. e. transeam, quaeso. Vide Ruth. II. 2. II. Reg. XVI. 9.

CANON *XII. Verbum potestatis non raro pro verbo* DEBITI et IURIS *accipitur*, exponiturque per *debeo*, *licet*. Idiotismus hic praesertim in propositionibus negantibus locum habet.

Gen. XXIV. 50. *A Domino egressum est verbum istud*, i. res ista; *non possumus eloqui tibi malum aut bonum* h. e. non debemus. Cap. XXXIV. 14. *Non possumus facere, quod petitis*, i. e. non debemus facere. Cap. XLIII. 32. *quia non possunt Aegyptii comedere cum Hebraeis* i. non debent, eis non licet. Cuius rationem reddit Chald. *quia pecus, quod Aegyptii colunt, comedunt hebrai.* Cap. XLIV. 22. *Non poterit puer relinquere patrem suum* i. non convenit, non decet, ut relinquat. Act. IV. 20. *Non possumus nos, quae vidimus . . . non loqui* i. e. non debemus.

Interdum verbum *potestatis* pro verbo *difficultatis* ponitur. Ruth. IV. 6. *Non possum redimere mihi, ne perdam possessionem meam* h. e. difficile mihi est, et cum dispendio rei familiaris coniunctum. Esth. VIII. 6. *quomodo possum aspicere illud malum* i. sine insigni luctu ac molestia non potero rel. Psal. CI. 5. *Superbum oculo et tumentem corde* לֹא אוּכָל אֹתוֹ *non potero ipsum* suble ferre, h. e. permolestum est mihi. Vulg. leg. אִתּוֹ לֹא אוּכָל *cum hoc non edebam.* Marc. VI. 5. *Et non poterat* (Jesus) *ibi virtutem ullam facere.* h. e. difficulter miracula ibi patrabat ob eorum incredulitatem. Luc. XI. 7. *Non possum surgere*



gere et dare tibi i. vix possum, grave mihi est. Joan. VI. 60. Apoc. II. 2.

CANON *XIII. Verbum voluntatis quandoque non de simplici et nudo voluntatis arbitrio accipitur, sed interdum causam simul et conditionem effectus denotat.*

Dan. *V.* 19; *Quos volebat pater tuus, interficiebat,* subintelligitur conditio seu causa, quia sapientes Babylonis, qui heic occidi iubentur, somnium regis interpretari non potuissent. Rom. *IX.* 18. *Deus, cuius vult miseretur, et quem vult, indurat,* prius membrum poenitentiae, et alterum pervicaciae conditionem involvit, et in peccato perseverantiam, cuius occasione Deus peccatorem indurat, suam ei denegando gratiam, non impertiendo malitiam.

CANON *XIV. Verba quaedam, praeter usitatam significationem, quoddam eius adiunctum aut conditionem in genere indicat.*

Ezech. *XXVI.* 14. de Tyro dicitur: *Non aedificaberis amplius,* h. e. ea dignitate et elegantia, qua antea exstructa eras. postea enim instaurata fuit haec civitas. Imo Is. *XXIII.* 15. 17. Instauratio eius post 70 annos praenuntiatur.

Audire. Joan. *VIII.* 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit,* i. fructuose, qui illud audit iuxta requisita Luc. *VIII.* 15.

Confiteri non quamvis confessionem notat, sed eam, quae ex vera fide manat, et quam charitas consequitur: et hoc modo obligamur *confiteri Christum.*

Dicere, posse dicere pro vere et ex animo dicere. Prov. *XX.* 9. *Quis potest dicere purificavi cor meum? I.* Cor. *XII.* 3. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*



Sancto h. e. nemo poteſt dicere *meritorie*, in ordine ad ſalutem.

CANON *XV*. *Verba*, *quae* ESSE, FIERI, vel AGERE *quid ſignificant*, *quandoque non tam actum*, *quam eius notificationem aut praenuntiationem denotant*.

Gen. *XXVII*. 37. *Dominum illum tuum* (Jacobum) *conſtitui* i. talem eum futurum diſpoſui, ſignificavi. Cap. *XXXV*. 12. *Terram dedi Abraham et Iſaac* i. daturum me promiſi. Exod. *XIII*. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum* h. e. indica meo nomine populo, ut ſanctificet. Job. *X*. 2. לא תַּרְשִׁיעֵנִי *ne facias me impium* i. ne me impium pronuncies. Iſ. *VI*. 10. *Excoeca cor populi huius*, *et aures eius adgrava*, *et oculos eius claude*, *ne* rel. i. e. vaticinare populo huic, fore, ut cor eius excoecandum ſit cet. idque ſi reſipiſcere nolint. Jerem. *I*. 10. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes*, *et ſuper regna*, *ut evellas et deſtruas*, *et diſperdas et diſſipes*, *et aedifices et plantes* h. e. ut aliis ruinam, aliis incolumitatem denunties. In ſcripturis enim miniſtri Dei id facere dicuntur, quod Deus verbo ipſorum praedicit et praeſtat. Ibid. IV. 10. *Decepiſti populum iſtum et Jeruſalem* h. e. populum iſtum per pſeudoprophetas pacem denuntiantes deceptum oſtendiſti. Cap. XV. 1. *Eiice eos a facie mea* i. eiiciendos vaticinare. Ezech. XIII. 19. *Ut interficerent animas*, *quae non moriuntur*, *et vivificarent animas*, *quae non vivent*, *mentientes populo meo* i. ut pronuntiarent morituras vel victuras eſſe. Et hoc modo plures textus interpretare. Huc pertinet Rom. XI. 32. *Concludit enim Deus omnia* (Graec. Vulg.) *omnes in incredulitate* i. verbo ſuo declaravit omnes eſſe concluſos.

CANON *XVII*. *Verba*, *quae* FIERI, ESSE vel AGERE *ſignificant*, *quandoque pro rei cognitione ponuntur*. Job. V. 3. *Ego*

Ego vidi stultum firma radice, et maledixi habitaculo eius statim h. e. statim cognovi, habitaculum eius fore maledictum; male ominatus sum de prosperitate eius, non diu duratura. Psal. I. 6. *ut iustificeris in sermonibus tuis* i. ut iustus agnoscaris. Joan. IX. 41. *si coeci essetis, non haberetis peccatum* h. si coecitatem vestram agnosceretis, peccatum vobis remitteretur, ut patet ℣. seq. Rom. V. 10. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum* h. e. ut melius delictum cognosceretur abundare.

Huc spectat illud Psal. XVII. 26. *cum sancto sanctus eris* i. e. ut cognoscaris, te ita te gerere erga homines, sicut ipsi se gerunt erga Deum: nempe pios ab impiorum obpressione eliberando; sicut econtrario: *cum perverso perverteris*, non quod Deus pervertatur, sed ut cognoscant omnes, dolosos homines Dei permissione suismet dolis capi: aut pervertitur Deus, quando, qui omnibus bene vult, reddit impiis iuxta vias suas distortas: *derisores ipse deridet* Prov. III.

Canon XVIII. *Verba, quae* esse, vel facere *significant*, quandoque pro rei opinione *ponuntur*. Matth. X. 39. *Qui invenit animam suam, perdet eam* h. e. qui putat vitam suam tueri per abnegationem Evangelii, perdet eam. Ibid. cap. XIII. 12. *Qui autem non habet, auferetur ab eo* i. quod se habere putat. Joan. V. 31. *si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum* h. e. falsum a vobis reputabitur. Ibid. VII. 28. *Et me scitis, et unde sim, scitis* i. scire putatis. Prov. III. 7. *Ne sis sapiens in oculis tuis* i. ne videaris tibi ipsi sapiens.

Sunt tamen quaedam loca alia, in quibus *opinio* pro re ipsa ponitur.



Philipp. II. 6. *Qui quum in forma Dei esset* i. vere Deus, *formam servi accipiens* i. revera servus, *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* i. e. non rapuit, seu instar rapinae usurpavit.

Canon XIX. *Verba adfirmantia pro contrariis negantibus quandoque ponuntur.* Sic *odisse* pro *non curare*, *posthabere*, *minus amare* Gen. XXIX. 31. Luc. XIV. 26. *si quis venit ad me, et non odit patrem suum,* cet. quod Matth. X. 37. sic exponitur: *qui amat patrem . . . plus quam me, non est me dignus.* Joan. XII. 25. *Qui odit animam suam in hoc mundo* i. qui minus diligit vitam, quam Christum. Sic illud. *Esau odio habui* i. minus dilexi. Job. II. 6. *Verumtamen animam eius custodi* i. vitam ne auferas.

Canon XX. *Verba negantia pro contrariis adfirmantibus saepius cum emphasi ponuntur.* Exod. XX. 7. *Non habebit insontem* cet. i. maxime sontem habebit, et gravissime puniet. I. Reg. XII. 23. *Nolite declinare post vana* (idola) *quae non proderunt vobis* i. maxime oberunt. Zach. VIII. 17. *Juramentum mendax* (falsum) *ne diligatis* i. odio habetote. Joan. IV. 18. *Non relinquam vos orphanos* i. certo adero vobis, et potenter vos protegam. I. Cor. X. 1. *Nolo vos ignorare* i. e. scire vos maxime cupio. Psal. CVI. 38. *Et iumenta eorum non minoravit*, i. e. plurimum auxit. Prov. XII. 2. *Non roborabitur homo ex impietate* i. e. radicitus eradicabitur. Ibid. XVII. 21. *Non laetabitur Pater stulti* i. e. magno et continuo dolore adficietur. Hebr. XIII. 2. *Hospitalitatem nolite oblivisci* i. e. omni studio eam sectamini.

§. II.

§. II.

De ſpeciali Verborum ſignificatione.

Specialis verborum ſignificatio *activum* et *paſſivum* verbum ſeorſim conſiderat. Quae circa utrumque adnotanda ſunt, ſequentes canones elucidabunt.

Canon I. *Activum verbum quandoque non actionem, ſed habitum denotat.* Gen. II. 17. *In quocunque die comederis ex ea,* מוֹת תָּמוּת *morte morieris*, h. e. mortalis eris. Exod. IV. 14. *Aaron frater tuus* ſcio, quod דַּבֵּר יְדַבֵּר *loquens loquetur* i. e. eloquens ſit.

Canon II. *Verba activa interdum tribuuntur illis, quae non proprie et proxime agunt, ſed certa tantum ratione concurrunt.* Tribuuntur itaque

I. Agendi vim ac potestatem conferenti. Matth. XIX. 5. *Et dixit* (Deus) *propter hoc dimittet homo patrem et matrem* cet. Hoc immediate non dixit Deus, ſed Adamus, Gen. II. 23. 24. At Deus per Adamum hanc legem promulgavit. Act. X. 20. Spiritus S. dicitur miſiſſe viros illos, qui Petrum adcerſerant . . . *quia ego miſi illos*, quum tamen eos miſerit Cornelius. Verum id Cornelio per angelum mandaverat Spiritus S. Rom. VIII. 26. *Spiritus* (Sanctus) *poſtulat pro nobis gemitibus enarrabilibus* i. e. Spiritu S. adflati poſtulamus gemitibus enarrabilibus. Vel, ut ſcribit pſeudo-Auguſtinus, *eoquod nos gementes facit:* ita ut verbum illud in ſenſu *Hiphil* hebraeorum accipiatur.

II. Actionem mandanti et procuranti. Gen. XLVI. 29. *Junxit Joſeph currum ſuum* i. e. iungi curavit. II. Reg. XII. 9. *Uriam Hethaeum percuſſiſti gladio* i. occidi

 manda-



mandasti. Plura huiusmodi exempla occurrunt. Sic Joan. IV. 1. Christus dicitur baptisasse, quum tamen non ipse, sed discipuli eius baptisaverint.

III. Consentienti et actionem adprobanti. Vide Jud. IX. 18. II. Reg. III. 30.

IV. Causae organicae seu instrumentali. Dan. XII. 3. מַצְדִּיקֵי הָרַבִּים *Qui iustificant multos*, h. e. iis, quibus Deus tanquam instrumentis utitur ad iustificandum multos. Luc. XVI. 9. *facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut . . . recipiant vos in aeterna tabernacula* i. e. ut precibus, quas pro vobis fundent, exoratus Deus recipiat vos.

Huc pertinent miracula, quae hominum ministerio operatur Deus, et hominibus tribuuntur. Item quae in negotio salutis hominibus praecipiuntur, quae a solo Spiritus S. adiutorio procedunt, et huiusmodi phrasibus nihil aliud significatur, quam ut Spiritus S. operationi non resistant. Ezech. XVIII. 31. *Proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras . . . facite vobis cor novum et Spiritum novum*, i. e. nolite reluctari gratiae divinae, qua cor et spiritus innovantur.

V. Denique *Verbum activum nonnunquam tribuitur agenti, etsi res praeter eius intentionem accidat.* Matth. X. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium*, ℣. 35. *veni enim separare hominem adversus patrem suum* cet. Christi mens non fuit, ut separaret hominem a patre suo, sed heic tantum declaratur fore, ut qui Evangelio crederent, segregarent se ab incredulis etiam parentibus. Heic autem per *gladium* omne genus persequutionum intelligit. Act. XIII. 46. *sed quoniam repellitis illud* (verbum Dei)

et

et indignos vos iudicatis vitae aeternae cet. Judaei indignos se vitae aeternae non iudicabant, sed ex eorum pertinacia et incredulitate id consequutum est. Prov. XXVIII. 8. *Qui coacervat divitias usura et foenore, liberali in pauperes congregat eas*, Deo sic disponente, non improbi hominis illius consilio.

Verba activa, quae Deo tribuuntur, et quibus malum aliquod inferre dicitur, ita exponenda sunt, ut malum istud non *positive*, sed *privative*, ut loquuntur, inferat, h. e. non imperando malitiam, sed iusto iudicio denegando gratiam, ex cuius privatione homines propria sua culpa indurantur; Deus enim peccati auctor non est.

Canon III. *Verba activa in tertiis personis significationem passivorum saepius adsumunt, sive passive exponuntur.* Exod. X. 21. *Sint tenebrae super terram Aegypti* (tam densae) וְיָמֵשׁ *ut palpet tenebras* i. ut palpentur. I. Reg. XXIII. 22. כִּי אָמַר *quia dixit mihi, quod astute admodum soleat agere*, h. e. quia dictum est mihi. Job. XVIII. 18. *Expellent eum* i. expelletur cet. et c. XIX. 26. Et *postquam confoderint pellem meam hanc* h. e. postquam pellis mea confossa fuerit. Notandus est specialiter hic idiotismus.

Is. IX. ℣. 6. *Parvulus natus est nobis* . . . וַיִּקְרָא *et vocavit* vel *et vocabit nomen eius admirabilis* cet. h. e. vocabitur. Unde LXX. καλεῖται *vocatur:* Aquila ἐκλήθη *vocatum est nomen.* Symm. κληθήσεται *vocabitur.* Ex his veterum interpretationibus liquet vocem hebraeam ויקרא modo per activum, ut in alia versione Aq. ἐκάλεσε *vocavit*, modo per passivum heic redditam fuisse, sed eodem sensu. Non sequitur: quidam antiqui active legebant: ergo etiam active intellexerunt: si enim a quibusdam acti-

active conversa est, in significatione passiva ab iisdem accepta fuit.

Judaei ergo, ut Messiae divinitatem pernegent, punctationem massorethicam retinent, atque vertendum esse: *Et vocabit nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi* PRINCIPEM PACIS. At contorta minus est haec iudaeorum lectio, quia casus vulgaris adcusandi nota אֶת, vel particulae sive praepositiones בְּ, aut אֶל aut עַל, quibuscum verbum קָרָא construitur, deficiunt ante voces שַׂר־־שָׁלוֹם: Et quaero ex Rabbinis, quur priorem שַׂר *princeps* per accusativum, posteriorem vero שָׁלוֹם *pax*, per genitivum interpretentur, coeteras vero *admirabilis, consiliarius* cet. totidem verbi huius nominativos efficiant?

Dicunt fortasse, particulas illas cum verbo isto saepe desiderari, proindeque eas etiam ante praedictas voces expressas non fuisse. Esto. Sed quur eas ad ultima duntaxat haec duo vocabula referunt potius, quam ad praecedentia? Quur eodem, imo longe potiore iure, maiorique analogia istud hemistichium sic interpretari mihi non licebit: *et vocabit nomen eius Admirabilis consiliarium, Deum, fortem* cet.

CANON IV. *Verba passiva quandoque active, instar mediorum apud graecos, et deponentium apud latinos usurpantur.* Sic נִכְסַף *desideravit:* Is. LXVI. 16. *Quia in igne Dominus* נִשְׁפָּט *iudicat* vel *iudicabit.* Vide Ezech. VI. 9. Quandoque etiam in hac coniugatione augetur significatio. Psal. CVIII. hebr. CIX. 23. *sicut umbra, quum declinat,* נֶהֱלָכְתִּי *evanui, abire coactus fui.* Exod. XIV. 14. *Dominus* יִלָּחֵם *strenue pugnabit pro vobis.*

Verbum

Verbum נוֹשָׁע Zach. IX. 9. non habet significationem passivam *salvatus*, sed est nomen, idem active significans, quod *Josue*, *Jesus* i. salvator, sumendo *nun* pro litera heemantica et formativa nominis, uti est in *Nemrod*, *Nephtali*. Et sic sumserunt LXX, qui vertерunt σωζων. Verba enim in *Niphal* saepe sumuntur *transitive*: et hebraei saepe passivo pro activo utuntur.

§. III.

De Verborum constructione.

CANON I. *Verba hebraea crebro et eleganter regunt nomen coniugatum, vel cognatum, quo vel significati emphasis intenditur, vel effectus et obiectum actionis innuitur.*

I. Emphasis significati intenditur, nomenque a latinis per ablativum vulgo exprimitur. Gen. XXVII. 33. *Et timuit Isaac timore magno i. maximo timore.* Ibid. XXX. 8. *Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea* i. vehementi lucta. Is. XXII. 17. *Ecce Dominus asportari te faciet* טַלְטֵלָה גָּבֶר *asportatione viri* i. virili, vehementi. Vulg. *sicut asportatur gallus gallinaceus.* S. Hieron. comm. in h. l. scribit: GEBER *omnes* VIRUM *interpretati sunt. Hebraeus autem, qui nos in veteris instrumenti lectione erudit,* GALLUM GALLINACEUM *transtulit. Sicut, inquit, gallus gallinaceus humero portitoris de alio loco transfertur in alium; sic te Dominus de loco tuo leviter asportabit.*

II. EFFECTUS sive OBIECTUM actionis innuitur, ac nomen a latinis per adcusativum fere exprimitur. Gen. II. 11. *Germinet terra herbam virentem* מַזְרִיעַ זֶרַע *sementantem semen* i. facientem semen. Ibid. VIII. 21. *Et odoratus*



tus est Dominus odorem quietis i. acceptum habuit Noe sacrificium, quod effecit, ut ira eius quiesceret.

Quandoque nomen coniugatum deficit. Psal. hebr. XIII. 4. *Inlumina oculos meos, ne dormiam mortis* subple *dormitionem*. Haec phrasis sumta est a languentibus et morituris, quorum obtenebrabantur oculi. Vide I. Reg. XIV. in historia Jonathae; ubi comesto melle inluminati sunt oculi eius i. e. levata fames est: ita heic: *inlumina oculos meos* i. leva animam meam a moerore et languore: refocilla me auxilio. Sicut ergo coecitas pro maximo corporis malo habetur, atque inde ad denotandam maximam calamitatem transfertur Thren. V. 17. ita propheta rogat, se a maximis calamitatibus liberari.

Canon III. *Ex duobus verbis finitis et per coniunctionem copulatis, vel etiam sine copula coniunctis, alterum quandoque in infinitivum resolvitur.*

Gen. IX. 20. *Et coepit Noe vir terrae, et plantavit vineam* i. coepit plantare. Deut. II. 31. *Incipe, posside*, h. e. incipe possidere. Jos. VII. 7. *Utinam voluissemus et mansissemus trans Jordanem* h. e. voluissemus manere. II. Reg. VII. 29. *Velis et benedic domui servi tui* h. e. velis seu placeat benedicere. Is. I. 19. *si volueritis et audieritis me* h. e. si volueritis audire.

Canon IV. *Quum duo verba eiusdem temporis coniunguntur vel copula intercedente, vel sine ea; tum prius verbum saepe per adverbium latinis exprimitur.*

Gen. XXIV. 18. *et festinavit et demisit hydriam* i. festinanter demisit. Cap. XXV. 1. *Et addidit Abraham, et accepit uxorem* h. e. denuo accepit. Ibid. XXVI. 18. *Et reversus est Isaac et fodit foveam* h. e. rursum fodit. Psal. LXXVIII.

LXXVIII. 41. *Et reversi sunt et tentaverunt Deum* i. rursus tentaverunt. Psal. CII. 13. *festina, exaudi me* i. velociter exaudi. I. Paral. XIII. 2. *Erumpamus, mittamus ad fratres nostros* i. e. huc illuc celeriter amandemus cursores. Metaphora ab aquis inundantibus sumta. II. Esd. III. 20. הֶחֱרָה הֶחֱזִיק *accendit, instauravit*, i. ardenter instauravit. Vulg. in *monte aedificavit:* pro הֶחֱרָה legeb. הָהָרָה *montem versus* cum ה locali in fine, et articulo ab initio. Is. LXIV. 4. *Occurristi laetanti et facienti iustitiam* i. laetanter occurristi. Rom. X. 20. *Isaias autem audet et dicit* i. audacter et libere dicit.

Canon IV. *Verbum finitum cum infinitivo iunctum quandoque adverbialiter exponendum est, et infinitivus in tempus et personam finiti convertendus.*

Gen. VIII. 10. וַיֹּסֶף *Et adiecit Noe dimittere columbam ex arca* i. iterum dimisit. Et sic plerumque exponitur verbum יָסַף iunctum alteri verbo. Gen. XII. 11. *Quum adpropinguasset* Abram *ingredi in Aegyptum* h. e. quum prope, et iam iam ingressurus esset. Psal. XXXIII. 3. *benefacite psallere* i. bene psallite. LXXVIII. 38. *et multiplicavit avertere iram suam* i. plurimum avertit. Psal. CXXVI. 2. *magnificavit Dominus facere cum eis* i. magnifice egit.

Cum participiis Psal. CXIII. 5. הַמַּגְבִּיהִי לָשָׁבֶת *qui exaltat habitare* i. qui altissime habitat. ℣. 6. *et humiliat respicere* וְהַמַּשְׁפִּילִי לִרְאוֹת h. e. demisse respicit seu infimo se demittit respiciendo. Participia illa sunt cum י, quod vocant paragogicum, sed quod revera est antiqua vocalis e sub ultima litera subintellecta.



Interdum deficit infinitivus. Num. XIV. 24. וַיְמַלֵּא אַחֲרָי *Et implevit poſt me* ſubple *ire* h. e. plane ſequutus eſt me. Vide cap. XXII. 11. et 12. Deut. I. 36. I. Reg. XVIII. 27. *Et impleverunt ea Regi* ſubple, *dare*, i. e. plene dederunt.

Quandoque infinitivus iſte loco adverbii eſt. I. Reg. XVII. 16. *Et adpropinquabat Philiſtaeus* הַשְׁכֵּם וְהַעֲרֵב *matutinare et veſperaſcere* h. e. mane et veſpere.

Canon V. *Verbum finitum quodvis regit ſuum infinitivum ad certiorem rei cognitionem et evidentiam exprimendam.*

Haec verbi cum ſuo infinitivo ſyntaxis non tantum locum habet in eadem coniugatione, ſed etiam in diverſis. Inſuper infinitivus verbum finitum modo praecedit, modo ſequitur, eadem ubique emphaſi.

I. In oratione adfirmativa. Gen. II. 16. *Ex omni ligno paradiſi* אָכֹל תֹּאכֵל *comedendo comedes* h. e. libere comedere poteris. ỽ. 17. *moriendo morieris* i. certo morieris, ſupra. *Vivendo vivet* i. certiſſime vivet.

Quandoque diverſi verbi infinitivus ſequitur tempus finitum, quo fere *continuatio* actionis innuitur. Gen. VIII. 3. *Et reverſae ſunt aquae . . . eundo et revertendo* i. e. continuo recedendo. Et ỽ. 7. *Et egrediebatur* Corvus *egrediendo et revertendo* h. e. continuo ibat et redibat, ultro citroque circa arcam volitabat, nec tamen intra eam redibat.

Pro altero infinitivo nomen interdum ponitur. Jud. IV. 24. וַתֵּלֶךְ *Et ivit manus filiorum Iſrael* הָלוֹךְ וְקָשָׁה *eundo et dura* h. e. perrexit indeſinenter durior eſſe. Vulg. optime ſenſum expreſſit.

Pro

Pro infinitivis quandoque participia ponuntur. I.Reg. XVII. 41. *Ibat autem Philistaeus* הֹלֵךְ וְקָרֵב *incedens et adpropinguans adversus David*, h. e. continenter adpropinguabat ad Davidem.

II. In oratione negativa. Gen. III. 4. *Non moriendo moriemini* i. nequaquam. Exod. V. 23. וְהַצֵּל לֹא־הִצַּלְתָּ *et liberando non liberasti*, h. e. omnino, prorsus non liberasti. Ibid. XXXIV. 7. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *et mundando non mundabit* h. e. mundando non mundabitur; illa enim tertia persona activa passive accipienda est, ut supra.

Canon VI. *Verbis passivis nominativus subiunctus non raro praecedentem habet particulam* אֵת *vulgarem adcusativi notam, pleonastice quidem, sed emphatice, et amplioris declarationis* gratia. Gen. XVII. 5. *Nec ultra vocabitur* אֶת־שִׁמְךָ *nomen tuum Abram*. et XXII. 5. *Quum natus esset ei* אֶת־יִצְחָק *Isaac*. Si in his et similibus puncta mutentur, facile in activa convertentur. Sic ℣. 9. *nec ultra* יִקְרָא *vocabit nomen tuum Abram*. h. e. vocabitur.

Canon VII. *Verbum passivum ex* vocari *derivatum cum dativo construitur, quem latini per alterum nominativum exprimunt.*

Gen. II. 23. לְזֹאת *Huic vocabitur virago* i. haec vocabitur. Quandoque etiam alter nominativus exprimitur. Is. LVI. 7. כִּי בֵיתִי בֵּית *quia domus mea domus orationis vocabitur.*

Canon VIII. *Verbum substantivum* sum *vel expressum vel subintellectum loco posterioris nominativi, eleganter regit nomen cum praepositione.*

I. Cum



I. Cum praepositione ב *in*. Jud. XI. 35. *Tu es* בְּעֹכְרָי *in perturbatoribus meis* h. e. perturbans me. Psal. LIV. 6. *Dominus* בְּסֹמְכֵי *in sustentantibus animam meam* i. e. susceptor animae meae. Psal. CXVIII. 7. *Dominus* est mihi בְּעֹזְרָי *in adiutoribus meis*. Vulg. *mihi adiutor*.

Cum praepositione ל *ad* vel *in*. Gen. II. 24. *Et erunt duo* לְבָשָׂר *in carnem unam*, vel *in carne una* h. e. una caro. Cap. XVII. 4. *erisque* לְאַב *in patrem* i. pater. Deut. XXVIII. 44. *Ipse erit* לְרֹאשׁ *in caput, et tu eris* לְזָנָב *in caudam* i. caput, cauda, superior, inferior. Quandoque hac phrasi *conversio* significatur. Exod. IV. 4. *Et fuit* לְמַטֶּה *in virgam* i. versa est in virgam. ✝. 9. *Et erunt aquae* לְדָם *in sanguinem*.

CAPUT XII.
De Adverbio.

§. I.
De adverbio in genere considerato.

Canon I. *Adverbium quandoque aliarum vocum positione circumscribitur.*

I. Nomen substantivum *cum praepositione*, verbo coniunctum adverbii loco interdum ponitur. Gen. XXXIV. 13. Responderunt filii Jacob Sichem . . . בְּמִרְמָה *in dolo*. i. e. dolose. Sic בְּפֶרֶךְ *in saevitia* seu *duritie* i. dure. בְּצֶדֶק *in iustitia* i. iuste. Matth. XXII. 16. Magister scimus, quia . . viam Dei ἐν ἀληθείᾳ *in veritate doces* i. vere, recte.

Sine *praepositione*. Psal. LXXV. *quum accepero tempus, ego* מֵישָׁרִים *rectitudinibus iudicabo* h. e. in rectitudinibus

sive

five rectiffime. Praepofitio ב *in*, quae heic fubintelligitur, cum hoc nomine exprimitur Pfal. XCVI. 10. Pfal. XCVIII. 9. LXX. *rectitudines*, Vulg. *iuftitias iudicabo*, fubintelligi poteft *fecundum*.

Canon II. *Adverbium idem repetitum vel cum fynonymo fuo coniunctum emphafin fignificationis importat.* Exod. XXIII. 30. מְעַט מְעַט *parum parum expellam eos* i. fenfim admodum et paulatim. IV. Reg. X. 4. *Et timuerunt* מְאֹד מְאֹד *valde valde* i. maxime. Priori מְאֹד interdum additur particula feu praepofitio ב. Gen. XVII. 6. *faciamque te crefcere* בִּמְאֹד מְאֹד *in valde valde* h. e. vehementiffime.

Interdum etiam hac repetitione *diftributio* fignificatur. Lev. VI. 5. *Et accendet fuper eo* (altari) *facerdos ligna* בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר *mane mane* i. fingulis matutinis.

Quando iungitur adverbium cum fuo fynonymo, emphafis denotatur. If. XXX. 13. פִּתְאֹם לְפֶתַע *repente, momento veniet contritio eius* i. maxime fubito et repente. Vulg. *fubito dum non fperatur.* Vide If. V. 26. Joel. III. 4. מְהֵרָה קַל, et קַל מְהֵרָה quae funt nomina fubftantiva pro adverbiis pofita, *cito velociter reddam* i. velociffime.

§. II.

De adverbio temporis.

Canon I. *Adverbium temporis certi et determinati nonnunquam interminate et indefinite fumitur.* II. Reg. XV. 20. *Heri venifti, et hodie compelleris nobifcum egredi* i. nuperrime venifti.

Hodie pro praefenti tempore Pfal. XCIV. 7. *Hodie fi vocem eius audieritis.* At Pfal. pro *aeternitate* fumitur:



tur, *ego hodie genui te* i. ab aeterno: nam in aeternitate nec praeteritum nec futurum datur, ſed ſemper praeſens.

Cras pro futuro tempore indeterminato. Gen. XXX. 33. *Reſpondebitque mihi* ſeu pro me מָחָר *cras iuſtitia mea*, i. poſthac. Haec vox ſaepe occurrit in hac ſignificatione.

Canon II. *Adverbium temporis* semper, *ſeu* iugiter, *per* saepe *vel* frequenter, *aut quid aliud interdum exponendum eſt.* Exod. XXVII. 20. *Ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii*, ſemper i. a veſpere ad mane, uti conſtat ex ỷ. 21. cap. XXX. 8. Lev. XXIV. 3. III. Reg. VIII. 8. *Beati viri*, . . . *qui ſtant coram te ſemper* i. frequenter. Exod. XXVIII. 30. *Et geſtabit* (Aaron) *iudicium virorum Iſrael in pectore ſuo*, *in conſpectu Domini ſemper*, ſcil. quoties ingredietur tabernaculum. Luc. XVIII. 1. *Quoniam oportet ſemper orare* i. frequenter, ſaepiſſime.

Canon III. *Adverbia temporis diſtributiva* quotannis, in dies elegantibus ſermonis floſculis exprimuntur. Exod. XIII. 10. *Cuſtodies huiusmodi cultum ſtatuto tempore* מִיָּמִים יָמִימָה *a diebus in dies*, ſeu ab anno in annum h. e. quot annis: pluralis enim יָמִים *dies* heic et ſaepe alibi pro anno ſumitur. שָׁנָה בְשָׁנָה *anno in annum* i. per ſingulos annos. יוֹם בְּיוֹם *die in diem*, quotidie. Et per adcuſativum. Gen. XXIX. 14. *et manſit apud eum* חֹדֶשׁ יָמִים *menſem dierum*, hypallage, pro *dies menſis* i. menſem integrum.

Canon IV. *Adverbia temporis indeterminati* quum, quando *per coniunctionem* כִּי quia *non raro exprimitur.* Gen. IV. 12. כִּי *Quum operatus fueris terram.* Num. XXII. 22. *Et iratus eſt Deus* כִּי *quando abiit ipſe.* (Balaam) Profectio

fectio enim ista, quam praeceperat Deus ℣. 20. non fuit causa irae Divinae; sed malus Balaami proficiscentis animus, quia proficiscitur cum animo maledicendi.

CANON V. *Adverbium temporis* STATIM, CITO *interdum moram includit.* Psal. XXXVII. 2. *Quoniam tanquam foenum* מְהֵרָה *velociter arescent* h. e. post aliquod tempus. Matth. XXIV. 29. *statim autem post tribulationem dierum illorum* (h. e. urbis per Titum expugnationem) *sol obscurabitur.* Adverbium *statim* expendendum non est ad nostram numerandi rationem, sed Dei, in cuius oculis mille anni sunt tanquam dies hesterna, quae praeteriit. Ad haec Christus sequitur consuetudinem prophetarum, qui tum de peculiari iudicio, tum de universali sic loquuntur, ac si essent in propinquo. Imo S. Paulus de extremo die ita loquitur, acsi ipse cum iis, ad quos scribit, ad eum usque superstes in vita mansurus esset. I. Thessal. IV. 15. idque ad excitandam in hominibus vigilantiam. Eodem modo intellige illud Apoc. I. 1. *Quae oportet fieri cito.*

CANON VI. *Adverbium temporis* NON AMPLIUS interdum ad antecedens tempus nullum respectum habet, sed simpliciter pro *non* ponitur. Sic de Christo dicitur Rom. VI. 9. *mors illi οὐκέτι non amplius dominabitur;* neque enim prius mors dominata erat Christo. Act. XIII. 34. *Quem autem suscitavit* (Deus pater) *eum* (Jesum) *a mortuis μηκέτι, non amplius reversurum in corruptionem*, i. non perventurum; Christus enim nunquam corruptioni fuit obnoxius secundum illud Psal. XV. *Non videbis sanctum tuum videre corruptionem.*

CANON VII. *Adverbia temporis* DONEC et USQUE non semper tempus praeteritum determinant, et futurum excludunt:

cludunt: ſed ſaepius indeterminate accipiuntur, ita ut ſequens tempus omne includatur; ac proinde per *ſemper*, vel *nunquam* oratio exponenda ſit.

Haec adverbia in propoſitionibus tum adfirmantibus tum negantibus reperiuntur.

I. *Non excludunt rei continuationem* Gen. XXVIII. 15. Nec dimittam te, donec complevero *univerſa;* nunquam ſane dimiſit Jacobum Deus. *Non deficiet ei panis, donec meſſem conlegerit, ubi* το *donec* non excludit panem tempore meſſis conlectae adfuturum. Pſal. CX. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, etiam tunc h. e. in perpetuum ſede a dextris meis, quando poſuerim inimicos tuos ſcabellum cet. Vide Pſal. CXXII. 2. Matth. XXVIII. 20. Matth. I. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum* i. nunquam cognovit.

II. *Excludunt rei continuationem*, de qua praecedit. Sic: *non recedet plaga, donec reſipiſcas*, Exempla plura vide Gen. XLII. 7. Idem evenit in praeceptis tam adfirmativis, quam negativis. Lev. XXII. 4. Joſue I. 14. 15. Ezech. IV. 8. Plana quoque haec ſunt in promiſſionibus: *non auferetur a te domus iſta, donec moriatur Pater*, certe obvie et naturaliter mors patris terminus obligationis eſt, nec ultra fertur promittentis animus. Sic et in inſigni vaticinio Jacobi Gen. XLIX. *Non auferetur ſceptrum de iuda, et dux de femore eius* עַד־כִּי *donec veniat Schilo* i. Meſſias *). Ex circumſtantiis ergo advertendum,

*) Judaei, ut peremtorium hoc de Meſſia vaticinium infringerent, nihil intentatum reliquerunt; in id maxime deſudarunt, ut vim harum particularum עַד־כִּי *donec* enervarent. Dicunt ſub voce עַד eſt accentus *Jethif*, cuius munus eſt, ut vox, cui ſubiacet praece-

dum, aut quodam adiuncto, quando haec particula *donec*, *usque* terminum designent, aut continuationem rei invol-

praecedenti connectatur: עַד vero significat *aeternum;* sicque sensus prophetiae erit: *Non auferetur sceptrum a Juda* עַד *in aeternum*, כִּי *postquam veniet Messias.* Judaei etiam ad vocem עַד pausant, vocemque adtollunt: ergo ex ipso tono adparet עַד a כִּי separatim legendum esse.

Verum respondetur, falsum esse, pausam seu sensus distinctionem fieri ad vocem עַד. Is enim accentus *Jethif*, licet regius, ibi non distinguit, quum sit honorarius maioris accentus regii, qui sequitur in voce שִׁילֹה, nempe : *Zaqueph katon*, proindeque efficiat, ut vox עַד, cui subiicitur ‹ *Jethif*, pertineat ad sequens comma, quod clauditur voce שִׁילֹה *schilo*, quae notatur cum *zakeph katon*, qui heic incisum facit: minime vero ad praecedens membrum, quod finitur ad vocem רַגְלָיו ubi ‸ *Atbnahh* distinguit, qui alioquin esset honorarius regis se minoris, nempe *Jethif* sequentis, quod est contra omnes regulas. Dein a veritate alienum est, iudaeos ad vocem עַד modicum pausare, abest enim pausationis huius nota, nimirum ׀ *Pesiq:* at etiamsi adesset, ac pausarent iudaei, nihilo magis ea pausula sensus distingueretur, h. e. idcirco non constituendum esset incisum, quum nota illa tantum veniat post accentus ministros, sive continuantes, et post reges minores, qui nihil distinguunt. Vide Jud. IV. 24. ubi το עַד eodem accentu adfectum recurrit. Quod vero accentus ׀ *Pesiq* non disiungat, patet ex Gen. III. 15. Exod. XVII. 15. XXX. 13. rel. Tandem vix ac ne vix quidem locus aliquis adsignari potest, in quo το עַד, dum alteri aut regimine, aut copula *Vaf* non iungitur, nulla praepositione adfectum pro *in aeternum* accipitur. Certissimum hoc est, quando cum כִּי construitur, ut patet Gen. XXVI. 13. XLI. 49. rel. Adde το עַד nonnisi *elliptice* et concise significare subinde *aeternitatem;* subintelligendum enim ordinarie est το עוֹלָם, ut observat Aben Ezra ad Exod. XV. 18.

involvant: prius in prophetia Jacobi clare colligitur, quia voluit determinare tempus adventus Messiae, quod factum non esset, si Judae regnum semper continuandum, nec sceptrum a Juda auferendum esset.

Canon VIII. *Adverbium* non amplius, non ultra, *non semper omne tempus removet, sed pro aliquo tantum temporis intervallo nonnunquam sumitur.*

I. Reg. VII. 12. *Et humiliati sunt Philistiim, nec adposuerunt ultra, ut venirent in terram Israel*, nempe temporibus Samuelis; nam Saule imperante Philistinorum incursiones in terram Israel memorantur. IV. Reg. XXIV. 7. *Et ultra non addidit Rex Aegypti, et egrederetur de terra sua* scil. usque ad ultimos annos Sedeciae.

§. III.

De adverbio numeri.

Numeralia simplicia ab uno ad decem adduntur substantivis pluralibus in singulari; singularibus vero in plurali. חָמֵשׁ שָׁנִים *quinque anni*, חֲמִשִּׁים שָׁנָה *quinquaginta anni.*

Canon *Adverbia quaedam numeri praeter vulgarem suam significationem quandoque alia speciali donantur.*

I. Semel nonnunquam idem est ac *prorsus*, *omnino, certe, immutabiliter* rel. Psal. LXXXVIII. 36. *semel iuravi per sanctitatem meam* Vulg. *in sancto meo* i. irrevocabiliter, inmutabiliter iuravi. Vide Psal. LXI.

II. Primum quandoque *inprimis, praesertim* significat, neque semper respicit *secundum.*

Rom.

Rom. I. 8. *Primum quidem gratias ago* h. inprimis, ante omnia. Subinde etiam *primum* pro *prius* uſurpatur per graduum comparationis enallagen. Matth. XVII. 10. *Quid ergo ſcribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire* h. e. prius.

III. SECUNDO ſpeciali ratione accipitur in exemplis ſequentibus.

Joſue V. 2. *Fac tibi cultros lapideos et circumcide ſecundo filios Iſrael* h. e. circumciſionem intermiſſam in deſerto ob frequentem caſtrorum motionem fieri praecipe, non in eodem homine, ut nugantur Rabbini, ſed in eodem populo.

Adverbium *ſecundo* interdum ſubponit membrum primum, quod deficit. Eſth. II. 19. *Quumque ſecundo quaererentur virgines* h. e. ſecundo quaererentur pro celebratione nuptiarum Regis cum Eſther, ſicuti primo quaeſitae fuerant pro nuptiis Vaſthi, quod membrum ſubintelligitur.

Denique *ſecundo* accipitur pro *poſtea.* Jud. ℣. 5. *ſcientes ſemel* (i. omnino) *omnia, quoniam Jeſus populum de terra Aegypti ſalvans, ſecundo* (i. poſtea) *eos, qui non crediderunt, perdidit.*

IV. ITERUM, RURSUS non ſunt ſemper particulae iterationem ſignificantes rei iam factae, aut ſermonis iam dicti; ſed interdum obpoſitionem denotant, ac per *e diverſo, e contrario* explicari debent. I. Joan. II. 7. *Non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus* . . . . ℣. 8. *iterum* (i. econtrario, imo) *mandatum novum ſcribo vobis.*

Quandoque idem eſt ac *praeterea.* Matth. XVIII. 29. *Iterum dico vobis* i. practerea. Interdum ſignificat *etiam.* Matth. IV. 7. *rurſum ſcriptum eſt* i. etiam. Cap. V. 33. *iterum audiſtis* i. audiſtis etiam. Huc pertinet hebraeum עוד *adhuc, amplius*, quod non modo actum continuatum, ſed etiam novum ei ſimilem ſignificat, ac per *iterum, rurſus* exponendum eſt. Gen. VIII. 21. *Non adiiciam maledicere* עוד *adhuc terrae.* h. e. ut Vulg. *nequaquam ultra* vel rurſus maledicam.

V. Ter pro multifariam accipitur Prov. XXII. 20. *Ecce deſcripſi eam* (doctrinam) tibi שָׁלִשִׁים Vulg. *tripliciter* h. e. multifariam et multoties cum in hoc libro, tum in aliis a me conſcriptis. Heic itaque numerus determinatus pro indeterminato ponitur.

§. IV.

De adverbiis demonſtrandi.

Canon *Adverbia demonſtrandi* En, ecce, ſaepius emphaſin important, et ad adtentionem excitandam adhibetur. Eorum uſus eſt

I. In mirandae, novae, expetitaeque rei enarratione. Iſ. VII. 14. *Ecce virgo concipiet* *) rel. Vide Zach. IX. 9. Matth. XXI. 5. XXV. 6.

II. In

*) Nullo fundamento nititur has particulas ex natura ſua ita emphaticas eſſe et demonſtrativas, ut rem praeſentem ſemper indigitent: conſequenter nec propheta Iſaias hac particula uſus fuit, ut fictam neſcio quam virginem praeſentem quaſi digito demonſtraret, cuius partus ſignum fuiſſet ad pacandum Achazi et domus David animum pro praeſenti, prout in ſuo contra hanc prophetiam edito libello contendebat Iſenbiehl: hoc certe ſignum, ſecluſa

II. In rei praesentis demonstratione. Gen. XXIX. 2. *Quumque circumspiceret, ecce puteus in quodam agro, et ecce ibi tres greges pecudum.* Vide Joan. I. 29. Act. I. 10.

III. In certae et exploratae rei adseveratione. Gen. I. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam* . . . . ut sint vobis in escam. vide ℣. 31. cap. XII. 11. rel.

IV. In celeritatis ad obsequendum aut benefaciendum declaratione. Psal. XXXIX. 8. *Tunc dixi: ecce venio.* Confer. Hebr. X. 7. seq. Luc. I. 38. *Ecce ancilla Domini.*

§. V.
De adverbiis negandi.

CANON I. *Adverbia negandi non promiscue, sed cum distinctione in syntaxi usurpantur.* Hebraeis autem septem sunt

 negan-

seclusa authoritate prophetica Isaiae, omnino infirmum erat, quia nihil insolitum, nullam pro praesenti certitudinem instantis mox eliberationis ab hostibus prae se ferebar. Sola vis prophetiae erat in habenda fide in Deum, Eiusque promissiones, qui non permittet subverti domum Juda ob Messiam ex ea nasciturum. Sicut ergo haec particula הִנֵּה *Hinne Ecce* adhibetur in rei alicuius seu oculis mentis, seu oculis corporeis praesentis demonstratione: recte adhibuit propheta hanc particulam, quia virgo ista oculis mentis ipsi praesens esse potuerit: sicut prophetae adsolent res remotissimas ita depingere, quasi oculis coram prostarent: sic etiam virginem illam concipientem et parientem ut ut remotissimam clarissimis coloribus depingit, ut eam Achaz et domus Juda quasi oculis intueri potuerit, nempe talem, quae insueto naturae ordine, ac modo plane insolito, nullique hominum cognito sine consortio viri concipiat et pariat *Emmanuelem*, nempe Messiam, quem ex domo Juda venturum ex fide patrum noverant, quam etiam fidem refricare intendebat Propheta.



negandi adverbia. אָיִן, et אִן, פֶּן, לֹא, בִּלְתִּי, בְּלִי, בַּל, אַל, quae in syntaxi ita se habent.

I. אֵין non iungitur verbis, nisi verbo substantivo subintellecto. Si interdum construatur cum infinitivo, ut Psal. XXXII. 9. tunc infinitivus loco nominis ponitur, vide supra in hebraismis enallagicis. Videtur tamen iungi cum futuro Jerem. XXXVIII. 5. כִּי אֵין הַמֶּלֶךְ יוּכַל אֶתְכֶם דָּבָר *quia rex non poterit contra vos quidquam.* Vulg. *Nec enim fas est regem vobis quidquam negare.* Sed post אֵין subintelligitur verbum substantivum *est* (ut fit Prov. 21. 30.) hoc modo: non est Rex, qui possit contra vos quidquam facere. Relativum etiam saepe subintelligitur. אֵין itaque iungitur tantum nominibus, participiis, quae more nominum sese habent, et particulis, ac tota specie negat.

Dan. IX. 26. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, וְאֵין לוֹ *Et non ei*, subple, erit quidquam, i. putabitur plane excisus, ita ut nihil eius supersit. Vulg. *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est*, verba, *populus, qui eum negaturus est*, ad sententiam complendam addidisse videtur. Quidam nec male existimant וְאֵין לוֹ positum esse pro וְאֵינֶנּוּ *et non ipse*, subple superstes erit. Quae loquutio usurpatur de Henoeho Gen. V. 24. de Josepho ibidem cap. XLII. 36. et de Rachelis liberis Jerem. XXXI. 15.

Ceterum אֵין quasi formam nominis constructi imitatur, huius absoluta forma est אַיִן quae adhibetur in fine alicuius membri sententiae, et ab antecedentibus semper dependet, nunquam autem cum sequentibus coniungi-

iungitur. Exod. XVII. 7. *Eſtne Dominus nobiſcum*, אִם אַיִן *an non?*

Quidam etiam volunt per apocopen dici אִ' pro אַיִן, quod ſic legatur I. Reg. XXI. 9. ubi mendum eſſe videtur pro אִים aut אִם; ſed exempla, quae adducuntur, eiusmodi apocopen non probant; nam primum locum quod adtinet Prov. XXXI. 4. אִ' redditur a Vulg. *ubi*, legebat procul dubio אֵי. Alter locus eſt Job. XXII. 30. יְמַלֵּט אִי־נָקִי *eruet* (Deus) *non innocentem*, LXX, Theodot. Vulg. *το* אִ' neglexerunt: *eruet nocentem*, *ſalvabitur innocens*; pro אִ' forte legerunt אֶת־. Tertium locum profert Glaſs. I. Reg. IV. 21. ubi Heli nepos vocatur a matre אִי כָבוֹד *Icbabod* h. e. ut interpretatur, *non gloria*: verum verti etiam poteſt אִי *ubi eſt gloria?* quae interrogatio aequivalet negationi *non eſt gloria*. Non conſtat igitur אִ' per apocopen poſitum fuiſſe pro אַיִן, vel אִין.

II. אַל tantum futuro convenit, et deprecantis aut dehortantis particula eſt. Prov. XXIII. 4. אַל תִּיגַע *ne labores*, *ut diteſcas*. Rariſſime negat; et omnia loca explicari poſſunt per particulum dehortantem. Speciale eſt אַל־פְּשַׁטְתֶּם *quo irruiſtis bodie?* I. Reg. XXVII. 10. ubi אַל eſt pro אָן *quo*, ſecundum paraph. Chald. qui vertit לְאָן *quo*. Vel potius ſubintelligitur מִי *quis* et pro אל legendum אֶל־ *ad* loco עַל *contra*, ſic: אֶל־מִי pro עַל־מִי *contra quem irruiſtis hodie*. Vulg. *In quem irruiſti hodie?* de ſolo Davide intellexit; vel eſt ſphalma graphicum pro *irruiſtis*.

III. בַּל iungitur praeterito et futuro. Prov. IX. 13. XXII. 29. Ofeae VII. 2. Reperitur etiam cum infinitivo, fed anomalως Pfal. XXXIII. 9. בַּל קְרוֹב *non adpropinguare.*

IV. בְּלִי Praeterito et futuro iungitur, negatque abfolute. Gen. XXXI. 20. *Et furatus eft Jacob cor Labanis Syri* עַל־בְּלִי הִגִּיד לוֹ *eoquod non indicaffet ei, quod fugeret.* Vulg. *noluitque Jacob confiteri focero fuo, quod fugeret.* Hebraismum *furari cor* ad linguae latinae indolem eleganter expreffit.

V. בִּלְתִּי conftruitur cum praeterito et participio. Num. XXI. 35. If. XIV. 6. faepiffime τῳ בִּלְתִּי praeponitur ל conftruiturque 1. cum infinitivo Deut. XVII. 20. 2. Cum praeterito Jerem. XXIII. 14. 3. Cum futuro Exod. XX. 20.

VI. לֹא Omnibus temporibus convenit excepto imperativo, cui nulla particula negans praeponitur, quique per futurum, praepofita negatione exponitur. Vide decalogum. Cum participio coniunctum de certo quodam et individuo negat. Sophon. III. 5. לֹא יוֹדֵעַ עַוָּל בֹּשֶׁת *non* (eft) *fciens* i. nefcit *iniquus confufionem*, nempe populus iudaicus, de quo loquitur propheta.

VII. פֶּן cum futuro conftruitur. Gen. III. 21. femel iungitur cum praeterito loco futuri pofito. II. Reg. XX. 6. פֶּן־מָצָא *ne inveniat*, pro פֶּן־יִמְצָא

Canon II. Particula negativa בִּלְתִּי, לֹא, אֵין et praepofitio לְ, לְבִלְתִּי universali כָּל־ *omnis* addita, univerfalem

ſalem negationem indicat, ita ut *non omnis* idem ſit, ac *nullus*.

Gen. IV. 15. *Poſuitque Dominus Cain ſignum*, לְבִלְתִּי *ut non interficeret eum* כָּל־ *omnis*, i. nemo, nullus. Deut. VIII. 9. *Non indigebis omni in ea* (terra) i. nulla re indigebis. Pſal. CXLII. 2. *Non iuſtificetur in conſpectu tuo omnis vivens* i. nullus vivens.

Quum particula negativa praeponitur vocabulis עַד־מְאֹד *usque valde*, *usquequaque*, non ſolum negat ſummum gradum, et inferiorem admittit; ſed univerſalis eſt, ac eandem rationem obtinet, atque *non omnis* h. e. nullus. Pſal. CXIX. 8. *Non me derelinquas* עַד־מְאֹד *usquequaque*, i. nequaquam, ne in minimo quidem derelinquas me. Vide ibid. ℣. 43. Sic in negatione implicita Iſ. LXIV. ℣. ult. *Nunquid domine . . . adfliges nos usquequaque?* h. e. non adfliges nos ullo modo; interrogatio enim heic negationi aequipollet.

Canon III. Adverbia negandi *cum verbis et nominibus compoſita, nonnunquam ſpeciali quadam ratione ſignificant.*

I. Contrarium adfirmatum cum emphaſi denotant. Exempla verborum vide ſupra in verborum ſignificatione.

Pſal. XLIII. 1. מִגּוֹי לֹא־חָסִיד *de gente non ſancta*; impia, maligna et crudeli. Oſe. XIII. 13. *Ipſe* (Ephraim eſt) *filius non ſapiens* i. ſtultiſſimus. Prov. XVIII. 5. *accipere perſonam impii* לֹא־טוֹב *bonum non* (eſt) i. peſſimum eſt. Matth. II. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam*



quaquam minima es i. e. maxima es. Apoc. XVIII. 7. *vidua non ſum* i. ſum populoſiſſima.

II. Adverbia negandi nominibus praepoſita, habent interdum vim *privativam.*

I. Reg. XX. 26. בְּלְתִּי טָהוֹר *non mundus* i. immundus. Prov. XII. 28. *In ſemita iuſtitiae, vita* (eſt) *et via ſemita eius* אַל־מָוֶת *non mors* h. e. immortalis. Vulg. *iter autem devium ducit ad mortem*, pro אַל legeb. אֶל־ *ad.* Ibid. cap. XXX. 25. *formicae* (ſunt) populus לֹא־עָז *non firmus* i. infirmus.

III. Duae negationes, maxime apud graecos fortius negant. Luc. XXI. 33. *Coelum et terra tranſibunt, verba autem mea ὀυ μη non tranſibunt.* Sic ὀυ vel ὀυκ et ὀυδεις *nullus* vel ὀυδεν *nihil* coniunguntur; tuncque nomina illa negativa per *quisquam* vel *quidpiam* exponuntur. Luc. XX. 40. *Et amplius non audebant eum interrogare ὀυδεν nihil*, h. e. quidquam.

Canon IV. *Pro negativo adverbio quandoque comparativa particula adhibetur.*

Pſal. CXIII. 8. *Bonum* (melius) *eſt confidere in Domino, quam confidere in homine*, h. e. bonum eſt confidere in Domino, non vero in homine. Oſe. VI. 6. *Quia miſericordiam volui, et non ſacrificium, et ſcientiam Dei, plusquam holocauſta*, h. e. ſcientiam Dei, non holocauſta: heic holocauſta ſine fide, et cum hypocriſi oblata intelliguntur, quae non vult Deus.

Hunc inprimis idiotismum efficit particula μαλλον *magis*, quae non ſemper *comparationis* nota, ſed ſaepius corre-

correctionis et *obpositionis;* h. e. non semper ita comparat, ut aliquid utrique tribuatur, uni vero magis, quam alteri; sed saepius simpliciter rem totam transfert in unum, et alterum ei contradictorie obponit.

Joan. III. 19. *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines* μᾶλλον *magis tenebras quam lucem* h. e. dilexerunt tantum tenebras, non vero lucem. Joan. XII. 43. *Dilexerunt gloriam hominum* μᾶλλον *magis, quam gloriam Dei* h. e. nequaquam dilexerunt gloriam Dei.

Eadem ratione *primi* dicuntur respectu regni coelorum, qui eius fiunt participes; ultimi vero, qui eo excluduntur. Matth. XIX. ℣. ult. Luc. XIII. 30. sic *maximus* in regno coelorum is est, qui illud ingreditur, Matth. XVIII. 4. *minimus* vero, qui eius possessione excidit. Matth. V. 19.

Canon V. *Vice versa quandoque adverbium negans pro comparativa particula ponitur.*

Gen. XLV. 8. *Nequaquam vos misistis me huc, sed Deus ipse,* i. e. non tam vos, quam ipse Deus. Exod. XVI. 8. Luc. XIV. 12. *quum facies prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos . . . sed voca pauperes* i. potius hos, quam illos. Joan. V. 45.

Huc pertinet Idiotismus, quo adverbium *solum* post particulam negativam subintelligitur, ac *non* per *non solum* explicandum est. Qua significatione pleraque ex praecedentibus accipi possunt, et vicissim multa exempla ex iis, quae adferam, cum praecedentibus coincidunt. Gen. XXXII. 28. *Nequaquam Jacob adpellabitur nomen tuum, sed Israel,* h. e. non solum Jacob adpellaberis,



ris, ſed etiam Iſrael; nam utroque nomine poſtea vocatur Jacob. I. Reg. VIII. 7. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem* i. non ſolum te, ſed me abiecerunt. Vide Matth. X. 20. Act. V. 4.

Canon IV. *Verbis negativis et prohibitivis particula negativa interdum adiicitur, quae videtur abundare.* Luc. XX. 27. *Acceſſerunt autem quidam Sadducaeorum* οι αντιλεγοντες *contradicentes reſurrectionem* μη *non eſſe* i. qui negant reſurrectionem eſſe. Luc. XXII. 34. *Non cantabit hodie gallus, priusquam ter* απαρνηση μη *neges te non noſſe me* h. e. donec ter abneges noſſe me.

§. VI.

De adverbiis dubitandi.

Canon dubitandi *adverbia non ſemper rem incertam denotant, ſed eius difficultatem interdum innuunt, aut alia de cauſa emphatice adhibentur.*

I. אוּלַי *fortaſſe* non ſemper particula dubitantis, ſed interdum confidentis et bene ſperantis, ominantisque.

Exod. XXXII. 30. *Aſcendam ad Dominum* אוּלַי *ſi quomodo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro* Jerem. XXVI. 3. אוּלַי *ſi forte audiant et convertantur unusquisque a via ſua mala.* Haec verba per ανθρωποπαθειαν Deo tribuuntur, quibus non dubium, ſed liberum hominis arbitrium ſignificatur. Unde S. Hieron. comm. in h. l. tom. III. n. ed. *Verbum ambiguum* forſitan *Maieſtati divinae non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur adfectu; ut liberum hominis ſervetur arbitrium, ne ex praeſcientia eius, quaſi neceſſitate vel*

facere

facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus novit, quaſi praeſcius futurorum.

Thren. III. 20. *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes;* particula *ſi forte* heic dubitantis non eſt, ſed potius adfirmantis; ex humilitate enim et patientia concipitur ſpes, quae non confundit. Senſus itaque eſt: *ponet in pulvere os ſuum* i. humiliabit ſe, quia ſpem habet. Vide Joſ. XIV. 12. (et confer. v. 9.) I. Reg. XIV. 6. II. Reg. XVI. 12.

II. פֶּן *ne forte* dubitationem non ſemper importat, ſed interdum rem certo futuram exprimit. Gen. III. 3. *de fructu vero arboris . . . . non tangetis eum* פֶּן־תְּמֻתוּן *ne moriamini* Vulg. mutatis perſonis, *ne forte moriamur;* ſed dubium heic non eſt.

Ibid. cap. *XXXVIII.* 23. *Habeat ſibi* (Thamar pignora) פֶּן נִהְיֶה לָבוּז *ne ſimus contemtui*, ſi durius inquiramus. פֶּן itaque loci prohibentis eſt adverbium, non dubitantis; neque enim ignorabat Judas, infamem eſſe ſcortationem. Vulg. פֶּן adfirmative interpretatur, ſenſum, non textus verba ſtricte reddidit.

III. Particula ἄν, quam Vulgata noſtra verſio ſaepius dubitative exponit, plerumque exletiva eſt, vel ſumitur pro *ſane*, *utique*, *certe*, rel.

Joan. *V.* 46. *ſi crederetis Moyſi, crederetis ἂν utique mihi* Vulg. crederetis *forſitan et mihi.* Cap. *VIII.* 19. *ſi me ſciretis, ἂν certe et patrem meum ſciretis* Vulg. *forſitan*

et



et patrem meum cet. Vide Matth. *XI.* 21. ubi particula *ἄν* a Vulg. reddita non eſt, quia eam ut expletivam ſpectavit.

§. VII.

De adverbiis excludendi et limitandi.

CANON I. *Adverbium* EXCLUDENDI PRAETERQUAM, NISI, *non raro pro coniunctione adverſativa* SED *ponitur.*

IV. Reg. *V.* 17. *Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum Diis alienis, niſi Domino* h. e. ſed Domino. Matth. *XII.* 3. 4. *Quomodo panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere . . . niſi ſolis ſacerdotibus* i. ſed ſolis ſacerdotibus. Vide Luc. *IV.* 27. Joan. *V.* 19. Gal. *II.* 16. *ſcientes autem, quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti* h. e. ſed per fidem, quae operibus legis obponitur: unde ſubdit: *Et nos in Chriſto Jeſu credimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, et non ex operibus legis.* Bona tamen opera tanquam media a Deo praeſtituta et data non excluduntur, imo requiruntur.

CANON II. *Adverbium* LIMITANDI *ſeu reſtringendi* QUATENUS, *quo caret lingua hebraica, aliis particulis exprimitur.*

Gen. *XXXIX.* 9. *Nec quidquam eſt, quod non mea ſit poteſtate . . . . praeter te* בַּאֲשֶׁר *in quo* h. e. *quatenus uxor eius;* in coeteris enim Joſephi curae etiam commiſſa erat. Matth. *X.* 41. *qui recipit prophetam in nomine prophetae* h. e. quatenus prophetam. Sic mox *in nomine iuſti.*

§. VIII.

§. VIII.

De adverbiis comparandi.

CANON I. *Adverbia comparandi* ὡς, ὥσπερ, καθὼς, οὕτως, *non ſemper omnimodam ſimilitudinem aut aequalitatem denotant, ſed de aliqua interdum convenientia intelligenda ſunt.* Exempla horum vide ſupra in hebraismis adfirmantibus. Sicut et

CANON II. *Similitudinis particula quandoque non ſimilitudo, ſed res ipſa notatur.* Vide ibidem. Matth. *XIV.* 5. *Quia ſicut prophetam eum*, Joannem, *habebant*, i. pro vero propheta habebant. Gen. *XXV.* 33. *Jura mihi* כַּיּוֹם *ſicut hodie* i. hodie. *Caph* iſtud ſimilitudinis vocatur a Qimhhi *Caph veritatis*, ideoque ab interpretibus negligitur, vel ſi exprimatur, abundat.

CANON III. *Adverbium comparandi* οὕτως SIC, *non in comparativo ſolum, ſed in aliis etiam loquutionibus uſurpatur.*

I. Rei qualitatem ſive adiuncta exprimit. Matth. *I.* 18. *Chriſti autem generatio ſic erat* i. hac ratione ſe habebat.

II. Rei magnitudinem ac praeſtantiam indicat. Joan. *III.* 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, q. d. tantus tamque ardens fuit Dei amor erga nos, ut cet.

III. Pro coniunctione concluſiva *itaque* adhibetur. Apoc. *III.* 16. οὕτως *itaque quia tepidus es* cet. Vulg. *ſed quia tepidus es.*

IV. Hebraeum adverbium כֵּן *ſic* quandoque intendendi ſignificationem habet.

Exod.



Exod. I. 12. *Et ficut adfligebant eum* (populum Ifrael) כֵּן *fic multiplicabatur*, וְכֵן *et fic crefcebat.* Vulg. eleganter: *quantoque obprimebant eos, tanto magis multiplicabantur.*

CANON IV. *Pro particula comparativa quandoque aliae particulae ufurpantur.*

I. Copula ו *Vaf, et I.* Reg. *XII.* 15. *Tunc erit manus Domini fuper* feu *contra vos* וּבַאֲבֹתֵיכֶם *ut* (fuit) *fuper patres veftros.* Prov. *X.* 25. *ficut tranfit turbo* וְאֵין *fic non eft impius.* Vide If. *LIII.* 7. Matth. *VI.* 10. *fiat voluntas tua ficut in coelo, et in terra.* h. e. fic et in terra.

II. Praefixum ל *Lamedh. ad.* If. I. 31. *et erit fortis* לִנְעֹרֶת *ficut ftupa, et opus* eius לְנִיצוֹץ *ficut fcintilla.* Abd. ✝. 18. לְקַשׁ *ficut ftipula.*

III. Praepofitio עִם *cum.* Job. *IX.* 26. *Dies mei tranfierunt* עִם אֳנִיּוֹת *cum navibus defiderii* i. ficut naves defiderii; naves autem defiderii dicuntur naves defideratiffimae, feu praeftantiffimae, velociffimae, quare Symm. interpretatur: *quafi naves feftinantes.* Paraphr. Chald. *naves optimis fructibus onuftas*, quae celerrime feruntur, ne fructus putrefcant, et ut citius divendantur. His comparatur vita ob temporis celeritatem.

Pfal. *CXX.* 4. *Sagittae potentis acutae cum carbonibus iuniperorum*, fic S. Hieron. h. e. ficut fagittae potentis acutae, ficut carbones iuniperorum es, ô lingua dolofa. Pfaltes heic commemorat carbones iuniperorum, qui coeteris vehementius adurunt, et diutius ignem fervant. Vulg. *cum carbonibus defolatoriis.* Per carbones defolatorios feu vaftantes mala graviffima indicat, a lingua

gua dolosa provenientia. ℣. 5. *habitavi*, vel habito, *cum habitantibus Cedar* h. e. ut habitatores Arabiae desertae et petraeae (dicti *Cedareni* a Cedar Ismaelis filio) certas et fixas sedes non habent, sed huc illuc vagantur, ac in tentoriis habitant: sic ego locum continuo mutare cogor.

Canon V. *Comparandi particulae non raro in oratione desunt.*

Gen. XVI. 12. *Hic* (Ismael) *erit onager homo* h. e. ut onager, Vulg. ferus homo. Exod. XIX. 4. *Vos vidistis . . . . quomodo portaverim vos super alas aquilarum* h. e. quasi super alas aquilarum, quae pullos suos transferunt non unguibus aut pedibus, ut reliquae aves, sed super alas et dorsum. Hac loquutione indicatur celeritas, qua Deus Israelitas ex Aegypto eduxit.

Quandoque prioris membri particula comparandi deficit; posterioris vero per coniunctionem copulativam *Vaf et* loco comparativae exprimitur. Psal. CXXIV. 2. *Jerusalem, montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui* i. sicut montes sunt in circuitu Jerusalem, qui eam contra hostes tuentur: ita Dominus est in circuitu populi sui, eumque in aeternum proteget.

Interdum prioris membri, quod *πρότασις* dicitur, particula deest, quae in posteriori, quo *ἀποδοσιν* vocant, occurrit. Jacob. I. 11. *Exortus est enim sol cum ardore et arefecit foenum . . οὕτω sic et dives in itineribus suis* (actionibus suis) *marcescet*, i. sicut sol exortus.

Interdum utraque particula desideratur. Job. XXIV. 19. *Siccitas et aestus rapiunt* (i. citissime absumunt) *aquas*

 nivis:



nivis: sepulchrum (eos, qui) *peccaverunt*, i. quemadmodum siccitas et aestus cet. sic sepulchrum. Jerem. XVII. 11. *Perdix fovet* (ova) *quae non peperit: fecit divitias et non in iudicio*. h. e. sicut perdix fovet ova aliena, neque ea excludit: ita qui comparat opes iniustas *in dimidio dierum suorum derelinquet eas.*

CAPUT XIII.

De Praepositionibus.

§. I.

De praepositionum separabilium constructione.

CANON *Quaedam praepositiones iunguntur infinitivo, illaeque per verbum finitum et coniunctionem exponuntur.*

Gen. V. 4. Et facti sunt dies Adam, אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ *post gignere eum* i. postquam genuit. XVIII. 12. אַחֲרֵי בְלֹתִי *post consenescere me* i. postquam consenui. Ibid. ♈. 19. לְמַעַן הָבִיא *propter adducere Dominum Abrahamo* i. ut adducat Dominus. Luc. XXII. 20. *similiter et calicem μετα το δειπνησαι post coenare* i. postquam coenavit.

§. II.

De praepositionum separabilium significatione.

CANON I. *Praepositio* אֶל AD *ex earum numero est, quibus motus ad locum exprimitur.* Gen. VI. 19. *introduces* אֶל־הַתֵּבָה *ad* vel *in arcam.*

Pro

Pro אֶל vel alia praepositione motum ad locum denotante, non raro usurpatur ה praecedente (ָ) et rarissime (ֶ) quod ה ad finem dictionis adiicitur. Gen. XIX. 1. *Veneruntque duo illi angeli* סְדֹמָה *in Sodomam*. Cap. XXXIII. 14. *donec veniam* שֵׂעִירָה *in Seir*. מִצְרַיְמָה *in Aegyptum*

Quandoque nomini proprio loci composito per tmesin diviso, ה locale interponitur. Gen. XLVI. 1. בְּאֵרָה שָׁבַע *in Bersabee* Vulg. *ad puteum iuramenti*, nomen proprium ut adpellativum interpretati sunt.

Interdum pleonastice ל synonymum *του* אֶל a fronte praeponitur, et ה in fine adiungitur 1. Paral. XXVI. 17. לַצָּפוֹנָה *ad septentrionem* לַנֶּגְבָּה *ad meridiem*, לִשְׁאוֹלָה *ad sepulcbrum*.

Loco (ָ) ante ה rarissime usurpatur (ֶ) ut נֹבֶה *Nobam versus*, וּדְדָנֶה *Dedanem versus*. In his autem exemplis (ֶ) positum esse pro (ָ) ostendit accentus in penultima.

Saepe ה aut אֶל deficiunt, sed subplentur; nam apud hebraeos cum nominibus propriis urbium et locorum praepositio vel exprimitur vel negligitur, et subintelligitur. III. Reg. III. 15. *Quumque venisset* (Salomon) יְרוּשָׁלַיִם *in Ierusalem* pro יְרוּשָׁלַיְמָה, vel אֶל־יְרוּשָׁלַם vel לִירוּשָׁלַם

Motum ex loco significare volunt ה. Gen. XIII. 1. ubi הַנֶּגְבָּה explicari videtur ♈. 3. per מִנֶּגֶב *a meridie* sive a meridiano tractu.



Denique ה ponitur pro *in* vel *ad*, quamvis de loco sermo non habeatur. I. Reg. I. 3. יָמִימָה *in dies.* Psal. XLIV. 27. עֶזְרָתָה *in* vel *ad auxilium.*

CANON II. Saepe praepositiones אֶל et εἰς *ad* pro בְּ et ἐν *in*, sive de loco sermo sit, sive de alia re, ponuntur. Sive *Praepositiones motum significantes* pro *praepositionibus quietem exprimentibus interdum usurpantur.*

I. DE LOCO. Gen. XLIX. 29. *sepelite me cum patribus meis* אֶל־הַמְּעָרָה *ad speluncam* pro בְּ in spelunca. III. Reg. VIII. 30. *Et exaudies* אֶל־מְקוֹם *ad locum tabernaculi tui* h. e. in loco. Vulg. de loco, adeo ut עַל ponatur pro מִן, quod legitur II. Paralip. VI. 21. Matth. II. 23. *Et veniens* Joseph *habitavit* εις πολιν *ad civitatem* i. in civitate.

II. DE ALIA RE. Gen. VI. 6. *et doluit* (Deus) אֶל־לִבּוֹ *ad cor suum* i. in corde suo. Cap. VIII. 21. *Et dixit dominus* אֶל־לִבּוֹ *ad cor suum* i. in corde suo.

CANON III. Vicissim בְּ *in* pro אל *ad*, et apud graecos ἐν pro εἰς interdum veniunt, sive de loco, sive de qualibet alia re sermo habeatur, quod est dictu: *Praepositiones quietis loco praepositionum motus quandoque adhibentur.*

Lev. XVI. 22. *Et emittet hircum illum* בַּמִּדְבָּר *in deserto*, pro אֶל־הַמִּדְבָּר *in desertum.* Luc. VII. 17. *Et exiit hic sermo* εν ὁλῃ τῃ Ιουδαια *in universa Judaea* pro εις ὁλην την Ιουδαιαν.

De

De qualibet alia re. Luc. I. 17. *Ut convertat corda patrum in filios et incredulos ἐν φρονήσει in prudentia iustorum* pro *εἰς φρόνησιν in prudentiam.*

Canon IV. Praeter significata recensita, praepositio אֶל ad, in, aliis etiam quandoque insignitur. Ac significat

I. De. Job. XLII. 7. *Non estis loquuti rectum* אֵלַי *ad me* i. de me. Jerem. XL. 16. *De Ismael* אֶל־יִשְׁמָעֵאל. Luc. XIX. 9. *Ait Jesus ad eum* (Zachaeum) *quia hodie salus domui huic facta est*, id est, ait de ipso; non enim sermo ad Zachaeum, sed ad circumstantes dirigitur.

II. Super, tuncque אֶל pro עַל ponitur. Lev. XIV. 50. *Et immolabit passerem unum* אֶל־ *ad vas fictile*, i. super vas fictile, in quo erat aqua viva: sequitur enim: עַל *super aquas* rel. II. Reg. II. 9. *Et constituit eum* (Isbosethum) אֶל־ *ad Galaad* i. super Galaad, unde statim sequitur: וְעַל־ *et super Ephraim.*

III. Propter; tumque אֶל usurpatur iterum pro עַל. I. Reg. II. 27. אֶל־ *ad puerum istum oravi* i. propter puerum, seu ut Vulg. pro puero. I. Reg. IV. 21. אֶל־הִלָּקַח *propter capi arcam Dei* seu propterea quod capta esset arca Dei.

IV. Contra. אֶל ponitur pro עַל et πρὸς pro κατὰ.

Is. XXXII. 6. *Ad loquendum errorem* אֶל־ *contra prophetas istos*, Vulg. super. Marc. XII. 12. *Cognoverunt enim, quoniam πρὸς αὐτοὺς ad eos* vel *ad se* (h. e. contra eos) *parabolam hanc dixerit.* Vid. Joan. X. 35. Act. IX. 5. rel.



Sic εἰς in pro *contra*, *adversus*. Luc. VII. 30. XII. 10.

V. Cum אֶל pro עִם. Thren. III. 42. *Levemus corda nostra* אֶל־ *ad manus* i. cum manibus *ad Dominum*. Ezech. XVI. 26. fornicata est אֶל־ *cum filiis Aegypti*.

VI. אֶל pro אֶת־ articulo adcusandi casus usurpatur. Psal. II. 7. *Narrabo* אֶל־חֹק *decretum*. Vide Jud. VII. 25. Is. XXXVIII. 19. rel. rel.

VII. אֶל cum aliis quibusdam praepositionibus, in quarum naturam transit, coniungitur. אֶל־מוּל *e regione*, אֶל־מִחוּץ *extra* אֶל־הַחוּץ *foris*. אֶל־תַּחַת *sub*, *pro*, *in locum*, sive *loco*. אֶל־נֹכַח *coram* seu *e regione*, אֶל־עֵבֶר *trans*. אֶל־מִבֵּית *extra*. אֶל־אַחֲרֵי *post*, et cum adverbio אֶל־חִנָּם *frustra*.

§. II.

De praepositione אַחַר, אַחֲרֵי post.

CANON. Praepositio אַחַר, sive אַחֲרֵי, et eius Synonyma מִקְצָה, מִקֵּץ, et graeca μετα, POST, cum locum, tum tempus interdum ratione speciali denotat.

I. אַחַר *post*, si de loco accipiatur, nonunquam pro nomine sumitur.

III. Reg. XIV. 10. *Et removebo* אַחֲרֵי *post domum Jeroboam* h. e. adseclas domus Jeroboam. Vulg. *reliquias* i. posteritatem. Ose. V. 8. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethaven* אַחֲרֶיךָ *post te Beniamin* h. e.

h. e. posteriori te Beniamin. S. Hieron. comm. in h. l. *Pulchre dixit, quod Bethaven post tergum sit Beniamin: ubi enim tribus finitur Beniamin, haut procul in tribu Ephraim haec urbs condita est.* Aliter Glassius post Junium: sensus est, inquit, Juda quoque ad bellicas clades perferendas se ipsum comparet, qui *posterior te* est, o Beniamin, seu, qui post regionem tuam habitat. Quam ob rem Israelis mentio fit ✝. 9. et Judae ✝. 10.

Praepositio *post*, si de tempore accipiatur, non semper ultimam temporis partem exactam, et praeteritam denotat, sed interdum pro *intra* sumitur, ac interiectum et adhuc vigens tempus significat. Deut. XIV. 28. מִקְצֵה *a fine trium annorum* i. anno tertio. Deut. XXXI. 10. מִקֵּץ *a fine septem annorum* Vulg. *post septem annos* i. e. septimo anno, qui *annus remissionis* est. Jos. IX. 16. *Et fuit* מִקְצֵה *a fine trium dierum*, Vulg. post tres dies i. die tertio, ut ✝. 17. explicatur. IV. Reg. XVIII. 10. *Et ceperunt eam* (Samariam) מִקְצֵה *a fine trium annorum* i. tertio anno.

Matth. I. 12. Μετα την μετοικεσιαν Βαβυλωνος *post transmigrationem Babylonis* h. e. per, intra eam transmigrationem, totum captivitatis tempus. Vel si μετα transferatur *post*, tunc μετοικεσια sumitur pro μετοικισμῷ ipsa transmigratione, seu actione, qua in Babyloniam translati sunt iudaei. Cap. XXVII. 63. μετα τρεις ἡμερας *post tres dies resurgam* h. e. tertia die, ut ✝. 64. explicatio sequitur.

Huc pertinet oratio, quae completum tempus interdum significare videtur, quum tamen de incompleto intelligenda sit. Jerem. XXV. 12. *Quum impleti fue-*

 rint

rint septuaginta anni h. e. initio septuagesimi, quo liberati sunt Israelitae. Luc. II. 21. *postquam consummati sunt dies octo* i. e. quum exactis septem diebus octavus advenisset, quo die fiebat circumcisio.

§. III.

De Praepositionibus אֶת־, עִם, עִמָּד *cum.*

CANON *Praepositio* CUM *variis vocibus speciali significatione gaudentibus exprimitur.*

I. אֶת־ et sine maqqaph אֵת. Illa praepositio cum adfixis mutat (‥) in hhiriq qaton sequente daghésch in ת, ut אִתִּי *mecum.* Interdum tamen (‥) mutatur in וֹ, sicuti quum pronominibus vice fungitur, ut אוֹתָהּ *et dormivit cum illa*, אוֹתִי *mecum*, אוֹתוֹ *cum illo* אוֹתָם *cum illis.*

Praeterea אֵת *cum* significat 1. comitatum et coniunctionem. Exod. I. 1. *qui ingressi sunt in Aegyptum* אֶת־ *cum Jacob.* 2. intimam coniunctionem, seu potius identitatem personarum SS. Trinitatis in agendo. Agg. II. 5. *Et nunc confortare Zorobabel . . . . quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum* ℣. 6. אֶת־הַדָּבָר *cum* VERBO, *quod pepigi vobiscum* (foedus) *quum egredimini de terra Aegypti*, *et* (cum) SPIRITU *meo stante in vobis* cet. VERBUM DEI, quo pepigit foedus cum Israelitis, vocatur *Angelus foederis*, seu *testamenti* Malach. III. 1. Confer. Is. LXIII. 9. 10. 3. propinguitatem. Esth. I. 10. *Eunuchis*, *qui ministrabant* אֶת־פְּנֵי *coram facie Regis*. 4. Auxilium, IV. Reg. IX. 32. מִי־אִתִּי *quis mecum est?*

i. quis

i. quis mihi auxiliaturus eſt? 5. De, poniturque pro מ vel מִן Num. XXXV. 6. וְאֵת־הֶעָרִים *De ipſis autem civitatibus* cet.

II. עִם *Cum* eadem fere ſignificata obtinet, ac praecedens אֵת, ſic עִמִּי *mecum*. Pſal. CVI. *peccavimus* עִם *cum patribus noſtris*. 2. propinguitatem ſive vicinitatem. Gen. XXV. 11. *Et habitavit Iſaac* עִם *cum* h. e. *iuxta puteum*.

III. עִמָּד *Cum* iſthaec praepoſitio iungitur tantum cum adfixo primae perſonae: ut עִמָּדִי *mecum*.

IV. Praepoſitio *Cum* hebraeis quandoque per copulativam *et* in oratione negativa, vel negativae aequipollente exprimitur. Joſ. XXII. 24. מַה־לָּכֶם וְלַיהוָה *quid vobis et Domino Deo Iſrael?* h. e. cum Domino, non eſt vobis quidquam cum Domino Deo Iſraelis. Eſd. IV. 3. לֹא לָכֶם וָלָנוּ *Non vobis et nobis* h. e. nihil eſt vobis nobiscum.

Denique praepoſitiones אֵת et עִם interdum pleonaſtice cum alia praepoſitione coniunguntur. Vide infra in praefixo מ. Econtrario aliquando deſunt. Lev. XXVI. 41. *Et recordabor foederis mei Jacob* i. cum Jacob. rel.

§. IV.

De praepoſitionibus עֵבֶר *trans*, עַל *ſuper*, תַּחַת *ſubter*, *ſub*.

Canon I. Praepoſitio hebraea עֵבֶר, Graeca πέραν, *trans*, non ſemper ulteriorem partem loci ſignificat, ſed

 et

et citeriorum; adeoque etiam vicina et proxima citerioris partis loca. Deut. I. 1. *Haec ſunt verba, quae loquutus eſt Dominus ad omnem Iſrael* בְּעֵבֶר *trans Jordanem*, i. e. cis Jordanem; nunquam enim Moyſes Jordanem tranſiit. Iſ. IX. 1. *Primo tempore adleviata eſt terra Zabulon et terra Neptali . . . via maris* עֵבֶר *trans Jordanem* h. e. iuxta Jordanem; Zabulon enim et Nephtali, et utraque Galilaea ſunt cis Jordanem ratione Judaeae. Vide. Matth. XIV. 22. Marc. X. 1.

Canon II. Praepoſitio עַל *ſuper* praeter communem ſignificationem, alias obtinet.

I. Significat iuxta. Gen. XVI. 7. *Et invenit eam angelus Domini* עַל־עַיִן *iuxta fontem.*

II. Versus. Gen. XIX. 28. *Et reſpexit . . . .* עַל *verſus univerſam terram.*

III. Ad. Gen. XXXVIII. 12. *Et aſcendit* עַל *ad tonſores ovium.*

IV. Coram maxime ſi coniungatur cum פָּנִים *facies*. Exod. XX. 3. *Non habebis Deos alienos* עַל־פָּנָי *coram me.*

V. In. II. Paral. I. 1. *Confortatus eſt ergo Salomon . . .* עַל *in regno ſuo.*

VI. Ex. Exod. XXIII. 13. *Nomen Deorum . . . non audietur* עַל *ex ore tuo.*

VII. Er-

VII. Erga. Gen. XIX. 16. *In clementia Domini* עָלָיו *erga eum.* Eleganter Vulg. *eoquod parceret Dominus illi.* Num. VI. 26. ponitur אֶל *ad, in, erga pro* עַל.

VIII. Contra. Num. XIV. 2. *Et murmuraverunt* עַל־מֹשֶׁה *contra Moysen.* Et fic fere accipitur, quum peccatum ac poena peccati dicitur effe *fuper aliquem;* tunc enim maledictio, quam lex divina vibrat, innuitur. Ezech. XXXIII. 10. *Iniquitàtes et peccata noftra* עָלֵינוּ *fuper nos funt* i. peccatorum poenam luimus.

IX. Propter. Gen. XXVI. 7. *Ne occidant me viri loci illius* עַל *propter Rebeccam.*

X. Pro. Lev. VI. 3. *offeret* עַל *pro peccato fuo.* Efd. IV. 8. *Pugnate* עַל *pro fratribus veftris.*

XI. De. Gen. XLI. 15. *Ego audivi* עָלֶיךָ *de te.*

XII. Cum. Exod. XXXV. 22. *Et venerunt viri* עַל *cum mulieribus.*

Notandum infuper 1. עַל fcribitur pro אֶל Ezech. IX. 5. עַל־תָּחוֹס *Non parcat oculus vefter,* וְאַל־ *neque mifereamini.* Econtrario אֶל ponitur pro עַל I. Reg. XXVII. 10. עַל־ fubple מִי *contra quem irruiftis hodie?* 2. עַל cum praefixo מ coniunctum abundat. IV. Reg. XV. 18. *Non receffit* מֵעַל *a peccatis Jeroboam.* Econtrario עַל quandoque deeft. Pfal. III. 8. *quoniam tu percuffifti omnes adverfantes mihi* לֶחִי pro לְחִי *fuper maxillam* vel *in maxilla.* Vide Ezech. XII. 10.

Canon



CANON III. Praepositio תַּחַת *sub*, *subter* praeter communem hanc notionem significat etiam

I. LOCUM. Exod. XVI. 29. *Maneat unusquisque* תַּחְתָּיו *sub se* i. in loco suo. Jos. V. 8. *Et manserunt* תַּחְתָּם *in locis suis.*

II. PRO, LOCO, VICE. Gen. IV. 25. *Posuit mihi Dominus aliud semen* תַּחַת *pro Abel.* Ibid. cap. XXX. 2. *Et iratus est Jacob contra Rachelem, et dixit* הֲתַחַת *nunquid pro Deo ego sum?* Exod. XXII. 23. *Et dabis animam* תַּחַת *pro anima.*

III. PROPTER, EOQUOD Prov. XXX. 21. תַּחַת שָׁלֹשׁ *propter tria contremiscit*, vel *movetur terra.* Ibid. ℣. 22. תַּחַת *propter servum.* Ibid. ℣. 23. Is. LX. 15. תַּחַת הֱיוֹתֵךְ *pro eo, quod fuisti derelicta.* Interdum adiicitur אֲשֶׁר Is. LIII. 12. תַּחַת אֲשֶׁר *pro eo, quod tradidit in mortem.* Vid. Deut. XXVIII. 47.

CAPUT XIV.

De Praepositionum inseparabilium constructione et significatione.

Praepositiones inseparabiles seu coniunctae quatuor sunt, ב, כ, ל, מ, quae idcirco dicuntur *inseparabiles*, quod cum aliis vocibus componi debeant, ut certa ipsis constet significatio. Componuntur autem ab initio, unde et *praefixae* vocantur.

§. I.

§. I.

De praepositione praefixa ב.

Praepositionis huius significatio primaria est In cum ablativo, notatque vel locum vel subiectum *in quo.* ut בַּבַּיִת *in domo*, בְּעַמְּךָ *in populo tuo.* Vel *qualitatem*, aut rem quamcunque. ut בֶּאֱמוּנָה *in veritate* sive *constantia*, h. e. verum et constans, sicque periphrasin efficit *adiectivi*, vel *adverbii* בְּמִרְמָה *in dolo*, i. dolose. Praeterea ב significat

I. Inter. Psal. LXVII. 19. *Accepisti dona* בָּאָדָם *inter homines* distribuenda.

II. Ad vel *In* cum adcusativo, notatque vel *caussam finalem.* Eccle. X. 17. בִּגְבוּרָה וְלֹא בַשְּׁתִי *ad robur, et non ad compotationem*, Vulg. *ad reficiendum.* Vel *motum* ad locum aut subiectum. Gen. XI. 4. *Faciamus . . . turrim, cuius cacumen pertingat* בַשָּׁמַיִם *in coelum.* Job. V. 19. *Non pertinget* בְּךָ *ad te malum.* Usurpatur etiam de tempore שָׁנָה בְשָׁנָה *anno in annum* h. e. quot annis.

III. Contra. Gen. XVI. 12. *Manus eius* (Esau) בַּכֹּל *contra omnes, et manus omnius* בּוֹ *contra eum.* Vide Exod. XIV. 25. Num. XII. 1. cet.

IV. Ex, De, atque ita innuit 1. *Caussam materialem.* Exod. XXXV. 32. *Ad faciendum opus* בַּזָּהָב *ex auro.* 2. *Subiectum* cuiuscunque ordinis. Exod. XII. 43. *omnis alienigena non comedet* בּוֹ *ex eo.* 3. *Modum actionis* et rei. Deut. VI. 5. *Diliges Dominum tuum* בְּכָל־לְבָבְךָ *ex toto corde tuo.* cet.

V. Pro,



V. Pro, eoque innuitur 1. *Commodum* I. Reg. XIX. 3. *Loquar* בְּךָ *pro te ad patrem.* vel *incommodum.* Jof. VI. ✝. 26. בִּבְכֹרוֹ *contra primogenitum suum fundamenta illius* (Jericho) *iaciat.* 2. *Pretium* cum verbis *mercandi*, et *quantitas*, cum verbis *aestimandi.* Deut. II. 6. *Cibum emetis ab eis* בַּכֶּסֶף *pro pecunia.* If. II. 22. *Nam* בַּמֶּה *pro quo aestimatur ipse* h. e. quanti. Vid. Gen. XXXVII. 28. Exod. XXII. 3. Thren. IV. 2. rel.

VI. Propter. Gen. XVIII. 28. *An delebis* בַּחֲמִשָּׁה *propter quinque?* Vide Prov. XXVII. 1. ubi etiam verti poteft *de.* Pfal. CL. 2. rel.

VII. Per. Num. XII. 2. *Num* בְּמֹשֶׁה *per solum Moysen loquutus est Deus?* Vid. II. Reg. XXIII. 2. In iuramento quandoque adhibetur. If. XLV. 23. בִּי *per me iuravi.*

VIII. Cum idque vel de *causa instrumentali*, aut *modo actionis.* Gen. XLVIII. 22. *do tibi partem unam . . . quam tuli* בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי *cum gladio meo et cum arcu meo.* Latini hanc praepositionem negligunt. Interdum ב fubintelligitur. Pfal. XLIV. 3. יָדְךָ *manu tua gentes expulisti.* Vel de *causa principali*, cuius auxilium indicatur. Pfal. XVII. 30. בְּךָ *in te* h. e. tecum, tua ope, אָרֻץ *transgrediar turmam*, hoftium cuneos penetrabo. Vel denique de coniunctione et comitatu Gen. XXXII. 10. בְּמַקְלִי *cum baculo meo transivi Jordanem.* h. e. praeter baculum meum nihil mecum habebam, quum tranfivi cet.

IX. Sive, vel tam, quam, quum repetitur, et diftributive accipitur. Exod. XII. 19. *Peribit anima illa . . .*

la . . . בַּגֵּר וּבָאֶזְרָח *tam de advenis*, *quam de indigenis terrae*. Vid. Os. IV. 3.

X. Quum vel postquam, si infinitivo addatur, gerundium *in do*, ut ex grammatica hebraica constat. בְּמֹסֵר *in tradendo*, *quum traderem*, *traderes*, *traderent* rel. בְּהַמְסִיר *In tradere faciendo*, sive quum facerem tradere cet. Lev. XII. 6. בִּמְלֹאת *quum expleti fuerunt dies*.

XI. Praefixa ב saepius venit post verba, et modo *dativo*, modo *adcusativo* exprimendo inservit, prout verbum latinum hebraeo correspondens postulat. Exod. XIV. 31. *Et crediderunt* בַּיהוָה *Domino*. Gen. XXXI. 7. *Sed et pater vester* הֵתֶל בִּי *circumvenit me*. Et apud Graecos: Matth. X. 32. *Qui confitebitur* ἐν ἐμοὶ *in me* i. e. me.

De ellipsi et pleonasmo huius praepositionis vide supra in hebraismis Ellipticis et pleonasticis.

Denique ב cum vocibus indeclinabilibus interdum iungitur, idque saepius pleonastice, sed eleganter, ut: בְּאֵין מֵבִין *in non intelligente* h. e. nemine advertente. בִּבְלִי־דַעַת *in non scientia* i. sine scientia et studio. בְּבֵין *in inter* i. inter. בְּטֶרֶם *in antequam* i. antequam. בְּכֵן ,בְּכֹה *in sic* i. e. sic. בִּמְאֹד *in valde* i. valde. בְּעֵבֶר *in trans* i. trans. בְּעַד *in usque*, *in propter* i. pro, propter, per. בְּעוֹד *in adbuc* h. e. adhuc. בְּיוֹמָם *in interdiu* h. e. interdiu. etc.

§. II.



§. II.

De praepoſitione praefixa כ.

Primaria eius ſignificatio eſt *ſicut*, *tanquam*. Pſal. I. 3. *Et erit* כְּעֵץ *ſicut*, Vul. *tanquam lignum*. Quum geminatur כ, ſignificat rerum inter ſe ex aequo comparationem, ita ut prius πρότασιν, poſterius ἀπόδοσιν ſimilitudinis denotet. Gen. XVIII. 25. *Et erit* כַּצַּדִּיק כָּרָשָׁע *ſicut iuſtus, ſic impius*, conciſe pro et erit iuſtus ſicut impius, et impius ſicut iuſtus. Vid. cap. XLIV. 18. III. Reg. XXII. 4. Iſ. XXIV. 2. quo in ultimo loco כ duodecies geminatur. Quandoque tamen כ repetitum *tum* vel *tam*, *quam* redditur.

כ Praeterea varias induit ſignificationes.

I. Circiter, prope, notatque numeri, menſurae, aut temporis coniecturam. *Numeri*. Exod. XII. 37. *Profectique ſunt filii Iſrael . . .* כְּשֵׁשׁ *circiter ſexcenta millia virorum*. Quod hagiographi his particulis *fere*, *circiter* uſi ſint, nulla propterea ignorantia in Spiritum Sanctum, cuius inſtinctu et directione ſcripſerunt, refundi poteſt: nam Spiritus Sanctus adſolet ſe adcomodare familiari hominum loquendi modo, et in hunc finem has particulas Deus ipſis inſpiravit; ſicut etiam teſte S. Hieron. et S. Thom. opinioni vulgi ſaepius ſe adcommodat. Dein reliquit Deus ſcriptores ſacros, ut omnino libere libertate exercitii ſcriberent, et ipſi conſcribentes praeſertim hiſtorias ſuorum temporum non ſemper ſciverant ſe interne a Deo moveri ad ſcribendum: ergo potuerunt ſe pro ſua libertate his loquendi formulis uti.

Mensu-



Mensurae Ruth. II. 17. Quae collegerat . . . invenit hordei כְּאֵיפָה *circiter Ephi mensuram.*

Temporis Gen. XVIII. 10. *Revertens veniam ad te* כָּעֵת חַיָּה *circa hoc tempus vitae* Vulg. *tempore isto, vita comite* i. in quo vita superit vobis. Huc pertinet כִּמְעַט *circiter parum*, h. e. ferme, parum abfuit.

II. Juxta, secundum, ita ut normam vel exemplar respiciat. Gen. I. 26. *faciamus hominem . . . .* כִּדְמוּתֵנוּ *secundum similitudinem nostram.* Vid. Is. XLIV. 13. I. Reg. XIII. 14.

III. Quomodo, qua ratione. Eccle. XI. 5. *Quomodo ignoras, quae sit via spiritus*, h. e. quomodo anima creetur infundendo in corpus, et creando infundatur, et כַּעֲצָמִים *qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis.*

Quum, postquam, et fere tempus praeteritum notat, si videlicet infinitivis praeponatur. כִּמְסֹר *Quum traderem*, aut tradidissem. Deut. XX. 9. כְּכַלּוֹת *secundum finire moderatores istos*, seu duces exercitus i. quum finierint, vel finientibus moderatoribus loqui. Gen. XXVII. 34. כִּשְׁמֹעַ *Quum audisset Esau verba* Vulg. *auditis sermonibus.* Sic cum participio Gen. XXXVIII. 29. *Et fuit* כְּמֵשִׁיב *quum retraxisset manum suam* cet.

Denique כ et שֶׁ coniuncta similitudinem denotant. Eccl. XII. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam,* כְּשֶׁהָיָה *sicut fuerat.*

כ Etiam



כ Etiam quandoque deficit, quandoque redundat. Vide sup. in Hebrais. Enallag.

§. III.

De praepositione praefixa ל. et מ

Significatio primaria τοῦ ל est AD vel IN cum adcusativo, notatque 1. *Motum* ad aliquid. Psal. LXVIII. 19. *Ascendisti* לַמָּרוֹם *in altum.*

2. *Essentiam* rei vel *conditionem* et *statum.* Gen. II. 7. *Et factus est homo* לְנֶפֶשׁ *in animam viventem.* Gen. XX. 12. *Et fuit mihi* לְאִשָּׁה *in uxorem.*

3. *Causam finalem.* Is. LVIII. 4. *Ecce* לְרִיב *ad litem et contentionem ieiunatis* h. e. ad litigandum otium habeatis. Sic quando iungitur Infinitivo. Jud. VI. 11. לְהָנִיס *ut fugeret.*

Praeterea ל ponitur pro IN 1. de *loco* et *subiecto.* Psal. IX. 5. *sedisti* לְכִסֵּא *in* vel *super solium*, estque pro ב vel על. Vide Psal. XVI. 10. Os. VII. 2.

2. De *Instrumento*, poniturque pro ב. Lev. XVI. 7. *Corruent coram vobis* לֶחָרֶב *in gladio*, i. per gladium.

3. De *tempore*, Gen. III. 8. *Quum audissent vocem Domini.* . לְרוּחַ הַיּוֹם *in aura diei.* h. e. sub vesperam, quo tempore zephyrus sese adtollere et aspirare solet.

II. INTER. Exod. XII. 2. *Mensis iste* . . . *primus erit* לְחָדְשֵׁי *inter menses anni.*

III. Jux-

III. Juxta. Gen. XLIX. 13. *Zabulon* לְחוֹף *iuxta littus.*

IV. Erga. II. Reg. XVIII. 5. *Leniter mihi* לְנַעַר *erga puerum iſtum, erga Abſalon* ſubple agite. Vulg. eleganter, *ſervate mihi puerum Abſalon.*

V. Secundum. Gen. I. 21. לְמִינֵהוּ *ſecundum ſpeciem ſuam.*

VI. Contra. Prov. I. 11. *Abſcondamus nos* לְנָקִי *contra inſontem fruſtra.* i. ſine cauſa. Vulg. *abſcondamus tendiculas* cet. vocem *tendiculas* ſenſus complendi gratia adiecit.

VII. De Gen. XX. 13. אִמְרִי־לִי *dic de me: frater meus eſt.* Et ſic in pluribus locis.

VIII. *A* vel *Ab.* II. Paral. I. 13. *Venit ergo Salomon* לַבָּמָה *ab excelſo Gabaon.*

IX. Prae, propter, super. Num. XVI. 34. *At vero omnis Iſrael . . . fugit* לְקֹלָם *prae voce* vel *propter vocem eorum.* Iſ. XXVI. 9. Oſ. X. 5. Lev. XXI. 11. *Sacerdos magnus* לְאָבִיו וּלְאִמּוֹ *ſuper patre ſuo aut matre ſua non polluetur.*

X. Pro, notatque primo *Commodum.* Exod. XIV. 25. *Dominus enim pugnat* לָהֶם *pro eis.*

2. *Loco*, ſeu *vice* ſignificat. Gen. XI. 3. *Habuerunt lateres* לְאָבֶן *pro ſaxis.* Vide cap. XVI. 3. Exod. IV. 16.

 XI. Cum

XI. Cum 1. De *auxilio*. Gen. XXXI. 42. *Nisi Deus . . .* הָיָה לִי *fuisset mecum.* Vide Psal. CXVIII. 6. et CXXIII. hebr. CXXIV. 1.

2. De coniunctione vel comitatu. Gen. XLVI. 26. *Animae, quae ingressae sunt* לְיַעֲקֹב *cum Jacob in Aegyptum.*

XII. Sicut. Vide supra §. viii. *de adverbiis comparandi.*

XIII. Quoad, quod adtinet. Prov. XXV. 3. *Ut coelo* לָרוּם *quoad altitudinem, et terra* לָעֹמֶק *quoad profunditatem* cet.

XIV. Quamvis ל Dativi casus proprie articulus sit, aliis tamen casibus interdum inservit. Et quidem 1. *Nominativo*, quando cum verbo substantivo construitur. Sic. Ezech. XXXVII. 27. *Ero eis* לֵאלֹהִים *Deus, et ipse erunt mihi* לְעָם *populus.* 2. *Genitivo*, quum rei alicuius auctor vel possessor memoratur. Psal. III. 1. *Psalmus* לְדָוִד *Davidis.* Gen. XXXII. 18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב *servi tui Jacobi* sunt ea. Psal. XXIII. hebr. XXIV. 1. לַיהוָה *Domini est terra.*

ל istud cum pronominibus adfixis in eo casu coniunctum, ea interdum ex demonstrativis seu personalibus efficit possessiva. Psal. L. 10. לִי *mea est omnis bestia sylvae.* Psal. CXIX. 94. לְךָ *tuus sum ego.* Denique quum quaevis alia relatio notatur. Gen. VII. 11. *Anno sexcentesimo* לְחַיֵּי *vitae Noe.* Psal. CXXI. 1. *Canticum* לַמַּעֲלוֹת

לַמַּעֲלוֹת *graduum*. 3. Cum *Dativo*. Idque communiter. Huc pertinet, quum *officium* vel *debitum* notatur. *II.* Paral. *XX.* 17. לֹא לָכֶם *Non vestrum erit pugnare.* Vide Mich. *III.* 1. Vel quum *rei causa* innuitur. Psal. *III.* 9. לַיהוָה *Domino est salus*, i. Dominus salutis auctor est. Apoc. *VII.* 10. *Salus* τω θεω ἡμων *Deo nostro*, non enim salutem Deo precantur, sed Deum salutis auctorem praedicant.

4. *Adcusativo*, quando videlicet cum verbis hunc casum in lingua latina regentibus construitur. *II.* Reg. *III.* 30. *Occiderunt* לְאַבְנֵר *Abnerum.*

XV. ל Infinitivo praepositum diversimode exponitur. Per gerundium in *di*, et *dum*, et *do*, ac per infinitivum, tuncque supervacaneum est ל. Jud. *XIX.* 10. *Noluit vir ille* לָלוּן *pernoctare.* Denique nonunquam infinitivus cum isto ל ut nomen substantivum usurpatur. *II.* Paral. *XVI.* 13. *Et mortuus est anno* 41. לְמָלְכוֹ *regni sui.*

Demum exponitur ל per *adverbium.* Mich. *VII.* 3. *Ad malefaciendum manibus* לְהֵיטִיב *egregie proni seu intenti sunt.* In hac phrasi ל interdum deficit. Deut. *IX.* 21. *Et contrivi illum* (vitulum aureum) טָחוֹן הֵיטֵב *molendo benefacere* h. e. bene, valde, omni studio et opera molendo. Huc refert Qimhhi Jon. *IV.* 4. הַהֵיטֵב *An benefaciendo ira est tibi?* i. e. an ita valda iratus es?

XVI. ל quandoque *deficit*, quandoque redundat.



Deficit. *II.* Reg. *XV.* 31. וְדָוִד pro וּלְדָוִד *Davidi autem nuntiatum fuit.* Psal. *XLV.* 7. *ſedes tua, o Deus,* עוֹלָם *in ſaeculum* pro לְעוֹלָם. Oſe. *VII.* 16. *Revertuntur* לֹא עָל pro לֹא לְעָל *non ad excelſum* h. e. Deum verum. Vulg. *Reverſi ſunt, ut eſſent absque iugo,* pro עָל legeb. עֹל et ita Symm. V. edit. LXX. ἀπεστράφησαν εἰς οὐδὲν *converſi ſunt in nihilum,* pro עָל legiſſe videntur אַל *non, nihil;* vel inter vertendum ע cum א commutandum exiſtimarunt.

Interdum ל ex praecedenti membro repetendum eſt. Gen. *XLI.* 12. *Interpretatus eſt* (Joſeph) לָנוּ *nobis ſomnia noſtra* אִישׁ pro לְאִישׁ *cuilibet ſecundum ſomnium ſuum.* Vide Deut. *XXXIII.* 4. ubi eſt קְהִלַּת pro לִקְהִלַּת *congregationi.*

Redundat 1. Quando nomini praefigitur et nominativus ſimpliciter intelligitur. Vide ſupra in hebraismis pleonaſticis. *I.* Paral. *XXVIII.* 21. לְכָל־ *omnis.* Ibid. *XXIX.* 5. Iſ. *XXXII.* 1.

2. Quando praepoſitionibus emphatice ſubiungitur. Gen. *I.* 6. *et dividat* בֵּין מַיִם לָמָיִם *inter aquas ad aquas,* i. e. inter aquas et aquas, videl. inter aquas ſuperiores, quae ſunt nubes, et aquas inferiores, puta flumina, maria. Deut. *XVII.* 8. ubi ל eſt pro ו *et.*

Demum ל cum duobus praefixis ב et כ ſumit ſyllabam מו non adſignificantem aliquid, ſed expletivam tantum, idque maxime in libris poëticis, ut Pſal. *XI.*

2. בְּמוֹ־

2. בְּמוֹ־אֹפֶל *in caligine.* Exod. *XV.* 5. כְּמוֹ אָבֶן *sicut lapis.*

§. IV.

De praepositione praefixa מ.

Praepositionis huius significatio primaria est *A, Ab, De, Ex, Prae.*

I. *A* vel *Ab* notat 1. *caussam efficientem.* Psal. *CXVIII.* 23. מֵאֵת יְהוָה *a Domino factum est istud.* 2. *Temporis circumstantiam.* Is. *LXIV.* 3. מֵעוֹלָם *a saeculo.* 3. *Negationem* aut privationem; idque *vel* ante verbum infinitum, cuius constituit gerundium in *do*, fereque explicatur per *ne*, *ut non.* Vide *I.* Reg. *VIII.* 7. מִמְּלֹךְ *ne regnem.* 4. Sumitur *comparative.* Psal. *CXVIII.* 8. *bonum est* (melius est) *confidere in Domino*, מִבְּטֹחַ, *quam confidere in homine.*

Deficit מ. Exod. *XIX.* 12. *Cavete* עֲלוֹת pro מֵעֲלוֹת *ne ascendatis in montem.* Huc pertinet, quando מ cum אַחֲרֵי *post* coniungitur. *II.* Reg. *XX.* 2. *Et ascendit omnis vir Israelis* מֵאַחֲרֵי דָוִד *a post David* h. e. ne deinceps sequeretur Davidem. Sic Cap. *VII.* 8. Psal. *LXXI.* rel. Ita etiam מֵעַל. Gen. *XL.* 18. *Tres adhuc dies sunt* 19. *post quos* יִשָּׂא *tollet Pharao caput tuum a te* i. recensebit te, ita ut non sit deinceps de te recensio, neque inter ministros eius habearis; hac enim loquutione *auferet* seu *tollet caput tuum*, non innuitur caput pistorum principi amputandum; is siquidem in cruce suspensus fuit. Phra-

 sis



fis ifta *tollere* feu *auferre caput* pro *recenfere* frequens eft in fcriptura. Exod. *XXX.* 12. Num. *I.* 2. 49. *IV.* 2. 22. *IV.* Reg. *XXV.* 27. Jerem. *LII.* 31.

5. *Diftributionem*, fi cum fequente עַד *usque*, *ad* iungatur. Gen. *XXXI.* 24. *Cave tibi*, *ne loquaris cum Jacob* מִטּוֹב עַד־רָע *a bono ad malum* h. e. five bonum five malum.

II. *Ex* vel *De* indicat 1. *caufam materialem.* Cant. *III.* 9. מֵעֲצֵי *de lignis Libani.* 2. Motum ex loco. מִמִּצְרַיִם *Ex Aegypto vocavi filium meum* Of. *II.* 1. Reliqua vide fupra in hebraismis periphrafticis. 3. *Continuationem* et *incrementum*, fi cum fequente אֶל iungatur. Pfal. *LXXXIV.* 8. *Ibunt* מֵחַיִל אֶל־חָיִל *de virtute in virtutem* i. magis magisque vincent. Denique *diftributionem* et partem aliquam. *I.* Paral. *IX.* 3. *Commorati funt in Jerufalem* מִבְּנֵי *de filiis Juda* i. aliquot de filiis Juda.

III. Prae et fignificat caufam Pfal. *VI.* 8. *Contabefcit* מִכַּעַס *prae indignatione oculus meus*, i. propter. In hac loquutione defectus rei faepe innuitur. Pfal. *CIX.* *Caro mea emaciatur* מִשֶּׁמֶן *prae defectu pinguedinis* Vulg. *propter oleum* i. defectum olei.

Praeter haec fignificata מ etiam fignificat.

I. Propter, Eoquod et caufam moventem ac finalem denotat. Deut. *VII.* 8. מֵאַהֲבַת *propter amorem Domini*, וּמִשָּׁמְרוֹ *et propter cuftodire eum iuramentum.* Huc

Huc pertinet Jerem. *X. 6.* מֵאֵין כָּמוֹךָ יְהוָה *Propter non* (eſſe) *ſicut tu*, *Domine*, h. e. quia non eſt ſimilis tui Domine.

II. Ante, de tempore, Pſal. *XCIII.* 3. *Parata ſedes tua* מֵאָז *ante tunc* h. e. ante ullum certum ac finitum tempus, de quo vox *tunc* ab homine enuntiari poſſit; unde ſequitur: *a ſaeculo tu es.* Vide Prov. *VIII.* 23. Iſ. *XLIII.* 13. Mich. *V.* 2.

III. Post Gen. *II.* 2. *Et requievit die ſeptimo* מִכָּל־ *poſt omne opus ſuum.* Gen. *IV.* 3. מִקֵּץ *poſt finem dierum* i. poſt multos dies. Vide Oſ. *VI.* 4.

IV. Ad, Versus, quum motum ad locum denotat. Gen. *XIII.* 11. *Et receſſit* מִקֶּדֶם *ad orientem.* Jordanis enim verſus quem profectus eſt Loth, fluit ad orientem Bethel et Hai, unde veniebat. *II.* Reg. *VI.* 2.

V. Apud, quum vel locus, vel aliud ſubſtantivum denotatur. Exod. *XXXIII.* 6. *Depoſuerunt . . . ornatum ſuum* מֵהַר *apud montem Horeb.* Num. *XXXII.* 22. Pſal. *XXXI.* 12.

VI. In vel de tempore vel de loco. Exod. *XXV.* 18. מִשְּׁנֵי *in duabus extremitatibus.* Exod. *XXXII.* 30. מִמָּחֳרָת *in craſtino die.* Pſal. *LXXII.* 16.

VII. Contra. Jerem. *III.* 20. *Sicut perfide agit mulier* מֵרֵעָהּ *contra ſocium ſuum: ſic perfide agit* בִּי *contra me Domus Iſrael.* Lev. *IV.* 2.



VIII. Cum Deut. *XXXIII.* 2. *Et venit* (Dominus) מֵרִבְבֹת *cum decem millibus ſanctarum.*

Denique מ interdum *deficit*, interdum *redundat.*

Deficit. Gen. *XVIII.* 28. *ſi forſitan defuerint* חֲמִשִּׁים pro מֵחֲמִשִּׁים *de quinquaginta iuſtis.* Joſ. *X.* 13. אֹיְבָיו pro מֵאֹיְבָיו *de inimicis ſuis.* *III.* Reg. *VIII.* 32. *Tu exaudies* הַשָּׁמַיִם *de coelis* pro מֵהַשָּׁמַיִם.

Methatheſis *τοῦ* מ vel מִן videtur eſſe in illo Gen. *II.* 7. *Formavit igitur Dominus* Deus אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה *hominem pulverem de terra* pro מֵעֲפַר הָאֲדָמָה *de pulvere terrae.*

Redundat מ in aliis vocibus quibusdam: ut מִטֶּרֶם *ab ante, ante, priusquam* מִתַּחַת *de ſub* h. e. ſub, ſubter, מֵעַל *de ſuper* h. e. ſuper, ſupra. מִלְמַטָּה *de infra*, h. e. infra. מִלִּפְנֵי *de ante*, h. e. ante. מִלְּעֻמַּם *de coram* i. coram, in quibus ל et מ concurrunt. מִנֶּגֶד *de coram* i. coram. מֵעַתָּה *a nunc*, מִשָּׁם *de illic* i. inde. מִחוּץ *de extra* i. extra. מֵאֵין *a non* h. e. non. Et ſic plura alia, quorum uſus et ſtructura in ſermone hebraeo elegans eſt.

CAPUT XV.
De Coniunctione.

Coniunctio vel *enuntiativa* eſt, vel *rationativa.* Enuntiativa ea eſt, qua orationis partes cohaerent; idque tum *adfirmative*, et haec coniunctio *copulativa* et *conditionalis*



tionalis eſt: tum *oppoſite*, et iſta coniunctio *disiunctiva* et *adverſativa* dicitur. Rationativa eſt, qua enuntiationis ſive orationis pars alia ex altera ratiocinando velut adſeritur; eſtque vel *cauſalis*, qua antecedentis cauſa redditur, vel *concluſiva*, qua ex antecedente conſequens concluditur.

Sex itaque ſunt coniunctionum ſpecies. *I. Copulativae*, *II. Conditionales*, *III. Disiunctivae*, *IV. Adverſativae*, *V. Cauſales*, *VI. Concluſivae*.

§. I.

De coniunctione copulativa.

CANON I. *Inter coniunctiones copulativas primum locum habet* ו VAF, *quod praeterea in verbis mutat vulgo praeteritum in ſignificationem futuri*, *et* vice verſa, *futurum in ſignificationem praeteriti*, et vocatur VAF *converſivum.*

Motio genuina *του* ו copulantis eſt Schevá, quod Schevá retinet ante praeteritum, quod commutat in ſignificationem futuri, modo praeteritum illud non incipiat a labiali; tunc enim ו fit Schureq; aut modo prima eius litera non habeat (-:) tunc ו adficitur (-) וְעָבַר *et tranſibit.* Si tamen praeceſſerit aliud praeteritum, aut futurum pro praeterito poſitum, ו iſtud praeterito praefixum copulat tantum, non vero convertit. מִי־פָעַל וְעָשָׂה *quis fecit et operatus eſt?*

Ante



Ante futurum ו conversivum notatur cum (ַ) et praeterea, syllabae complendae gratia imprimit daghesch forte characteristicae, quae si fuerit א, in quo utpote gutturali, daghesch istud non recipitur, pro (ַ) ו habet (ָ). Exod. XII. 27. וַיִּשְׁתַּחֲוּוּ וַיִּקֹּד הָעָם *Et inclinavit se populus et adoravit.* Sic passim וַיְהִי *et fuit*, sine daghesch in (י) quia ex litera scheva adfecta saepe excidit, et semper, aut saltem fere semper ex isto (י) tertiae personae futuri charactere. Duo excipiuntur, in quibus ו istud ante א adficitur (ַ) loco (ָ) II. Reg. I. 10. Ezech. XVI. 10. sed possunt esse futura pro praeteritis posita, nec per ו conversa.

Quandoque etiam adverbium temporis אָז *tunc*, *tum* futuro praepositum, illud in praeteritum mutat. Exod. XV. 1. אָז יָשִׁיר *tunc cecinit.* אָז יַבְדִּיל *tunc divisit.* Interdum tamen ו illud copulat tantum, et non convertit. Is. V. 15. וַיִּשַּׁח *et incurvabitur homo*, וַיִּשְׁפַּל *et humiliabitur vir.* Econtrario ו conversivum in praeterito et futuro, ea convertit solum, non vero copulat. Gen. XXII. 4. *Die autem* tertio וַיִּשָּׂא *sustulit Abraham.* Vide Exod. XII. 15. *Quicumque comederit fermentatum* וְנִכְרְתָה *peribit anima illa.*

Canon II. *Praeter hunc copulandi et convertendi usum,* ו *illud plurimis etiam aliis significationibus insignitur, ac significat*

I. Etiam. Prov. XXIV. 27. *Postea* וּבָנִיתָ *etiam aedificabis domum.* Posset etian ו spectari eo loci ut simpli-

ſimpliciter convertens. Oſe. VIII. 6. *Quia ex Iſrael* והוא *etiam ipſe eſt.*

II. Si. Exod. XII. 13. וְרָאִיתִי *ſi videro ſanguinem, tranſibo.* Vide Jud. VI. 13. וְיֵשׁ *ſi Dominus nobiſcum eſt.*

III. Aut Exod. XII. 5. XXI. 15. *Qui percuſſerit patrem ſuum* ואמו *aut matrem ſuam.* Deut. XVII. 9. II. Reg. II. 19. *Ad dexteram aut ad ſiniſtram.* Prov. XXX. 8. Huc pertinet illud iuxta quosdam interpretes Jud. XI. 31. *Et erit, quod egredietur e foribus domus meae in occurſum meum, quum revertar in pace a filiis Ammon* וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה *aut erit Domino, aut offeram illud in holocauſtum* h. e. ſi fuerit homo, conſecrabitur Domino, et cultui eius dicabitur; ſi fuerit animal, quod ex lege immolari poteſt, immolabitur. Qui hanc expoſitionem ſequuntur, contendunt, filiam Jephte combuſtam non fuiſſe, ſed coelibatui perpetuo addicta. Id probant ex ✝. 37. *dimitte me, ut . . . plangam virginitatem meam* ✝. 39. *Et ipſa non cognovit virum,* quamdiu vixit.

IV. Sed, autem, vero. Gen. III. 3. וּמִפְּרִי *de fructu vero ligni.* Vide XXX. 30. XLII. 10. Exod. XIII. 18.

V. Tamen, Attamen. Pſal. XLIV. 18. *Haec omnia venerunt ſuper nos,* וְלֹא *neque tamen obliti ſumus te.* Vide Exod. V. 16. Job. III. 26.

VI. Quamvis Gen. XVIII. 27. *Loquar ad Dominum meum* וְאָנֹכִי *quamvis* Vulg. *quum ſim pulvis et cinis.* Cap. XVIII. 14. II. Reg. IX. 11.

VII.



VII. Quia, enim, nam. Gen. XIV. 18. *Melchisedech proferens panem et vinum*, והוא *Et ipse* Vulg. *Erat enim Sacerdos*, ubi Vaf sumitur causaliter. Sic Gen. XX. 3. *propter mulierem, quam tulisti* והוא *quia iuncta est viro.*

VIII. Ut. Exod. VII. 16. 26. וְיַעַבְדֻנִי *ut serviat mihi.* Thren. I. 19. Cap. III. 26. Jon. I. 11.

IX. Itaque. Amos V. 27. וְהִגְלֵיתִי *itaque migrare vos faciam.* Psal. II. 10. Ezech. XVIII. ℣. ult.

X. Cum Gen. XLVI. 1. *Profectus est itaque Israel* וְכָל *cum omnibus, quae habebat.* I. Reg. XIV. 18. וּבְנֵי *cum filiis Israel.*

XI. Tunc Gen. III. 5. *comederetis ex eo*, וְנִפְקְחוּ *tunc aperientur oculi vestri.* Vulg. non expressit *Vaf*, quod potest eo loci tantum convertere. Vide cap. XVIII. 10. Exod. VII. 9. Pariter apud graecos *καὶ et* sumitur Luc. II. 15. et XXI. 25.

XII. Donec. Gen. XVIII. 4. 5. וְאֶקְחָה *donec accipiens adferam* cet. I. Sam. XIV. 25.

XIII. Quum, quando. Gen. XLVII. 30. וְשָׁכַבְתִּי *quum dormiero* . . . וּנְשָׂאתַנִי *tunc tolles me.* cet. II. Esd. II. 6. *Et misit me* (Rex) וָאֶתְּנָה *postquam dedissem ei tempus* i. quum certum reditus mei *tempus ipsi designassem.* Zach. VII. 2. XIV. 4. Marc. XV. 25. *Erat autem hora tertia, καὶ quum crucifixerunt eum* h. e. hora tertia desinens, et incipiens sexta; nam Joan. XIX. 14. a Pilato condemnatus est circa horam *quasi* sextam, incipientem scil.

quae-

quaeque noſtrae horae duodecimae reſpondet. Judaei enim diem ab ortu ſolis ad occaſum in quatuor partes ſeu horas dividebant, et earum quaedam tribus horis conſtabat. Prima pars ſive prima hora incipiebat oriente ſole, et durabat ad horam nonam, ubi incipiebat *tertia* iudaeorum. Secunda pars ab hora nona ſeu *tertia*, ad horam duodecimam, ſeu meridiem, a quo initium ducebat *ſexta* Judaeorum. Tertia pars ab hora duodecima ſeu *ſexta* Judaeorum, ad horam tertiam pomeridianam, quae erat initium *Nonae* Judaeorum. Quarta denique pars incipiebat ab hora tertia pomeridiana ſive *Nona* Judaeorum, et ad ſolis occaſum deſinebat. Chriſtus itaque cruci adfixus fuit hora circiter duodecima, in qua deſinebat tertia Judaeorum, et incipiebat ſexta. Sic et nox in quatuor vigilias dividebatur. Prima incipiebat ab occaſu ſolis ad horam nonam. Secunda ab hora nona ad duodecimam ſive mediam noctem. Tertia a media nocte ſeu hora duodecima ad tertiam poſt mediam noctem. Quarta denique ab hora tertia usque ad ſolis ortum. Judaei, quum penes ipſos adhuc erat ius armorum, noctem in tres tantum vigilias dividebant, quarum ſingulae quatuor horis conſtabant: at poſtquam ſub Romanorum ditione fuerunt, eorum diviſionem ſequuti ſunt. Vigiliae autem ab arte militari dictae ſunt, qud vigiles quater in nocte h. e. ſingulis ternis horis mutarentur. Ex his porro conſtat (ſi aequinoctium tempus excipias) noctis horas duodecim inaequales fuiſſe, utpote quae breviores eſſent in aeſtate, in hyeme longiores. Sic horae diei longiores erant in aeſtate, in hyeme breviores.

XIV. Sic



XIV. Sic in comparationis *ἀποδόσει*. Vide fupra §. VIII. *de adverbiis comparandi.*

XV. Imo, quin. Prov. VI. 16. *fex funt, quae odit Dominus,* וְשֶׁבַע *imo feptem deteftatur anima eius;* aeque enim coram Deo abominabilia funt fcelera, quae priori fenario continentur, atque illud, quod feptimo loco ponitur.

XVI. Nempe Jerem. XL. 8. *Et venerunt ad Godoliam in Mitfpa, et Ifmael filius Nathaniae* h. e. nempe Ifmael.

XVII. Inquam Gen. XIV. 23. *fi accepero a filio usque ad corrigiam caligae,* וְאִם *fi, inquam, accepero ex omnibus* cet. Vulg. *non accipiam*, idem fenfus, iuramentum enim negationem heic includit. If. LV. 1. *properate . . .* וּלְכוּ *properate, inquam, emite.*

XVIII. Id est, quum aliquid clarius exponitur. Gen. XXXV. 12. *Terram, quam dedi Abraham et Ifaac* (i. daturum me promifi) *dabo tibi,* וּלְזַרְעֲךָ *id eft, femini tuo poft te.* Lev. V. 1. I. Reg. XXVIII. 3. *Et fepelierunt eum* (Samuelem) *in Rama* וּבְעִירוֹ *id eft, in urbe fua.*

XIX. Qui, quae, quod. Vide fupra.

XX. An? utinam? nunquid? Ezech. XVIII. 13. . . . . וָחָי *an vivet?* Vide. ✡. 24.

XXI. ו interdum deficit, interdum abundat, quod ex textu facile intelligitur.

Canon

CANON III. *Pro coniunctione copulativa aliae interdum usurpantur particulae.*

I. Relativum אֲשֶׁר *qui, quae, quod.* Eccl. V. 17. *Hoc itaque visum est mihi* טוֹב אֲשֶׁר־יָפֶה *bonum et pulchrum comedere* pro וְיָפֶה. Os. XII. 9. עָוֹן אֲשֶׁר־חֵטְא *iniquitatem et peccatum* i. non invenietur. Vulg. legeb. חָטָא *quam peccavi* seu peccans fui.

II. עִם I. Reg. XVI. 12. *Erat autem* David *rufus* עִם־יְפֵה et *pulcher aspectu.* Nah. III. 12. *Omnes munitiones tuae* (sunt sicut) *ficus,* עִם־בִּכּוּרִים *et primitivi fructus: si concussae fuerint* (ficus illae) *cadent in os comedentis;* sic pari facilitate munitiones tuae corruent ante hostes tuos, quum te in obsidione concutient.

CANON IV. *Coniunctio copulativa non solum coniungit, sed interdum in eo, cui additur, singulare quid designat, et per adverbia* MAXIME, PRAESERTIM, POTISSIMUM *exprimenda est.*

Jos. II. 1. *Ite et considerate terram et Jericho* h. e. potissimum Jericho. Marc. XVI. 7. *sed ite, dicite discipulis et Petro* h. e. et cumprimis Petro.

Coniunctio copulativa quandoque adfectum emphatice exprimit, et instar *interiectionis* est. Act. XXIII. 3. *καὶ Et tu sedens iudicas me* cet. ubi adfectus Pauli indignantis exprimitur.

CANON V. *Copulativae* אַף, *et* גַּם ETIAM *praeter copulandi officium, quandoque non carent emphasi; suntque de iis sequentia notanda.*

 I. Au-



I. Augendae et intendendae ſententiae inſerviunt. Gen. XVIII. 23. הַאַף *an etiam perdes iuſtum cum impio?* ſic et in N. T. *καὶ Et*, *etiam*. Apoc. I. 7. *Et videbit eum* (Jeſum) *omnis oculus*, *καὶ etiam qui eum pupugerunt*.

II. אַף כִּי in collatione rerum adfirmativa valet *quanto magis*; in negativa, *quanto minus*. Deut. XXXI. 27. *Adhuc vivente me . . . ſemper contentioſe egiſtis contra Dominum:* אַף כִּי *quanto magis*, *quum mortuus fuero*. III. Reg. VIII. 27. *Si coelum et coeli coelorum te capere non poſſunt:* אַף כִּי *quanto minus domus haec*.

Extra comparationem אַף כִּי ſignificat *eo quod, quia* Pro. XXI. 27. *Hoſtiae impiorum abominabiles* (ſunt coram Domino) אַף כִּי *quia in ſcelere*, Vulg. ex ſcelere offeruntur.

גַם כִּי *etiam quia* ſignificat quandoque *etiamſi*, *etſi*, *quamvis*. Pſal. XXIII. 4. גַם כִּי *Etiamſi ambulavero in medio umbrae mortis*. Et ſola coniunctio גַם Pſal. XCIV. heb. XCV. 9. *Ubi tentaverunt me patres veſtri*, *probaverunt* ſeu *tentaverunt* (me inquam) גַם *etiamſi vidiſſent opera mea* plena prodigiis.

III. גַם *etiam* interdum repetitur nec ſine emphaſi. Gen. L. 9. *Habuit quoque* (Joſeph) *in comitatu* גַם *etiam currum*, גַם *etiam equites* h. e. tum currus, tum equites.

Coniunctio אַף interdum cum altera ו pleonaſtice coniungitur. vide Lev. XXVI. 42.

§. II.



§. II.

De coniunctione conditionali.

Canon I. *Pro particula conditionali* ſi *aliae orationis partes interdum uſurpantur.*

I. In veteri Teſtamento pronomen relativum אֲשֶׁר *qui, quae, quod.* Lev. IV. 22. אֲשֶׁר נָשִׂיא יֶחֱטָא *ſi peccaverit princeps.* Confer. ℣. 3. 27. ubi in ſimili loquutione eſt אִם. III. Reg. VIII. 31. אֵת אֲשֶׁר *ſi peccaverit quis in proximum ſuum.*

II. In N. T. eſt μήποτε *ne quando*, interdum accipitur pro εἴποτε *ſi quando*, vel εἰ ἄρα *ſi forte*, tuncque negativa particula adfirmative intelligenda eſt. Luc. III. 15. *cogitantibus omnibus . . . . μήποτε ne forte ipſe eſſet Chriſtus* h. e. ſi forte, num ipſe eſſet.

Canon II. Si *Conditionalis aliam quandoque ſignificationem obtinet*, ponitur ſaepiſſime.

I. Pro adverbio interrogandi. Jud. IX. 2. *Quid vobis eſt melius, ut dominentur veſtri ſeptuaginta viri . . . .* אִם *an ut dominetur unus vir?* Job. VI. 5. אִם *an mugiet bos, quum ante praeſepe plenum ſteterit?* Et cum praefixo ה interrogativo. Ibid. ℣. 13. הַאִם *nonne* אֵין *nullum auxilium meum in me eſt?* h. e. omni prorſus auxilio deſtituor. Quidam e contrario haec adfirmative accipiunt, *nunquid non auxilium meum in me eſt?*

II. Pro adverbio negandi, quod fit in formulis iuramenti ellipticis, quum membrum orationis conditio-



nalis, quod mali imprecationem continet (ſi iurans fallat) per apoſiopeſin reticetur: tuncque conditionalis, ſenſum quod adtinet, idem eſt ac *non.* Gen. XIV. 22. *Levo manum meam ad Dominum* i. iuro ỳ. 23. אִם *ſi a filo usque ad corrigiam caligae*, וְאִם *ſi*, *inquam*, *accepero ex omnibus* rel. h. e. iuro, quod non accipiam. III. Reg. I. 51. *Juret mihi Rex Salomon hodie*, אִם *ſi interficiet ſervum ſuum*, h. e. quod non interficiat. In novo Teſtamento Marc. VIII. 12. *Amen dico vobis εἰ ſi dabitur generationi iſti ſignum*, h. e. non dabitur.

Quandoque negativa לֹא in hac loquendi formula uſurpatur. Ezech. XIV. 18. *Vivo ego*, *dicit Dominus*, לֹא *non liberabunt filios*, *neque filias*, pro אם *ſi* liberabunt. Econtrario אִם־לֹא nonnunquam adfirmativum ſenſum habet. III. Reg. XX. 23. *Pugnemus contra eos in campeſtribus*, אִם־לֹא *ſi non praevalebimus eis* h. e. certe praevalebimus.

Pro אִם־לֹא quandoque eſt I. copulativa ו, quae tunc vertitur *quia.* Ezech. XXXV. 11. *Vivo ego*, *dicit Dominus* וְעָשִׂיתִי *quia faciam iuxta iram tuam.* 2. כִּי *quia, quoniam* III. Reg. II. 23. *Juravit itaque Rex Salomon . . . Haec faciat mihi Deus*, *et haec addat*, כִּי *quia contra animam ſuam loquutus eſt* rel. pro אִם־לֹא *ſi non contra animam ſuam.* Vide Ruth. I. 17. Ezech. XXXV. 6. *Vivo ego*, *dicit Dominus*, כִּי *quoniam ſanguini tradam te* pro ſi non tradam te. Aliter vero explicandae ſunt illae particulae, quae ibidem ſequuntur, nempe per *quia.*

III. Pro

III. Pro coniunctione caufali *quia.* Job. XIV. 5. אִם *quia breves dies hominis funt.* Sic εἰ fignificat *quod* Act. XXVI. 8. *Quid incredibile iudicatur apud vos, εἰ quod Deus mortuos fufcitat.* Item *quum, quandoquidem.* Act. IV. 9. εἰ ἡμεῖς *quandoquidem nos hodie diiudicamur.* Pfal. CXXXIX. 19. אִם *fi occideris, Deus, peccatores,* h. e. quandoquidem occifurus es.

IV. Pro adverbio indeterminati temporis ὅταν *quum, poftquam.* If. IV. 3. *Omnis, qui relictus fuerit in Sion . . . fanctus vocabitur,* ỳ. 4. אִם *fi abluerit Dominus fordes filiarum Sion* h. e. poftquam abluerit. Joan. XIV. 3. καὶ ἐὰν *et fi abiero, et praeparavero vobis locum* i. quum abiero. Vide Joan. III. 2.

Quidam opinantur conditionem ἐὰν *fi* adfirmative fignificare *vere, utique, certe* rel. fuam opinionem probare nituntur ex Joan. XXI. 22. ἐὰν αὐτὸν θέλω *certe volo eum manere, donec veniam, quid ad te?* Vulg. *Sic eum volo manere.* At heic mendum effe graphicum pro *Si*, agnofcunt interpretum doctiffimi. Maldonatus fatetur, *locum hunc incredibili fcriptorum negligentia effe contaminatum.* Janfenius Gandav. *corruptionem adeo certam effe,* fcribit, *ut protervus effe videatur, qui inveteratum errorem agnofcere nolit, aut agnitum corrigere.* Et in antiquiffimis codicibus habetur *Si*, non *fic.*

Canon III. *Coniunctio conditionalis quandoque deeft, quandoque abundat.*

Deeft. Gen. XLII. 38. וּקְרָאָהוּ *Et* (fi) *quid ei adverfi acciderit in via* pro וְאִם Levit. X. 19. וְאָכַלְתִּי *et* (fi)



comedissem hostiam pro peccato hodie, *an placuisset* (illud) *in oculis Domini?* Deut. XXX. 8. Matth. XVIII. 21. *Domine quoties peccabit in me frater meus*, *et dimittan ei?* h. e. Si peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei.

Redundat אִם quando aliis particulis otiose coniungitur, ut Gen. XXVIII. 15. עַד אֲשֶׁר אִם *usque quo si*, pro עַד אֲשֶׁר *usque quo*, *donec*. Cap. XLVII. 18. בִּלְתִּי אִם *praeter si*, pro solo *praeter*.

§. III.

De coniunctione disiunctiva.

Canon I. *Coniunctio disiunctiva* aut, sive, *non semper separandi*, *sed interdum distinguendi tantum*, *imo et coniungendi vim habet*.

Lev. IV. 22. *Si peccaverit princeps* . . . ✝. 23. או־הודע *aut notum factum fuit ei peccatum eius*. Vulg. *Et postea intellexerit peccatum suum*. Vide Prov. XXX. 29. *Tria sunt*, *quae bene gradiuntur*, *et quartum*, *quod incedit feliciter*. ✝. 30. *Leo fortissimus bestiarum*. ✝. 31. *gallus succinctus lumbos* או־תַיִשׁ *aut aries* i. et aries, וּמֶלֶךְ אַלְקוּם עִמּוֹ *Et Rex*, *cum quo stare*, seu *comparare se nemo potest*. Vox אַלְקוּם quamvis in Massora non recenseatur inter eas, quae coniunctim scribuntur, et divisim leguntur; in duas tamen dividenda est hoc modo; עַל קוּם Praeterea videtur esse ellipsis του אֲשֶׁר sic; וּמֶלֶךְ אֲשֶׁר *Et rex*, *cum quo non* (licet) *stare* seu *componere se*; vel cui resistere nemo potest. Vulg. *nec est rex*, *qui resistat ei* arieti sive hirco; quae expositio commoda non videtur,

in

in ea siquidem ex quatuor, quae bene gradiuntur, tria tantum recensentur.

CANON II. *Disiunctiva particula interdum deficit.* I. Reg. XX. 12. *si investigavero sententiam patris mei, crastino perendie* h. e. vel perendie. IV. Reg. IX. 32. *Et inclinaverunt se ad eum* (Jehu) duo tres eunuchi h. e. duo vel tres eunuchi. Vide Is. XVII. 6. rel.

§. IV.

De coniunctione adversativa.

CANON I. *Pro adversativa* SED, *aliae etiam particulae usurpantur.*

I. Coniunctio copulativa ו. Vide supra §. I. de coniunctione copulativa n. IV. Matth. IX. 39. *καὶ sed signum non dabitur ei.*

II. Coniunctio causalis כִּי *quia.* Psal. XXXVII. 19. *Non confundentur* (iusti) *in tempore malo* . . . 20. כִּי *sed peccatores peribunt.* CXXX. 4. כִּי *sed apud te est propitiatio.*

Adversativa *sed* quandoque deest. Isa. I. 3. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui: Israel me non cognovit* i. sed Israel.

CANON II. *Pro adversativa* ATQUI *et* ATTAMEN, *interdum usurpatur conclusiva* לָכֵן PROPTEREA, IDCIRCO. Gen. IV. 15. *Dixitque ei* (Caino) *Dominus:* לָכֵן *atqui omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Vulg. *nequaquam* ita fiet, pro לָכֵן legebat לֹא כֵן *non sic, nequaquam.* Ose. II. 14. לָכֵן *Attamen ecce ego lactabo eum, et ducam in*

 solitu-

solitudinem, et loquar ad cor eius, h. e. quamvis populus Israeliticus (de quo sub uxoris adulterae imagine loquitur Deus) a me recesserit, ut diis alienis serviret; attamen lactabo eum, ducam in solitudinem, et cordi eius iucunda loquar, seu consolabor eum: phrasis enim *loqui ad cor*, consolari significat.

CANON III. *Pro adversativa* QUAMVIS, ETSI, *saepius causalis* כִּי QUIA *ponitur.*

Gen. VIII. 21. *Neque ultra maledicam terrae propter hominem*, כִּי *quia figmentum cordis humani est in malum* cet. Vulg. *Sensus enim et cogitatio* i. e. quamvis sensus et cogitatio. Ibid. cap. XLVII. 15. et XLVIII. 14. *Intelligere fecit manus suas* Jacob i. e. sciens et consulto direxit eas, posita dextera super caput Ephraim, sinistra vero super caput Manasse, כִּי *quia* i. quamvis Manasse esset primogenitus. Exod. XIII. 17. Jos. XVII. 18. Luc. XXIII. 40. *Neque tu times Deum ὅτι quamvis in eadem damnatione sis.* Act. I. 16.

§. V.

De coniunctione causali.

CANON I. *Coniunctio causalis* QUIA, ENIM, *non semper notat causam rei, sed saepe etiam rationem conclusionis.*

Matth. XVI. 2. *facto vespere dicitis: serenum erit: rubicundum est enim coelum: Et mane: hodie tempestas; rutilat enim triste coelum.* Coelum rubicundum causa non est sereni-

ſerenitatis, ſed ſignum. Luc. VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Remiſſionis multorum peccatorum cauſa non fuit multa dilectio; ſed econtrario, ideo multum dilexit mulier illa peccatrix, quia multa illi peccata remiſſa fuerant. Quod liquet quum ex ipſa parabola, tum ex verbis ſeqq. *cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Joan. XVI. 27. cet.

Canon II. *Coniunctio cauſalis* quia, quod *cet. aliis etiam modis, quam per* כִּי *exprimitur.*

I. Copulativa ו. Vide ſupra §. I. de coniunctione copulativa, num. VII.

II. Conditionali *Si.* Vide ſupra §. II. de coniunctione conditionali num. III.

III. *Concluſiva* עַל־כֵּן *quapropter, ideo.* Pſal. XLIV. 8. *Dilexiſti iuſtitiam, et odiſti iniquitatem,* עַל־כֵּן *quia unxit te Deus* cet. non enim unxit Deus Pater filium ſuum Chriſtum, quia recte adminiſtravit regnum; ſed ideo unxit, ut recte illud adminiſtraret.

IV. Pronomine אֲשֶׁר *quod.* Gen. XXXIV. 13. אֲשֶׁר *quid polluerat* (Sichem) Dinam ſororem eorum. Vid. ꝟ. 27. cap. XXIV. 3. III. Reg. XV. 13. rel.

V. עֵקֶב אֲשֶׁר *Propterea quod.* Gen. XXII. 18. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes generationes* עֵקֶב אֲשֶׁר *quia obedivisti voci meae.* Vid. cap. XXVI. 5. Num. XIV. 24.



Canon III. *Coniunctio causalis* כִּי, ὅτι, quia, quod, *interdum alias etiam significationes obtinet, poniturque*

I. Pro pronomine אֲשֶׁר *qui, quae, quod.* Vide supra.

II. Pro adverbio temporis indeterminati *quum, quando.* Vide sup. de adverbio temporis.

III. Pro coniunctione adversativa *Sed.* §. IV. *Attamen* Is. XXXIX. 8. LXVI. 8.

IV. Pro particula interrogativa. Is. XXXVI. 19. *Ubi est Deus Emath et Arphad* וְכִי *nunquid liberaverunt Samariam de manu mea?* Marc. IX. 11. ὅτι *quid ergo dicunt, . . ?*

Canon IV. *Coniunctio causalis et explanativa* quia, quod *cet. quandoque deest, quandoque etiam redundat.* Gen. XVII. 14. *delebitur anima illa de populo suo: pactum meum irritum fecit* i. quia pactum meum. Vid. Exod. XXIX. 14. Psal. IX. 21. Ruth. III. 12. וְעַתָּה כִּי כִּי אִם גֹּאֵל אָנֹכִי *Jam igitur vere*, seu verum est, *quia propinguus ego sum*, ubi prius כִּי redundat, sicuti אם, quod idcirco puncto vocali destituitur.

Canon V. *Coniunctio causalis* לְמַעַן, ἵνα ut, *et quae illi respondent, non semper notant causam rei finalem, sed saepius consequentiam duntaxat aut eventum.*

Exod. XI. 9. *Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Aegypti*, h. e. quia non audiet vos Pharao,

rao, inde consequetur, ut multiplicentur signa sive portenta.

Exod. XVII. 3. *Quur fecisti nos exire de Aegypto, ut occideres nos?* h. e. ita ut ex nostro exitu mors sequatur. Psal. L. 6. *Tibi soli peccavi . . ut iustificeris in sermonibus tuis* i. ex eo, quod tibi peccaverim, et tu peccatum meum mihi condonaveris, sequetur te iustum in sermonibus tuis; quandoquidem promisisti veniam resipiscentibus.

In Novo Testamento. Matth. XXIII. 34. *Ecce ego mitto ad vos prophetas . . . et ex illis occidetis . . . ut veniat super vos* cet. i. unde eveniet, ut super vos omnis illius sanguinis poena veniat. Joan. IX. 3. *Neque iste peccavit, neque parentes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo* i. sed ex eo, quod coecus natus est, manifesta fiet Dei potentia et bonitas in sanatione eius. Non ideo itaque homo iste coecus natus est, ut manifesta fierent opera Dei in ipso, sed ex eo, quod talis natus sit, manifesta facta sunt cet. Ibid. ℣. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut, qui non vident, videant, et qui vident, coeci fiant* h. e. sequetur ex adventu meo in hunc mundum, ut, qui in negotio salutis oculatos se esse putant, iusto iudicio excoecentur. Unde illae voces *in iudicium* spectant tantum ad posteriorem commatis huius partem, *et qui vident, coeci fiant:* Christus enim non venit ad excoecandos et iudicandos, sed ad inluminandos homines.

Matth.



Matth. XI. 25. *Confiteor Tibi pater . . . quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, h. e. Confiteor, seu gratias ago tibi, quod, quum abſconderis myſteria verbi tui ſapientibus huius ſaeculi, tamen ea revelaveris humilibus et ſimplicibus. Pro poſteriori itaque, non pro priori, Chriſtus Patri ſuo gratias agit.

I. Cor. XI. 19. *Oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Non ideo neceſſe eſt eſſe haereſes, ut, qui probati ſunt, manifeſti fiant; ſed ex eo, quod ſint haereſes, qui probati ſunt, cognoſcuntur.

Huc pertinent illa ſcripturae loca, in quibus hoc vel illud malum dicitur factum, *ut implerentur scripturae*; non enim ideo mala futura ſunt, quia ſcriptura illa praedicit: ſed quia futura ſunt ex agentium malitia, Deo ad finem bonum ea permittente, a prophetis praenuntiantur. Matth. XXVII. 35. *ut impleretur* cet. i. e. ſic evenit illud, quod olim praenuntiatum fuerat a Davide Pſal. XI. 19. Joan. XII. 37. et 38. *ut sermo Isaiae prophetae impleretur* cet. h. e. ſic verum comprobatum eſt Iſaiae vaticinium. Et ℣. 39. Iſaiae ſermo cauſa non fuit impotentiae illius ad credendum, ſed excoecatio et induratio iudaeorum. Pariter ibid. cap. XV. 24. Non ideo iudaei oderunt Chriſtum et patrem eius, ut impleretur ſermo, qui ſcriptus eſt cet. Sed ex eo, quod illum et Patrem eius oderint, impletus eſt. rel.

Deni-

Denique pro coniunctione causali לְמַעַן *ut*, usurpatur interdum אֲשֶׁר. Vide Jos. III. ℣. 7. אֲשֶׁר יֵדְעוּ *ut sciant* rel.

§ VI.

De coniunctione conclusiva, et de interiectione.

CANON I. *Pro coniunctione conclusiva* עַל־כֵּן לָכֵן IGITUR, ERGO cet. *aliae etiam particulae interdum usurpantur.*

I. Causalis כִּי *quia*. Gen. XXII. 16. 17. כִּי *igitur benedicens benedicam tibi.* I. Reg. II. 25. כִּי *quapropter voluit* i. decrevit Dominus occidere eos.

II. Adverbium temporis וְעַתָּה *Et nunc.* Gen. IV. 11. וְעַתָּה *igitur maledictus eris.* Ibid. cap. XXI. 23. Psal. II. 10. וְעַתָּה *itaque reges intelligite.*

III. Praepositio cum pronomine demonstrativo. Matth. XIX. 5. ἕνεκεν τούτου *propter hoc relinquet homo* i. propterea.

IV. Adverbium similitudinis οὕτως *sic.* Apoc. III. 16. οὕτως *itaque, quia tepidus es.*

INTERIECTIONES variae sunt. I. OBSECRANTIS. נָא *quaeso, obsecro.* Exod. XII. 9. haec vox ex usu linguae arabicae *crudum* significat. *Non comedetis ex eo* (agno paschali) נָא *crudum*



אָנָּא et sexies cum ה in fine. אָנָּא יְהוָה *Obsecro Domine.* הוֹשִׁיעָה נָּא *salva quaeso* Ex הוֹשִׁיעָה נָּא facta est per elisionem vox OSANNA vel HOSANNA.

בִּי *Quaeso* Vide Gen. XLIII. 20. Jud. VI. 15. I. Reg. I. 26.

לוֹ. Gen. XXIII. 13. לוֹ *quaeso, ut audias me!*

II. HORTANTIS seu EXCITANTIS interiectio quandoque est הַב *Da*, a verbo chald. יְהַב *dedit*, unde imperativus הַב, et cum ה paragogico הָבָה. Gen. XI. 3. *Dixitque alter ad proximum suum* הָבָה *agedum, agite.* Quidam alios etiam imperativos huc referunt, ut לְכָה *ito* h. e. age. לְכוּ *ite*, agite. בֹּאוּ *venite.* קוּמִי *surge*, קוּמוּ *surgite*, agite, rumpite moras.

III. ABOMINANTIS interiectio. חָלִילָה *absit*, a verbo חִלֵּל in piel *profanavit.* Haec autem interiectio usurpatur vel absolute, vel cum nominibus aut pronominibus. חָלִילָה לְּךָ *absit tibi.*

Maiorem abominationem denotat *vel* cum repetitur. II. Reg. XX. 20. *Respondensque Joab, ait* חָלִילָה חָלִילָה *absit, absit a me. Vel* quum nomen Dei adiicitur. III. Reg. XXI. 3. חָלִילָה לִּי מֵיְהוָה *absit mihi a Domino.* Praepositio מ interdum in hac phrasi desideratur. II. Reg. XXIII. 17. *Et dixit.* חָלִילָה לִּי יְהוָה pro מֵיְהוָה.

COMMI-



Comminantis interiectio, eſt אוֹי vel הוֹי Graec. *οὐαὶ* *vae!* quae tamen lugentis et dolentis ſignificationem interdum etiam obtinet.

1. Comminantis et ſimul praedicentis particula eſt in prophetarum et Chriſti ad impios vaticiniis. Iſ. I. 4. הוֹי *Vae genti peccatrici!* Matth XI. 21. *οὐαὶ Vae tibi Corazain!*

Comminantis, praedicentis et deplorantis particula eſt. Matth. XXVI. 24. *Vae autem homini illi* cet.

2. Dolentis ac lugentis. Iſ. VI. 5. אוֹי לִי *Heu mihi.* Vulg. Vae mihi. Interdum ſcribitur אִי pro אוֹי. Eccle. IV. 10. וְאִילוֹ *Et vae ſibi* vel *ei* i. e. ſoli.

V. Insultantis interiectio et exprobrantis eſt הֶאָח *Vah.* Pſal. XXXV. 21. *dicentes:* הֶאָח הֶאָח LXX. *εὖγε εὖγε Euge, Euge.*

Atque hi ſunt praecipui linguae hebraeae canones ac ſyntaxeos regulae, quarum uſus frequentior ſi accedat, philebraeus ad huius ſanctae linguae notitiam comparandam viam ſibi ſternet ampliſſimam et munitiſſimam, et genuinum difficiliorum intricatorumque in ſacra ſcriptura tum hebraica, tum, quae ex hoc fonte fluxit, latina occurrentium textuum ſenſum facillime adſequetur. Hos vero canones ex Cl. P. Guarini opere ideo collegi, atque huic opuſculo ſtudioſe adnexui partim, quia praeſtantiſſimi huius Authoris opus et rarum et carum eſt, partim quia illi in aliis grammaticis hebraicis, quarum non paucas perluſtravi, deſiderantur; maxime ve-

ro,



ro, ut id praeſtarem, plurium vota et incitamenta me exſtimularunt, haec linguae ſacrae fundamenta et neceſſaria ſubſidia ſubminiſtrare. Tu vero Erudite Lector! labores meos aequi bonique habe; et ſi novum nihil Tibi in hoc opuſculo obveniat, ſcias velim, me iunioribus ſacram linguam aſpirantibus ſcripſiſſe. In omnibus vero glorificetur Deus, Pater Luminum, cui ſit honor in aeternum et ultra.



Index



Index locorum S. Scripturae, qui in hoc opere exponuntur.



Deu-



Pfalmi

Pfalmi.

Pfalmi.







Cantica.

Isaias.

Isaias.



Isaias.

Ieremias.

Ieremias.

Threni.

Ezechiel.

Eze-



Zacha-





Quum typo opuſculi huius praeſens non fuerim, dignabitur benevolus lector ſequentia menda, quae oculos correctoris effugerant, emendare. Errata punctorum hebraicorum lector hebraea lingua vel leviter tinctus volante etiam oculo facile deteget et corriget.

Pag. 5	*ſe trabat*	lege	*ad ſe trabat*
10	*imperium*	—	*impervium*
17	*colaturis*	—	*coelaturis*
19	*ſcibio*	—	*ſtikio*
22	כנוץ	—	כמוץ
25	*ſi*	—	*bi*
26	*Deodedit*	—	*Deusdedit*
29	*metuant*	—	*metunt*
—	*metuunt*	—	*metunt*
42	*hoc*	—	*hos*
44	*Authores*	—	*Author es*
55	*ex praeſentiſſimo*	—	*qui praeſentiſſimo*
56	*fluvias*	—	*pluvias*
91	*In principia*	—	*in principio*
95	*Uſi*	—	*Uſi*
143	*animam*	—	*manum*
159	*mulieris*	—	*mulieres*
161	*balitus*	—	*halitus*
—	*egredietut*	—	*egredietur*
162	*vocatus*	—	*vocatur*
—	*reddicit*	—	*reddidit*
166	*Origenes*	—	*Originis*
167	*oculorum Dei* ſuperfluit		
169	*benefacit*	—	*patefacit*
175	*manus eius*	—	*anima eius*
186	*filiorum*	—	*filiarum*
252	*repetio*	—	*repetitio*
274	*ipſe*	—	*ipſi*
280	*myſterium*	—	*myſteria*
304	*virum*	—	*virium*
—	*ſpecialibus*	—	*ſpecialius*
337	ארפן	—	אופן
345	*metaphyſica*	—	*metaphorica*
393	*indicati*	—	*indicari*
412	*patrem ſuum*	—	*meum*
439	*nocentem*	—	*innocentem*
445	*exletiva*	—	*expletiva*
456	תוֹתָה	—	אוֹתָהּ
461	*omnius*	—	*omnibus*
466	לְחָרְשֵׁי	—	לְחָדְשֵׁי
472	דַע	—	רַע
476	וַיִּשְׁתַּחֲוּוּ וַיִּקֹּד הָעָם	—	וַיִּקֹּד הָעָם וַיִּשְׁתַּחֲוּוּ
477	אִמּוֹ	—	וְאִמּוֹ
478	וְאֶקְהָה	—	וְאֶקְחָה





